Calixtus

4° Dogm. 100.

<36625597100015
<36625597100015
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

B. MARIÆ VIRGINIS
IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS
HISTORIA
CVI ACCESSIT
ALEXANDRI PAPÆ VII
CONSTITUTIONIS
EXAMEN
Monasterii Burani.
AD
COLONIÆ & HERBIPOLEOS
DOMINOS THEOLOGOS
Directum, manu

FRID. VLRICI CALIXTI
REGIÆ LUTTERÆ ABBATIS
Acad. Juliæ Senioris & Profeſſ. Primarii
Conſil. Eccleſiaſt. Guelphici.

Staats...
MÜNCHEN

HELMSTADII SAXONUM

Excudit GEORG-WOLFGANGUS HAMMIUS, Acad. Typogr.
ANNO M DC XCVI.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

AMORIS ET AMICITIÆ
inter Viros
Solidioris & ſecularis & Eccleſiaſticæ eruditionis
Studia promotum ardenter euntes

FRIDERICVM BENEDICTVM
CARPZOVIVM
Lipſenſium Eruditorum Principem
Et
FRIDERICVM VLRICVM
CALIXTVM
Theologum Pacificum

è ſuavi literarum colloquio natæ,
atque ſincerè ſine fuco ſine ſimulatione cultæ
Publicum hoc
MONVMENTVM
Ægrâ & labante manu
erectum reliquit
Libelli hujus
AUCTOR.

BENEVOLO LECTORI
S. P.

NE quæſo moleſte feras, quod in ipſo operis hujus frontiſpicio diſertisſimam à CALIXTINO ore & calamo profectam compellationem requirens, expectatione fruſtratus, arido & incomto ſermone abs me excipiaris. Nulla id ſit Venerabilis Domini AUTORIS culpa, cui nil magis volupe fuiſſet, quam ſi operi, cujus elucubratione inſomnis moroſas brumalium noctium moleſtias abſterſerat, ipſimet præfari licuiſſet. Vix autem ultima libri plagula a prelo ad muſæum ipſius reverſa fuerat, cum ex improviſo prorumpens, quod in abditis pectoris recesſibus latebat, ἐμπύημα, eundem mox lecto affigeret, ac nobis omnibus eo majores incuteret metus, quo ingraveſcente potisſimum iſthac ætate, graviora pericula vitæ denunciabat: quove enixius & Eccleſia, & Academia optimi doctisſimique Senis operam & conſilium requirere videbatur. Circumſpicientibus enim hodiernam Eccleſiæ Proteſtantium faciem, illi robur & æs triplex circa pectus eſſe oportet, qui non vehementer ingemiſcat, haut ſaltem in arctiores ſubinde anguſtias eorum cogi numerum, qui ingenti ſchismati, quod Eccleſiam occidentalem tanto jam tempore miſere diſtraxit, ſanando operam & conſilia conferre ſatagunt; ſed quoque inter noſtrates

haut pridem exortos fuiſſe, qui ſubſpecioſo pietatis ſchemate Weigelianos, aliosque pridem exploſos errores in ſanctisſimum Eccleſiæ theatrum remis velisque revocare nituntur, novo ſine dubio jam excluſo ſchismate, niſi modeſtiorum Theologorum prudentia, DEO cumprimis adminiculante, Zelum ſine ſcientia graviter represſiſſet. Quid illuſtrem hanc Juliam dicam, cui periculum capiti imminens eò majorem movebat formidinem, quo impenſiori illa gaudio nupero menſe Februario inter communes bonorum congratulationes hujus PRORECTORIS ſui humeris, laborum moleſtiarumque tolerantisſimis, purpuræ ſplendorem circumdederat. Inprimis vero cathedra Theologica metu pene oppreſſa erat: quæ cum per octoginta integros jam annos incomparabili CALIXTORUM, Parentis & Filii, doctrina animata fuiſſet, jam ultimum quaſi ſpiritum ducere ſibi videbatur: multo triſtiora ſibi fata præſagiens, ſi poſt tot carisſimorum capitum jacturam hujus quoque primarii Doctoris eruditione, qua unice ſua damna antea ſolari conſueverat, carere cogeretur. Nec dubitamus, Benevole Lector, Te Tuas noſtris miſcere voluiſſe lacrymas, ſi de maximo diſcrimine, in quo vita ſummi Theologi iſthoc tempore verſabatur, Tibi conſtitiſſet. Novimus enim, quo applauſu excipias, quove ardore evolvas eruditisſimos tractatus, quos ille, etiam ætate poſt ingentes & moleſtisſimos labores exhauſtos jam fatiſcente, nullius rei minus, quam otii patiens, ſolidioris doctrinæ Theologicæ, judicii

plane confirmati, dulcisſimive eloquii teſtes è muſæo in orbem literatum ſubinde dimiſit. Effecimus tamen asſiduis apud DEUM OPT. MAX. precibus noſtris, ut mitigata morbi vehementia haud vana affulgeat ſpes, fore, ut brevi non modo Magnifico Domino PRORECTORI, à limine mortis feliciter reduci, de ſalute, ſed quoque Eccleſiæ & Academiæ de Theologo primario incolumi rurſus ac ſuperſtite gratulari nobis ſit integrum. Quoniam vero invaleſcente vi morbi Venerabilis Dominus AUTOR à me requiſiverat, ut ſi ſupremo vitæ mortisque Arbitro Ipſum ad cœleſtia gaudia hinc evocare viſum foret, ipſe in libri hujus veſtibulo Benevolum Lectorem paucis alloquerer: ego quidem, quod tum non ſine ingenti dolore feciſſem, id nunc eo promtius facio atque lubentius, quod vivo, & non quidem valenti, ſed tamen cum valetudine in gratiam redeunti Collegæ, Affini, atque Amico ſummo hanc operam præſtare liceat. Natus is ipſi eſt ex colloquio cum primariæ nobilitatis ac dignitatis Viro Religionis Pontificiæ, quem Pontificis ſui ſupremam ac infallibilem in controverſiis fidei determinandis autoritatem ſubmiſſe agnoſcentem, circa immaculatam tamen B. Virginis Deiparæ conceptionem credendam plus ſibi tribuere licentiæ ac poteſtatis animadverterat, quam Alexander VII. Pontifex Romanus, edita hanc in rem anno ſeculi hujus ſexageſimo primo Conſtitutione ſuis indulſerat atque reliquerat. Propius ergo ſub fictis nominibus, id quod nec illicitum, nec infrequens eſt, celeberrimorum Collegiorum Theologi-

):(corum

corum in Colonienſi & Herbipolenſi Academiis mentem expiſcatus, cum hæc ſimilem ſibi indulgere libertatem agnoſceret, ad integram de immaculata τῆς Θεοτόκυ conceptione Hiſtoriam & Controverſiam paulo fuſius explicandam animum adjecit. Cum tamen id potisſimum hoc opere ſibi demonſtrandum ſumſiſſet, quod vigore Conſtitutionis illius Alexandrinæ Articulus immaculatam Mariæ conceptionem complectens, iis omnibus, qui Pontificis Romani infallibilem ac ἀνυπεύθυνον in quæſtionibus talibus è cathedra decidendis autoritatem agnoſcunt, ſit de fide atque fide catholica credendus; non modò ipſum Diploma Pontificium clare expoſuit, ſed quoque à fidiculis, quas Pontificios Doctores illi admovere videbat, ne incontaminatæ B. Virginis conceptioni fidem ſub ſalutis amittendæ periculo aſtringere cogantur, liberavit. Ubicunq; autem ferebat occaſio, è divite eruditionis ſuæ ſacræ theſauro depromſit, & Benevolo Lectori liberaliter communicavit, quæcunque ad hujus argumenti ſolidiorem cognitionem & accuratum examen pertinere arbitrabatur. Invenies itaq; hic diſcuſſa omnia, quib9 vanam hanc B. Virginis prærogativam tum è Scripturarum divinarum monumentis, tum è veterũ Scriptorum, etſi paucisſimorum illorum, teſtimoniis, tum deniq; ex ementitis revelationum & miraculorum fabulis adſtruere conantur. Præterea non ſine ſuavi animi voluptate hic cognoſces, quibus initiis hic error primùm in Eccleſia cœperit, quibusve incrementis fuerit roboratus, donec tandem noſtro ſeculo ad eam ἀκμὴν fuit perductus, ut eundem poſt diuturnas Pontifi-

cum

cum tergiverſationes Alexander VII. diſſentiendi libertate ſublata in articulorum fidei numerum videretur evexiſſe. Claudit tandem tractatum elegans de Feſtis Marianis diſſertatio, qua accurate rationes exponuntur, ob quas nonnulla eorum, ſacræ hiſtoriæ fundamentis innixa, pii majores noſtri, Eccleſiam à ſcoriis Pontificiis repurgantes, retinuerint; aliis, quæ non niſi meris fabulis ſuperſtructa erant, prudenter abrogatis. Hæc ſunt potiſſima, Benevole Lector, quæ præſenti hoc libello venerabilis Dominus AUTOR perſpicuo & plane florido dicendi genere expoſuit; quibus commodo Tuo utere, fruere, atque nobiſcum DEUM OPT. MAX. ſupplex venerare, ut Virum de Eccleſia & Academia præclare meritum, omnium in Proteſtantium Academiis hodie ſuperſtitum Theologorum Seniorem, priſtinæ valetudini reſtituere, atque per plures adhuc annos ſoſpitem & incolumem clementer ſervare velit. Scrib. Helmſtadii in Academia Julia, XX. die Aprilis Anno cIɔ Iɔ cxcvi.

Henr. Wideburgius,
S. Theol. D. ejusdemq; Prof. Publ. Ordin.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Σὺν τῷ Θεῷ

DE
BEATÆ VIRGINIS DEIPARÆ IMMACULATA CONCEPTIONE.

SUnt inter quæſtiones juxta Chriſtianæ fidei & ſalutis fundamenta emergentes (*Annatas* quas vocamus) plurimæ, de quibus ſalvis illis, quæ diximus, fundamentis, ſimul ac ſalva caritate Chriſtiana, inter pios & eruditos agitari atque in utramque diſputari poſſunt partem. Et quantumvis indeciſæ relinquantur, non tamen propterea turbari debet Eccleſia, ſed tolerari potius diſſenſus, procul omni diſſentientium odio & inſectatione. Propter diſſenſum enim, à cujus conciliatione aut determinatione Deus ſalutem ſuſpenſam noluit, vel Chriſtianam caritatem vel Eccleſiæ unionem rumpere, fas non eſt. Quamdiu ulla igitur non exiſtit cogens decidendi neceſſitas, tàm diu infallibilitate pollente *Controverſiarum Judice* nihil omnino eſt opus. Interim natæ & agitatæ ſunt, ut plurimùm inter *Scholaſticos, magnos & ingenioſos homines* (quo inſigni elogio Auguſtanæ Confeſſionis Apologia eos mactat) variæ de variis controverſiis diſputationes ancipites, aliis in hanc, aliis in adverſam euntibus ſententiam. Verùm

etiam

etiam ejusdem Apologiæ Autor ibidem, *Facile eſſe*, dicit, *ocioſis fingere ſomnia.* Ocio igitur quia abundarunt, ocio quoque ad movendas ocioſas magis quàm utiles & neceſſarias quæſtiones quandoque ſunt abuſi. Quantumvis verò curioſæ ſublimioris indaginis quæſtiones, quales cultiora, longo rerum uſu variaque experientia ſubacta ingenia, inveniunt vel comminiſcuntur, non ſint de neceſſitate, agnoſcendus tamen eſt aliquis eorum uſus, ſitus in eo, quod ad intellectum perficiendum, acuendumq; judicium, atque ingenium excolendum faciunt. Neque tamen illi, qui velocis ingenii ſucco paſcuntur, ſic genio indulgere debent, ut quæſtiones è quæſtionibus nectant, lites ſerant, è quibus naſcantur aliæ ex aliis, quarum nec modus ſit nec exitus, uſus verò, præter illum, quem diximus, vix ullus. Modum hîc exceſſiſſe Scholaſticos, quos vocant Magiſtros ſeu Doctores, quamvis diffiteri haud posſint his licet addictisſimi, nobis tamen, qui eo loco ſumus poſiti, quibus confligandum cum talibus, qui magna animorum contentione olim agitata, de novo ſuſpendunt paxillo, ſi certaminum iſtorum eſſemus imperiti, vel eorum, quæ Scholaſticorum ætate in utramque partem ſunt diſputata, ignari, in magnum noſtrum inſcitia iſta ceſſura eſſet dedecus, & ad locum, quem tenemus, tuendum haud immerito cenſeremur inidonei.

II. Quandoquidem verò utilibus & profuturis, cùm erronea aliqua, atq; ideò nocitura, tùm ſupervacanea, parum aut nihil profutura, adſperſa eſſe norunt illi, quibus Scholaſticorum viridaria non ſunt denſa Bohemiæ ſylvæ nemora, non inconvenienter Scholaſticis DD. accommodare & applicare videmur iſta, quæ S. Auguſtinus in Retractationum Prologo, de iis, quæ *adhuc ſecularium literarum inflatus conſuetudine*

ſuetudine, ſe ſcripſiſſe perhibet. Quamvis enim illorum ſcripta, nulla *ſecularium literarum conſuetudine ſint inflata*, ſed horum dictio Latina, ut plurimùm, aſpera & horrida magis ſit, quàm terſa, elegans & culta; quæ tamen ſubjungit Auguſtinus, optimè in illos, eorundemque laborioſas lucubrationes quadrant. *Quia & ipſa*, ait ille, ſcripta, *exierunt in notitiam deſcribentium & legentium, & leguntur utiliter, ſi nonnulla ignoſcantur: vel ſi non ignoſcantur, non tamen inhæreatur erratis. Quapropter quicunq; iſta lecturi ſunt, non me imitentur errantem, ſed in melius proficientem*. Mutuatis nunc ab Auguſtino verbis, quod ille de ſuis, idem nos de Scholaſticorum dicimus ſcriptis: *Quicunq; Scholaſticos lecturi ſunt, non hos imitentur errantes, ſed in melius proficientes*, i. e. in meliorem partem inclinantes, atque in probabiliorem euntes ſententiam. Quam tamen comparationem citra magni Auguſtini injuriam factam volumus, quippè quem ſpontanea ſublimis animi demisſio magis attollit, quàm paſſum quandoque acris judicii deliquium, deprimit.

III. Scholaſticis autem Doctoribus, ſicut merita laus non eſt invidenda, ita eorundem nævi non ſunt diſſimulandi. Per hos motæ quæſtiones ſunt multiplices atque ſic comparatæ, ut illarum aliquæ Chriſtianæ fidei doctrinam, ſatis è propinquo tangant; aliæ à fundamento ſint remotiores. Quo propius ad fidem accedunt, tantò majori agitantur cum periculo ſuſceptæ circa illa Diſputationes: quantò longius recedunt, tantò minus nocent dubii eventus velitationes. Magis è propinquo fidem attinent, quæ inter ipſos Pontificios, de efficaciâ gratiæ, de determinationibus Divinis, de Electionis & Reprobationis Decreto, ſuperiore & hoc ſeculo, magnâ colliſione inter diſſidentes Monachorum Fa-

milias, ſunt agitatæ, diſſidiorum nutrices controverſiæ. Inter illa, quæ à fide ſunt paullo remotiora, referre poſſumus, de IMMACULATA, ut vocant, CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS DEIPARÆ controverſiam, ab aliquot ſeculis inter Dominicanos & Franciſcanos agitatam.

IV. Quo usque Dogma illud inter adiaphora locum tenuit, in utramque partem diſputandi, hanc illamve vel probandi ſententiam vel improbandi, relicta eſt æqua poteſtas, eo usque ſequior opinio tolerabilior fuit, quàm nunc eſt; tunc non ſic ſicut nunc interpoſita Pontificiæ auctoritatis determinatione, offendit. Poſteaquam Infallibilis Controverſiarum Judicis (qualis Pontifex videri vult & haberi) valida compede arctatæ conſcientiæ, in credendi, quod olim creditum non eſt, ſervitutem ſunt redactæ, totum illud Pontificiis proprium dogma, aliam indeptum eſt faciem: è quæſtione videlicet adiaphorâ factus eſt Articulus, cui contradicere nefas eſt, quia tranſiit in dogma à Pontifice definitum: quæ definitio tanto eſt intolerabilior, quanto magis in ſequiorem inclinat partem.

V. Quo usq; refrenans infallibilis Decreti capiſtrum, injectum non eſt litigantibus, eo usque *Liberum fuit cuilibet Catholico utramvis partem affirmativam vel negativam amplecti, ita ut alterutram hæreticam appellare, ſub pœna excommunicationis, ſoli Papæ reſervatæ, probibita ſit*: verba ſunt *Euſtachii à Sancto Paulo*. Itaque *Bellarminus* triplici rem totam comprehendit axiomate. Primo: *Non haberi pro re certa & explicata atq; fide Catholicâ tenenda, B. Virginem ſine peccato eſſe conceptam*: Secundo: *Hanc ipſam opinionem non eſſe Hæreticam, vel erroneam judicandam.* Tertiò: *Non eſſe etiam temerariam, ſed piam admodum & proba-*

probabilem, atque adeò contrariâ ſententiâ longè probabiliorem.

VI. Quantumvis verò citra deciſionem, *intra probabilitatis terminos*, ſeſe cohibuerit Bellarminus, magis tamen affirmanti quàm neganti parti favet: quam ſequiorem eſſe, non potuit ignorare, ſi ejus natales non ignoravit. *Novum* enim Dogma, quod vix ante tria quatuorve Secula, curioſa unius Scholaſtici Doctoris ſubtilitas genuit, ſuperſtitio aluit, Pontificum nova Decreta, luxuriantibus lacertis robur addiderunt, non poteſt verum veræ Religionis eſſe Dogma, atque ideò inſtar *pii & probabilis* commendari non debet. Etenim ſola *Novitas*, in ordine ad veræ Religionis Dogmata, omnem deſtruit probabilitatem: ſiquidem nullum *Dogma Novum*, poteſt eſſe verum veræ Religionis Dogma. *Veritatem* igitur tollens *Novitas*, eadem opera omnem tollit *probabilitatem*. Quum igitur *Immaculatæ Conceptionis Dogma*, omni nudatum probabilitate, inter vera veræ Religionis Dogmata locum non inveniat, reducendum erit ad illa, quæ Pontificiis ſunt propria, ſeu potius ad lubricas, in varias formas verſiles flexilesque *Dogmatum Appendices*, quovis leviſſimo vento hac illac agitatas jactatasque. Et certè ſatis diu iſta credendorum appendicula, inter Pontificios ſic eſt agitata & jactata, ſpectante & connivente Sede Romana. Tandem verò ante annos non multo plures quam triginta, Pontifex Alexander VII, in diu ſuſpenſam Deciſionem, quam nequidem coronatorum capitum Legationes, prædeceſſoribus extorquere valuerunt, ſubito erupit. Bullæ temeritatem arguit, in ſequiorem partem ruens, in Franciſcanorum favorem & Dominicanorum, melius ſentientium, grande præjudicium ſuſcepta Definitio. Melius quàm

Immaculata conceptionis novitas.

Chriſtiana doctrina Novi Articuli natales.

Franciſcanos ſentire, ajo, Dominicanos: non quidem quod hi ab omni vacent errore, ſed quod minus craßè errent, quàm illi. Gravius enim impingit ille, qui unà cum immaculatâ nativitate immaculatam quoque conceptionem adſtruit, quàm facit alter, qui hac negatâ, illam ſolam admittit. Interim per Pontificiam, quam diximus, Definitionem, novo, melioribus priſcis ſeculis ignoto articulo, Eccleſia Romana eſt locupletata. Novos verò nunquam agnitos Fidei doctrinam attinentes Articulos condere, non in ullius hominis, non in Romani Pontificis, non in Eccleſiæ univerſæ, ſitum eſt arbitrio & poteſtate: ejus præſumtio & exſecutio, plus eſt quàm temeraria.

Ejus condendi temeritas.

VII. Veruntamen, dicturus eſt aliquis Pontificiæ Infallibilitatis aſſertor, præter meritum accuſari Pontificis definiendi temeritatem; ſiquidem nullum ille definierit Dogma, quod fidem non attineat. Etenim ad fidem per quam creditur, quod omnes Adami poſteri, communi modo per viri fœminæque copulam prognati, Originali Peccato ſint obnoxii, eoque infecti prodeant in lucem, omninò pertinere notitiam ejus, quod B. Virgo ab univerſali iſta regula atque de communi hominum ſorte ſit eximenda. Utraque autem aſſertio, quod illa ſit ſine Originali labe, & quod non ſit ſine iſta labe concepta, quum contradictionem implicet, atque ideò utraque nec vera eſſe, nec ſimul credi poſſit, impoſitam, dicturi ſunt, Pontifici (utpote infallibili Controverſiarum Judici) è duabus contradictoriis, unam verificandi neceſſitatem: maximè quod Determinationem, plurimæ concurrentes flagitaverint circumſtantiæ. Tales eſſe, præſentiſſimum *Schiſmatis periculum*: quod jam tùm anno Seculi XIV^ti octogeſimo octavo, in *Pariſienſi Univerſitate* eruperit in nervum: quod dilatatum, *Rotomagumque*

Litem determinandi, citra temeritatem neceſſitas.

Schiſma Pariſienſe

gumq; traductum, ejus factionis homines, ibi *Hueti* vulgo ſint appellati; eò quod illorum aliquis, ita ſe publicè dici conſenſiſſet, ſi ſuam ſententiam, validis argumentis non eviciſſet. Item quod litis, vehementi dimicantium Ordinum colliſione agitatæ deciſio, multorum votis ſit expetita: quod magnorum Regum poſtulatis provocata.

Hueti.

IIX. Sed ſolvitur iſte quoq; nodus, per ſuperius allata. Nimirum exſtare plures huic non diſſimiles, majoris etiam momenti gravioriſque ponderis quæſtiones, quarum deciſione ſicut Eccleſia, longo tractu, imò ab Apoſtolorum ævo ad hæc usque tempora, potuit carere, ita quoque hujus, citra interpoſitam infallibilis Judicis determinationem, impoſterum potuiſſe carere.

Omnium controverſiarũ infallibilis deciſio, nõ ſimpliciter neceſſaria.

XI. Credenda, inter quæ relatum volunt hoc Dogma, quod attinet, non pari paſſu ambulant, non æqua ſingula ſtringuntur neceſſitate. Alia, neceſſitate & medii & præcepti ſunt neceſſaria. Hæc abſolutè & ſimpliciter in ſummo neceſſitatis gradu ſunt neceſſaria: imò ſic ſunt neceſſaria, ut ne quidem invincibilis & inſuperabilis excuſet ignorantia, ignorantes potius æterno involvat exitio. Quæ ſolius, Divini quamvis præcepti neceſſitate ſunt neceſſaria, non ſic ſunt neceſſaria, ut nullus excuſationi ab ignorantiâ accerſitæ, relinquatur locus, vel non inveniat illa, dummodò non ſit affectata, ſed inſuperabilis, veniam. Aſt novum, admodum nuper canoniſatum atq; inter credenda relatum, *Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Dogma*, neque neſſitate medii, neque neceſſitate Divini præcepti eſt neceſſarium: atque ideò conſequenter, nullâ opus fuit infallibilitate pollentis Judicis definitione.

Nõ æqua credendorum neceſſitas.

Neceſſitas Medii.

Neceſſitas Præcepti.

X. Non eſt neceſſarium *neceſſitate medii*, ſcire & credere B. Vir-

Dogma immac. concept. non eſt ſalutis Medium.

B. Virginem θεοτόκον, ab Originali labe eſſe immunem; quia Dogma illud non eſt neceſſarium ſalutis adipiſcendæ *Medium*. Si enim eſſet tale ſaluti ſimpliciter neceſſarium medium, certa ejus notitia ab initio cognitu fuiſſet necesſaria. Et quotquot medium illud ignorarunt, vel ſalute exciderint, vel eandem, absque ſimpliciter necesſario medio cognito, obtinuerint. Quod eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Sicut igitur ſalvi, cætera ſi fuerint paria, facti ſunt omnes, quotquot immaculatæ conceptionis Dogma, ſive ignoraverint, ſive fidem ei non adhibuerint, ita quoque hodie ſalvántur, atque ſalvabuntur inpoſterum, absque Dogmate iſtoc vel cognito vel approbato.

Nulla eſt Præcepti neceſſitas.

XI. Nec eſt illud neceſſarium *necesſitate præcepti*, quia in universâ Scripturâ de perhibendâ fide ſic qualificatæ conceptioni unius mulieris, ullum exſtare præceptum, tantum abeſt, ut nullum de Beatâ Dei genitrice, è communi hominum à primo omnium Parente, per naturalem deſcendentium generationem, ſorte eximendâ, inveniatur veſtigium. Quorum pars adverſa facit indicium, ſic illa eſſe detrita & obliterata, ut prius in ſcirpo nodum, quàm in illis immaculatam conceptionem invenias, tunc oſtendemus, quando ad iſtarum ventum fuerit probationum examen. Enunciationes potius univerſales, omnes omninò, absque ullius exceptione, communi modó per viri fœminæque copulam prognatos, complectentes, B. quoque Virginem Deiparam, complectuntur, nec hanc excludi patiuntur. De facto verò eximere ullum hominem, quem non eximit ipſa Scriptura, fas non eſt. Sed illa, Dei hominiſque matrem S. Mariam, non eximit: Ergo eam eximere, fas non eſt. Ad deſcendendum in eandem nobiscum ſententiam, *Melchiorem Canum*, Theologum

Univerſalitas nullam admittit excluſionem

gum ex amuſſi Pontificium, vis veritatis adegit, quando Lib. VII. Locorum Theologicorum Cap. III. ita ſcripſit: *Quin imò lex Scripturæ generalis in iis traditur, quæ univerſos filios Adam, carnali ſcilicet propagatione creatos* (generatos) *ſine ulla exceptione complectitur.*

XII. Univerſales S. Scripturæ propoſitiones, omnes Adami poſteros, communi & conſueto modo prognatos, ſub peccatum trahentes, ſunt notiſſimæ. *In uno homine,* Adamo, *peccarunt omnes* Rom. V, 12. Si omnes, etiam B. Virgo. Et ibidem verſu 18: *Per unam offenſam reatus venit in omnes.* Si in omnes etiam in B. Virginem. Geneſeos V, 3. legimus, *Adamum genuiſſe filium, ſecundum ſimilitudinem ſuam:* Adæ autem natura, tunc quum generaret filium ad ſimilitudinem ſuam, per lapſum peccato erat corrupta. Atque iſta corruptio quum ei fuerit intrinſeca, quicunque ad ſimilitudinem ejus naſcuntur, cum ipsâ illâ intrinſecâ corruptione naſcuntur. Sed ne quis cavilletur, & intrinſecum in eſſentiale traducat, prævifæ objectioni occurrimus, dextra adhibita declaratione, quod per τὸ *intrinſecum*, hîc non intellectum velimus *eſſentiale*, ſed aliquid aliunde quidem adveniens & extrinſecum, naturæ tamen adeò firmiter adhærens, ut cum eâ non poſſit non propagari. Ita Paulus Epheſ. II, 3. dicit: *Eramus omnes naturâ filii iræ:* i. e. à naturæ initio rei iræ: quod Divinæ iræ reos faciens corruptio, ſic eſſet homini naturalis & intrinſeca, ut cum hominis naturâ incipiat, & cum eadem propagetur. Nempè naturale aliud eſt eſſentiale & intrinſecum, aliud accidentale & extrinſecum: quod naturæ in eſſe completo conſtitutæ, ceu accidens inſeparabile, usque adeò arctè adhæret, ut cum eâ incipiat & propagetur. De quâ τῷ *Naturalis* ſtrictiori & propriâ, laxiori & inpropriâ acceptione, in ſolutione quæſtionis, An imago

go Dei atque concreata dona, quæ primus Parens, peccando amiſit, *Naturalia* fuerint, an *Supernaturalia*, haud ita pridem, in Tractatu de *Vario hominis Statu*, plenius egimus. Sed ad B. Virginem ut regrediamur, aut illa non fuit ſecundum ſimilitudinem primi parentis, in quo omnes peccarunt, genita, aut intrinſeca inſeparabiliter adhærens corruptio, in hanc quoque generando fuit propagata.

XIII. Abſque omnibus aliis ſi foret, ſolus S. Pauli ad Rom. III. à verſu 9 usque ad 19 claſſicus locus, ad totum negotium conficiendum abundè ſufficeret. Iſta autem Divino afflatu Paulo inſpirata effata, non tantùm de actualibus peccatis, ſed etiam de Originali accipienda eſſe, inde liquet, quod univerſales propoſitiones, quales ſunt: *Omnes ſunt ſub peccato*: *Omnes deflexerunt*: *Totus mundus* i. e. omnes mundi incolæ, *obnoxius fiet condemnationi*; omnes omninò homines, cujuscunque illi fuerint conditionis, vel ſexus vel ætatis, includant & complectantur. Aut itaque easdem affirmativas B. Virginem includere, fateri, aut diffitentes, ex hominum numero & ſerie, excludere & ſupra communem hominum conditionem & ſortem eam efferre oportet. Quia verò SANCTIS & BEATIS, citra dubium aliqua præ aliis hominibus debetur prærogativa, Mariam, ſicut illa omnes alios homines Sanctos, ſanctitate antecellit, ita etiam dona ſanctificantia, excelſiori in gradu, quàm reliquos Sanctos, eſſe indeptam, non quidem dubitamus, neque tamen majorem iſtum gradum, tantæ perfectionis fuiſſe credimus, ut propter humanæ vitæ conditionem, defectum moralem non excluſerit. Meritò etiam BEATA & BENEDICTA prædicatur, non quidem quia ſicut ſine peccato Dei & hominis filium concepit, & ipſa ſine peccato ſit concepta, vel ideò quod Salvatorem mundi

Denominationis, perquam Maria Sancta, Beata & Benedicta dicitur, rationes.

mundi geſtavit excluſitque in lucem, ſed quod in eum, quem peperit, credidit, emanante Benedictione ab eo, quem in utero geſtabat. Hinc Elizabet Lucæ I, 42. ei dixit: *Benedicta tu inter mulieres*: & ℣. 45. *Beata quæ credidit*. Unde S. *Auguſt.* de Virginit. BEATIOR *erat Maria concupiſcendo fidem Chriſti, quàm carnem Chriſti. Materna enim propinquitas nihil ei profuiſſet, niſi felicius Chriſtum in corde quàm carne geſtaſſet.* Et quum annunciatum Chriſto eſſet, quod mater & fratres ejus foris ſtarent, cupientes eum videre, *Reſpondens dixit, Mater mea & fratres mei ii ſunt, qui ſermonem Dei audiunt & eum præſtant.* Fides autem eſt ex prædicati ſermonis ſeu Verbi auditu. Item Lucæ XI, 28. Servator *Ipſe dixit: Imò verò Beati qui audiunt Verbum Dei, & obſervant* vel cuſtodiunt *illud.* Auditus igitur Verbi Dei, ejusdemque cuſtodia Mariam *Beatam* effecit. Hinc *Auguſtinus*, in Johannem Tract. X. *Felix venter, qui te portavit. Et ille: imò felices qui audiunt Verbum Dei & cuſtodiunt illud. Hoc eſt dicere: Mater mea inde felix, quia Verbum Dei cuſtodivit.* Lucæ IIX, 21.

XIV. Adductum interim S. Pauli ad Rom. III locum, à quo ſumus digreſſi, quantum attinet, non de ſolis actualibus, ſed etiam de peccato ſimpliciter, quàm latè ejus ſignificatio patet, atque ſic de Originali quoque, Pauli verba eſſe accipienda, infitias haud eſt iturus, qui intellexerit, non omnes, qui aurâ veſcuntur, commiſiſſe peccata actualia, ſiquidem infantes, homines licet ſint, ab actualibus tamen peccatis reputantur immunes. Quamvis verò extiterint, qui etiam in utero latentibus actualia peccata tribuere ſunt auſi, non invenerunt tamen apud ullos, qui erroris participes ſint facti, aſſenſum. Quod ſi verò hi, nihilo tamen minus ſunt *ſub peccato*, atque ea propter *obnoxii*

ſunt futuri condemnationi, ſub alio quàm actuali peccato, eos eſſe, atque propter aliud condemnationi obnoxios eos fieri oportet. Sed non datur aliud præter Originale. Ergò etiam propter hoc, & ſub peccato eos eſſe, & condemnationi obnoxios fieri oportet, non tantùm infantes; ſed etiam B. Virginem: non quidem ideò, quòd ſicut illi, ita etiam hæc, ab actualibus peccatis, ſecundum Pontificios, fuerit immunis; ſed propter alias, jam tùm demonſtratas & amplius, ſuo loco, demonſtrandas rationes. Iniqua enim & inepta futura eſſet B. Matris Mariæ cum infantibus comparatio. Illa nempè digniori quàm infantes poſita fuit loco: neq; ætate neq; intellectu infans; quippè quæ gratiâ plena, gratiæ conformes operationes excellentisque intellectus actus edidit conſpicuos & eminentes. Nec tamen omnis humanæ fragilitatis ſic fuit expers, ut actiones ejus nullo defectui morali unquam fuerint obnoxiæ. De iſta ejus fragilitate atque in agendo defectu, fuſius, ubi prius rationibus & argumentis, Originalis Peccati maculas detergendi gratia, adferi ſolitis, parti adverſæ erit ſatisfactum.

Summa prius dictorum. XV. Huc verò usque probatum dedimus tantùm illud, quod ideò, quia S. Scriptura omnes in Adamo peccaſſe, omnes morti & condemnationi obnoxios eſſe factos, ſimpliciter & rotundè toties aſſerat & aſſeveret, nemini mortalium ſit integrum, à contracto per nativitatem ex Adamo peccato, excludere quenquam, quem ipſa Scriptura non excludat. Quandoquidem igitur B. Virginem, quæ & ipſa homo fuit, nullibi ſcripturarum, communi omnium reliquorum hominum ſorte exemtam reperimus, præter & contra Scripturam eandem eximere, nobis certè eſt religio.

XVI. Quapropter argumentum, è ſolius Chriſti per Scripturam exemtione deductum, eſt firmiſſimum. Nempè illa huic ſoli tribuit, quod ſine peccato Originali ſit conceptus & *à peccatoribus ſeparatus. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum eſſe factum.* II. Cor. V, ult. *Qui non novit peccatum,* τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν i. e. qui prorſus fuit à peccato alienus, cujus caro non facta eſt caro peccati, ſed *in ſimilitudinem carnis peccati*, ad Rom. IIX. quia neque contraxit, neque fecit, neque novit peccatum. *Argum. è ſolius Chriſti ex emtione.*

XVII. Amplius eſt quod eadem Scriptura, Chriſtum ipſum non ita nudè excipit, quin tantæ rei cauſam ſimul addat: nempè ideò, quod peculiari prorſus modo, nec ex ſemine virili, ſed de Sancto Spiritu conceptus ſit, eum ſanctum natum eſſe affirmat. B. Virgo autem non de Spiritu Sancto, ſed, ſicut apud omnes eſt in confeſſo, communi modo concepta eſt & prognata. Ideoque paſſim notanter diximus, de illis ſolis nobis nunc eſſe ſermonem, qui communi modo per viri fœminæque copulam & concubitum ſint geniti, ut Chriſtum; non ſic, ſed alio ſupernaturali modo, per Sancti Spiritus inumbrationem conceptum, excipiamus. *Chriſtus non ſimpliciter excipitur.*

XIIX. Ipſi quidem Adverſarii fatentur, Dogma iſtud non poſſe expreſſis Scripturæ dictis probari. *Bellarminus* Lib. IV. de amiſſ. gratiæ Cap. XV. §. Quod attinet. *Non eſt,* inquit, *expectandum, ut expreſſum Dei Verbum adferamus, aut certam aliquam Eccleſiæ definitionem, qua* videlicet *probemus, B. Virginem ſingulari Dei privilegio ab omni omninò peccato fuiſſe immunem.* Acceptamus hanc confesſionem utiliter, & ex Bellarmini aſſeclis quærimus. Si nec per *expreſſum Dei Verbum*, *nec per expreſſam aliquam Eccleſiæ definitionem*, illud quod obtendunt, *probatur*, quo fundamento *Argum. è Scripturâ.*

damento

damento noviſſima Pontificia Definitio nitatur? Pontificiorum tamen aliqui, ſine Scripturâ loqui, erubeſcunt, cum primis è Mendicantium Franciſcanorum Ordine Monachi, emendicati ſunt aliqua parum ad rem facientia, vel à *figura Chriſti*, vel *Evæ typo* longe petita dicta. *Adamus*, dicunt, *eſt figura Chriſti. Ille è terrâ nondum maledictâ, à Deo conditus. Ergo etiam ſecundus Adam ex Virgine, quæ omnis peccati & maledictionis expers, à Spiritu Sancto formatus.*

Ab Adamo figurâ Chriſti.

Reſpondemus: Argumenta juxta ſenſum Allegoricum, ob ſimilitudinem figuræ & rei figuratæ, admodum eſſe imbecillia, & mille pati exceptiones. Quod verò Adam typus ſit Chriſti, in terminis quidem affirmat Paulus Rom. V, 14. *Adam, qui typus eſt illius, qui erat futurus*, atque comparationem init inter *Primum Adamum*, & *Noviſſimum* ἔσχατον i. e. ſecundum ſeu poſteriorem *Adamum*; *Factus eſt*, inquit, *prior homo Adam, animal vivens: poſterior Adam, ſpiritus vivificus*: I. Cor. XV, 45: ſed quid hoc ad Mariam, ejusve immunitatem à P. O? Ecce conſequentiarum anfractus: Primus Adam, dicunt, creatus eſt *è terrâ nondum maledictâ*: Ergo ſecundum Adamum, *è virgine*, cujus *terra* i. e. materia ex quâ, non fuerit *maledicta*, i. e. quæ ab omni peccato eſſet munda, natum eſſe oportet. Sed etiamſi ponamus, Chriſtum naſci debuiſſe *ex muliere non maledictâ*, nondum tamen ſequitur: Mater, è quâ natus eſt Chriſtus, non fuit maledicta: Ergo & ab omni peccato extitit immunis. Non enim omnis peccator eſt maledictus: Siquidem etiam illi, qui in peccato extra controverſiam concepti & nati ſunt, audituri ſunt vocem Filii hominis, dicturi: *Venite benedicti Patris mei*, Matth. XXV. *Benedicti*, ſive quod idem eſt, *non maledicti* prædicatum, non præſtat illum, de quo prædicatur, ab omni peccato immunem. Sicut

nec

nec benedictionis oppoſitum, *maledictio,* eſt peccatum, ſed potius peccati conſequens, ejusdemque pæna, à Deo irrogata: juxta illud: *Ite maledicti in ignem* &c. Aut igitur maledictio non eſt peccatum, aut Deus eſt auctor peccati. Sed Deus non eſt auctor peccati E. maledictio non eſt peccatum. Si *Maledictio* non connotat in *maledicto* peccatum; *Benedictio* non connotat in *benedicto* immunitatem à peccato. Sed verum eſt prius, Ergò etiam poſterius. Benè igitur B. Virgo dici poteſt *nunquam maledicta,* ſed nunquam non, etiam in primo conceptionis inſtanti *Benedicta,* etiamſi non fuerit P. O. expers: ſiquidem *non eſſe maledictum,* & viciſſim *ab omni peccato eſſe immunem,* haud quaquam æquipollent.

XIX. Porrò, ſi ad eundem, quem indicavimus, modum, juxta ſenſum allegoricum, ob ſimilitudinem ſigni cum ſignato, figuræ cum figurato, validæ ſunt conſequentiæ atque collectiones legitimæ, validam legitimamque eſſe oportet iſtam: *David fuit figura Chriſti, David fuit natus ex matre peccato Originis obnoxia, Ergo etiam Chriſtus fuit natus è matrè peccato Originis obnoxia.* Atque ſic idem telum, in illud torquentem retorquetur. Aut deſinant igitur allegoriis ſic abuti, deſinant ſic argumentari, aut admittant pari paſſu ambulantes conſequentias: veluti ſi dicam: *Adam fuit figura Chriſti; Adam non eſt natus ex mnliere, ſed è terræ glebâ formatus. Ergo etiam Chriſtus non eſt natus è muliere, ſed è terræ glebâ formatus.* Atque ſic bellè cedunt ab *Adamo, figurâ Chriſti,* ducta argumenta.

XX. Ab Adamo tranſiliunt in Evam. *Eva,* ajunt, *fuit typus ſeu figura B. Virginis. At Eva fuit primum ſine peccato formata; Ergo etiam B. Virgo fuit ſine Originali peccato* *Ab Evâ B. Virginis Typo.*

cato

cato concepta. Aſt nihilo felicius cedit argumentatio à typo Evæ ducta, quàm ceſſit ducta ab Adæ figurâ. Nihil nunc dicam de eo, quod *S. Scriptura Evam nullibi ceu typum Mariæ proponit.* Fingere autem figuras, quas ipſa Scriptura non commonſtrat, neque Epiphanio (cujus mentem iſta ſubiit figura) neque Patribus in univerſum omnibus eſt integrum: quamvis horum aliquos, in comparationes undecunque petitas & conquiſitas, magis interdum curiosè quàm ſolidè dilabi, diffiteri non poſſimus. Largiamur tamen tantiſper, fuiſſe Evam Mariæ typum, non tamen poteſt typo vel figuræ in figuratum talis tribui influxus, qualem tribuit pars adverſa. Si enim ideò, quod *Eva* fuit *typus B. Virginis*, hæc pariter ſine P. O. fuit concepta; ſicut illa ſine peccato fuit formata, propter eandem typi vim & efficaciam, ſeu propter ejus, quod in figura eſt conſpicuum, in figuratum influxum, B. Virgo nec fuerit concepta, nec nata, ſed è coſta viri formata.

XXI. Sed audiamus adhuc unum è figuræ cum figurato comparatione ductum argumentum. *Quemadmodum Eva*, ajunt, *mater eſt omnium viventium vita animali: ita Maria eſt mater omnium viventium vita ſpirituali.* Argumentum foret tale: Sicut Eva mater omnium viventium vitâ animali, condita eſt, ita quoque Mariam matrem omnium viventium vitâ ſpirituali, conditam eſſe oportet. Sed Evâ mater omnium viventium vitâ animali, condita eſt ſine peccato: Ergo Mariam matrem omnium viventium vitâ ſpirituali, conditam eſſe oportet ſinè peccato. Primò, jubeo hîc unum vel Evangeliſtam vel Apoſtolum teſtem producere, qui Mariam *omnium viventium vitâ ſpirituali, matrem* ſit profeſſus, ſicut omnes, Evam, omnium vitâ animali viventium matrem agnoſcimus. Non verò ſicut ab Eva vitâ animalis unà cum P. O. in omnes Adami

poſteros

poſteros eſt propagata, ita quoque à Mariâ vita ſpiritualis, in ejusdem propagata eſt poſteritatem. Spiritualem vitam, non Mariæ, ſed ejus Filio acceptum ferunt, quotquot ea ſunt potiti atque ſunt potituri in poſterum. Cæterùm ſicut non eſt toleranda probandave in figuris fingendis audacia, ita nihil juvant audaculos iſtos è figuris exterebratæ comparationes, quia non verè dicitur de figurato, quicquid ineſt in figura. Qua propter, ſi dixerint: Quod ſicut Evæ prima initia peccato prorſus caruerint, ita quoque primam S. Mariæ conceptionem, quæ inanimationem præceſſit, peccato prorſus caruiſſe; ita inquam, ſi dixerint, reſpondendum fuerit: nullam cogere neceſſitatem, ut quicquid ſive perfectionis ſive imperfectionis in figura extitiſſe deprehendimus, figurato quoque tribuamus, niſi Mariæ tribuere velimus, quod ſicut Eva prævaricata juſtitiam originalem amiſit, ita quoque illa prævaricata, eandem amiſerit juſtitiam. Accedit quod affirmantes ipſam primam conceptionem à peccato fuiſſe immunem, ipſum Bellarminum habituri ſibi ſint contrarium & contradicentem, quippè qui primam Mariæ conceptionem, omnium ab Adamo deſcendentium conceptioni parem fuiſſe non negat. Imò Lib. IV. de Amiſſ. Gratiæ, *B. Virginem tribus temporibus peccato fuiſſe obnoxiam*, demonſtrat.

XXII. Credere jubentibus, quod ſicut Deus Adamum in creationis initio à peccati labe immaculatum creare, atque Chriſtum à peccato immunem in utero matris formare, potuerit, ita quoque matrem ejus liberam à peccato formare *potuiſſe*: ita inquam, credere jubentibus regero: A poſſe ad eſſe non valere argumentum. Qui poteſt & vult, ille demum agit. Eſt autem hìc quæſtio facti, non *quid Deus poſſit*, ſed quid facere voluerit, & actu completo fecerit. *A poſſe ad eſſe non procedit argum.*

E Jobi III. de Luce & Aurora.

XXIII. Sed non prætereundus eſt alius V. Teſtamenti locus, S. Jobo, alioqui ſatis ſuperq; torto, violenter extortus. Exſtat ille Jobi III. 9. ubi de Diabolo dicitur: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* In his verbis & Chriſtum & B. Virginem inveniſſe ſibi viſus eſt *Thomas Aquinas*: ita enim illa explicat: *Expectet Lucem i. e. Chriſtum, & non videat, quia nihil iniquitatum incurrit in Sapientiam, quæ eſt Chriſtus, ut dicitur Sapient. VII. Nec ortum ſurgentis Auroræ i. e. B. Virginis, quæ in ſuo ortu à peccato Originali fuit immunis.* Contendit Thomas hoc in loco, per *Lucem* Chriſtum, per *Auroram* B. Virginem intelligendam. Quare verò? Quia Chriſtus Joh. IIX de ſemetipſo dicat, quod ſit *Lux mundi*: & quod per *Auroram*, Eccleſia B. Virginem intelligat, ſicut Cantici VI. *Columba* illa dicitur eſſe, *quæ videatur velut Aurora.* Nunc verò omnes *Angelici Doctoris* veneratores obteſtor, velint illi expendere, Angelicumne an humanum ſapiat argumentum, in quo nulla conſequentiæ vis comparet: ſi enim eſſet aliqua, nihilo poſſit eſſe melior quàm eſt, ſi dicam: In S. Scripturâ *Chriſtus Lucis*, atque *B. Virgo Auroræ* nomine ſemel atque iterum venit: Ergo nunquam in Scriptura lucis fit mentio, quin ubique intelligatur Chriſtus: nunquam Aurora nominatur, quin intelligatur B. Virgo. Inſpiciant velim Concordantias, (quo nomine univerſalis ſuper Biblia Index venit) periculumque faciant, quid futurum, ſi toties quoties *Lucis* fit mentio, applicatio dirigatur ad Chriſtum: quoties *Aurora* memoretur, applicetur illa ad B. Virginem? Quod ſi verò in ſpecie Jobi III. facienda eſt applicatio, quare non fecerunt alii Jobi Interpretes? Audiamus alios Scholaſticos Doctores, nihilo minus Catholicos quàm fuit Thomas. *Dionyſius Carthuſianus*: *Nox*, inquit, *decoratur*

coratur ſpe diei, quod removens addit: Expectet lucem, & non videat, nec ortum fugientis auroræ, quatenus tenebræ ejus nec finiuntur per diem, nec minuuntur per auroram, quod intelligendum eſt, ſicut de die prædicatum eſt. Item paulo aliter *Lyranus* in Poſtilla. Nox illa, in qua Job conceptus eſt, cui hîc maledicitur, *Utinam fuiſſet talis, quod homines præ horrore illius, deſiderarent lucem diei, nec tamen videretur ab eis, nec etiam ſignum auroræ ſurgentis, quæ præcedit lucem Solis.* Audiatur juxta hos quoque ætate illis quidem inferior, dignitate tamen major *Thomas de Vio Cajetanus* Cardinalis. Ita verò ille ad verba: EXPECTET LUCEM ET NON VIDEAT. *Juxta Hebræum habetur,* ſperabit lucem & non, *ſubauditur,* erit. *Privationem ſtellarum crepuſculi, tàm veſpertini quàm matutini, prius imprecatus eſt.* Hoc verò quid ad Chriſtum, de quo Joh. IIX. quod *Lux mundi* ſit, prædicatur? *Modo,* pergit Cajetanus, *privationem omnis lucis* imprecatur, nempè his verbis: NEC ORTUM SURGENTIS AURORÆ. *Juxta Hebræum habetur,* & non videbit palbebras auroræ. *Metaphorice prima initia auroræ, appellantur palpebræ auroræ, tanquam partim retegentia, & partim monſtrantia auroram: ut enim penitus nox illa privata ſit lumine, imprecatur, ut nec videat palpebras tegentes auroram.* Quid verò palpebris auroræ commercii cum B. Virgine? Certè toto hoc III. Jobi Capite, nec Chriſto, nec B. Virgini, vel feritur vel metitur: altum potius apud Interpretes de utriſque eſt ſilentium.

XXIV. Porrò, deficientibus argumentis melioribus, manifeſtis nitentibus Scripturis, in figuras defixi, illis inhærent. Eccum igitur Chriſtum in Melchiſedecho à Paulò figuratum. Illius Matrem dicit, ſine patre & ſine *Argum. à Melchiſadek typo Chriſti.*

matre & ſine genealogia deſcribi, ſicut Paulus deſcribat Melchiſedek. Sed ut verborum faciamus compendium, prolixa illa deductio, in Syllogiſmi redigenda eſt formam. *Quicunque deſcribitur ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, is eſt omnino expers peccati.* Ratio eſt: quia Melchiſedek, qui Chriſti abſque peccato concepti & nati fuit figura ἀγενεαλόγητος fuit. *Atqui Maria ita deſcribitur, Ergo Maria eſt expers peccati.* Aſſumo Majorem quæ *Salmeronis* eſt, & ſubſumo de ipſo Melchiſadecho. Melchiſadek, ſecundum Paulum, deſcribitur ſine patre & ſine matre & ſine genealogia. E. Melchiſedek fuit ſine peccato. Nec tamen ullus extitit hactenus, qui illum ab omni peccato vindicare ſit auſus. Et quæ conſequentia Majoris? Maria deſcribitur ἀγενεαλόγητος ſicut Melchiſedek, Ergo ſicut Melchiſadek fuit Chriſti omnis peccati expertis figura, ita Maria ἀγενεαλόγητος ſicut Melchiſedek fuit abſque peccato.

XXV. Deinde falſum etiam eſt, Mariam deſcribi ἀγενεαλόγητον ſicut Melchiſedek: Hic tamen quia non eſt natus inſtar fungi, univerſale illud obtinere oportet, ab homine eſſe natum, quamvis parentes ejus nullibi Scripturarum nominentur. Atque iſta parentum occultatio, anſam præbuit Paulo, eum ἀγενεαλόγητον appellandi.

XXVI. Mariam quod attinet, non tantùm nata illa eſt, more omnibus aliis hominibus communi, ſed & extat inſuper ejus genealogia in Scripturâ. Etenim dicitur Eliſabet ejus cognata: unde neceſſe eſt genealogiam utrique fuiſſe communem. Deinde eſt etiam illa, & in ſcriptura audit, filia David, Abraham. Et cujus intuitu ipſe Chriſtus, Matth. I. filius David & Abraham nuncupatur, ſi non intuitu matris, quæ ex illorum fuit poſteritate? Quæcunque au-

que autem perſona filius filiave eſt David & Abraham, illa perſona non eſt ἀγενεαλόγητος. Sed Chriſtus & Maria ſunt tales perſonæ: Ergo non ſunt ἀγενεαλόγητοι. Deniq́ue genealogia à Matth. & Lucâ deſcripta, eſt genealogia & Mariæ, & *propter Mariam* deſcripta. Nempè ut eximatur omnis dubitatio de Mariâ, quod illa ſit ex poſteritate & domo David, è quâ Meſſias erat proditurus. Ideò verò *propter Mariam* genealogiam iſtam ſcriptam, notanter dicimus, ut extorqueatur cavillandi anſa, ne, genealogiam Adami, quæ in Geneſi & Chronicis extat, eadem ratione ad Melchiſadekum pertinere aliquis dicat. Non enim eo modo illa ad Melchiſadekum pertinet, quomodo Genealogia *Chriſti* pertinet ad Mariam: quia hæc propter Mariam eſt conſignata. Adami verò non propter Melchiſadekum: qua propter ille à Paulo dicitur ἀγενεαλόγητος.

XXVII. Deſcribi autem tùm à Matth. tùm à Lucâ Genealogiam, *propter Mariam, non propter Joſephum,* inde liquet, quod deſcribatur *propter Chriſtum*: quia ille non à Joſepho eſt genitus, ſed è Mariâ natus. Erat autem Evangeliſtis oſtendendum, quâ ſerie Chriſtus ortum duceret ab Abrahamo & Davide. Illud vero præſtitum haud eſſet, ſi genealogia iſta ad Mariam non pertineret, vel ſi non *propter Mariam* eſſet ſcripta: nimirum ad demonſtrandum, hanc eſſe ab Abrahamo & Davide deſcendentem & derivatum traducem aut ſurculum, è domo Davidis enatum.

XXVIII. Cæterùm benè notare, atq́ue tanquam univerſalem Scripturam interpretandi regulam ſuſcipere & obſervare oportet, quod *à ſolo literali ſenſu peti poßint argumenta efficacia: non verò è typico, figurato, allegorico & myſtico, niſi illo, quem Scriptura ipſa commonſtraverit.* Si- *Scriptura allegorias interpretandi regula.*

enim typus, ſive illud quod litera propriè ſignificat, ita accommodetur, ſicut ipſa Scriptura accommodat, tunc ſenſus, qui emergit, literalis eſt ſenſus. Rectè igitur Thomas I. Parte Quæſt. I. a. X. *Literalis ſenſus non eſt ipſa figura, ſed id quod eſt figuratum.* Non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, eſt literalis ſenſus, quod in Deo ſit hujusmodi hominis membrum, ſed id, quod per hoc membrum, ſignificatur. Proinde æquum non eſt, ut quisquam in myſteriis Religionis, figuras pro arbitrio ſibi fingat, ſed accipiat potius ab ipsâ Scripturâ. Atque hoc eſt unum, cujus multiplex ſicut futurus eſt uſus, ita ſtudiosè & ſolicitè obſervandum commendamus.

XXIX. Alterum eſt, cujus haud minor futurus eſt uſus: nempè, *Figuras*, quotquot harum in Scripturâ proponuntur, conſiderandas eſſe κατά τι, non ἁπλῶς. Ex. gr. David fuit typus Chriſti aut κατά τι, aut ἁπλῶς. Si poſterius: etiam quatenus David peccato fuit obnoxius, fuerit Chriſti typus; & conſequenter, hic non minus quàm ille peccato obnoxius. Sed quia Chriſtus nulli peccato fuit obnoxius, inde fit manifeſtum, quod David non ἁπλῶς non ſimpliciter ſed κατά τι, ſecundum quid, fuerit typus Chriſti. Qua propter è figurato ſenſu non poſſunt erui typo omnibus numeris conformes, ſed ſaltem κατά τι ſecundem quid, ſive aliquam figuræ proprietatem, figurato convenientes conſequentiæ. Faciunt iſta, & ad eorum quæ de Adamo, qui Chriſti fuiſſe perhibetur, figura & de Evâ typo Mariæ ſunt dicta, & porrò ad reliquorum, non diſſimilium Scripturæ locorum illuſtrationem, erunt dicenda.

XXX. Pergimus nunc ad alia è Scripturâ deprompta loca. Familiam ducit atq; inter alia, pro immaculatâ conceptione à Scripturâ extorta argumenta eminet illud,

quod

quod à *ſerpentini capinis contritione*, è Geneſeos Cap. III. depromunt. Nimirum *Valentinus Gerbardus* Tractatu I. Parte III. ita argumentatur: *Quæ mulier contrivit caput ſerpentis, illa expers fuit omnis peccati. At Virgo Maria eſt iſta mulier, quæ contrivit caput ſerpentis. Ergo Virgo Maria expers eſt omnis peccati.* *E Proto Evang. & ſerpentini capitis cõtritione petitum argum.*

XXXI. Antiqua ſuperſtitionis plena hæc eſt cantilena, quam diu plenis buccis cecinit univerſus Mendicantium Monachorum chorus. Sed quia ibi non de muliere, ſed de *Semine mulieris* eſt ſermo, erroneam, præconceptam, cum corruptione textus conjunctam opinionem ſubſternens argumentum, commuto cum tali: *Quicquid contrivit caput ſerpentis, illud expers fuit peccati. At non mulier ipſa, ſed ſemen mulieris eſt illud, quod contrivit caput ſerpentis. Ergo non mulier ipſa, ſed ſemen mulieris eſt expers peccati.* Dicturi forte ſunt, petere hoc argumentum principium & ſupponere illud, quod in quæſtione verſatur. Probanda igitur eſt Minor argumenti propoſitio. Per ſemen mulieris, ipſe *Chriſtus Meſſias*, è muliere virgine, viri inexpertâ naſciturus, intelligitur. Vocatur autem *Meſſias Semen mulieris*, quia ex ſemine mulieris, citra viri ſemen erat naſciturus. Textus corruptionem, quod pro maſculino *Ipſum*, ponitur fœmininum *Ipſa*, tàm copiosè & luculenter demonſtarunt è Noſtratibus B. D. *Johannes Gerbardus*, in Confeſſ. Catholicâ, & è Reformatis *Daniel Chamier*, Panſtratiæ Catholicæ Tomo III. ut poſſit nec copioſius nec luculentius. Totius rei ſummam in compendium redactam, complectimur illis, quæ hanc in rem, B. Parens meus Lucubrationibus in Vetus Teſtamentum, ad illum Geneſeos locum eſt commentatus. *Quod Pontificii*, ait ibi, *pro maſculino fœmininum legunt, eſt contra fidem*

omnium codicum & Maſoræ, contra conſtructionem cum verbo maſculino, & quod majus ac validius adhuc eſt, cum affixo maſculino contra verſionem LXX. & trium Targumim, quæ ſubjungemus. Onkelos ita habet: *Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & inter filium tuum & filium ejus, IPSE memor erit iſtius, quod feciſti ei olim, & tu obſervabis eum ad finem.* Hieroſolymitanum Targum, ex interpretatione Pauli Fagii ſic habet: *Et erit, quando filii mulieris operam dabunt legi & fecerint præcepta, tunc ſtudebunt tibi conterere caput & occident te, quum verò deſeruerint filii præcepta legis nec ſervabunt mandata, tu operam dabis, ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis: veruntamen remedium erit filiis mulieris, tibi verò ſerpenti nullum erit remedium, quandoquidem futurum eſt, ut amoveant morſum, quia factus eſt in calcaneo, in fine dierum, in diebus ſcilicet Regis Meſſiæ.* Cum hoc conſentit Targum Jonathan, cujus ultima verba ſunt: *Et erunt illi, ut habeant medelam, in calcaneis in diebus Regis Meſſiæ.*

XXXII. Quod ſi verò nobis Proteſtantibus noſtratibusque Theologis credere nolunt, credant ſaltem horum domeſticis S. Scripturæ Interpretibus. *Santes Pagninus*, atque hujus verſionis cenſor & emendator *Ben. Arias Montanus*, uterque ita reddidit: IPSUM *conteret tibi caput.* Cum his facit *Franciſcus Georgius Venetus*, cujus Problem. LV. de mundi fabricatione hæc ſunt verba: *Quis contrivit caput ſerpentis, & cujus calcaneo inſidiatus eſt ſerpens?* EX FALSA TRADUCTIONE *quæ habetur: Ipſa conteret caput tuum, Latini communiter tribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum.* Et non ignobilis inter Pontificios ſcriptor, *Auguſtinus Steuchus* in Recognitione: IPSUM *conteret tibi caput. Non refertur itaq; ad mulierem,*

rem, ſed ad EJUS SEMEN, *qua interpretatione pleriq; decepti, malam expoſitionem invexerunt in hunc locum.* Acerrimus etiam dogmatum, quæ Pontificiis ſunt propria, propugnator *Melchior Canus* libro II Locorum Cap. XV: *Hieronymus legendum ait, IPSE conteret tibi caput, non IPSA. Quum enim apud Hebræos neutro genere ad ſemen referatur, interpres rem ſignificatam perpendens, in maſculino genere tranſtulit IPSE, quod imperiti non intelligentes, vitiumq; ſcriptoris exiſtimantes, ſubſtituerant IPSA.* Superſedeo plurium allegatione. Si qui Pontificiorum pertinaciter ſint inhæſuri corruptæ verſioni, illi cum his fratribus ſuis germanis, de legitimâ interpretatione, prius quàm nobiſcum congrediantur, certent.

XXXIII. Quamvis verò plures ſint quàm è re eſt, qui in ſequiorem inclinant ſententiam, fecerint tamen illud, ſuo periculo, citra rectiora edoctorum meliusque ſentientium præjudicium. Horum aliqui, ex errore è fontium manante ignorantiâ, alii, denſam ignorantium multitudinem ſequuti, errarunt. Nempè abripiuntur quandoq; etiam prudentiores in conſortium erroris, in quem magno impetu, præconceptis opinionibus faſcinata plebs ruit. Hoc illi, illi qui non ſaltaſſet ſi non lyraſſet Lutherus, obtigiſſe videtur, quippè qui in Poſtillâ ſuper Cap. III. Geneſ. uni & ſoli Filio debitam contritionis efficientiam, inter utroſq;, Matrem Filiumq;, dividit: *Quia*, inquit, *per ipſam, mediante filio ſuo, poteſtas Demonis eſt contrita.* Si mediante filio facta eſt poteſtatis contritio, certè mater non contriverit, ſed omnis conterendi virtus, redundaverit in mediatorem, cujus divina mediante potentia, exſecutioni mandata & in rem traducta ſit contritio. Quamvis verò hunc in modum, aſperior delicatas aures radens Lyræ ſtridor, quodammodo

emolliatur, *D. Lutherus* tamen, hujus aliàs ſæpè veſtigia legens, τὸ *per ipſam*, nec tolerare, nec concoquere potuit, quod aliquid cauſæ efficientis contritionem, etiam in B. Virginem transferre niſus ſit Lyranus. Commentario igitur in Geneſin, ubi ad iſtorum Dei verborum ei eſt ventum expoſitionem, graviter Lyram ſuum obiurgat, his verbis: *Quis non miretur, imò non execretur ſatanæ malignum conſilium, qui hunc locum pleniſſimum conſolationis, de Filio Dei, per ineptos interpretes tranſtulit ad Mariam virginem. Nam in omnibus Latinis Bibliis ponitur pronomen in fœmino genere.* Et IPSA conteret. *Ac Lyra, qui tamen Hebrææ linguæ non rudis fuit, hoc errore, tanquam graſſante & magno impetu ruente flumine, abripitur in impiam ſententiam, ut non obſtante textu, hunc locum accipiat de B. Virgine, per quam, Filio mediante, vis ſatanæ fracta ſit.* Atque ſic juſta Lutheri indignatio, amicum aliàs ſibi gloſſatorem increpuit.

Lutherus Lyram reprehendit.

XXXIV. Ipſum interim immaculatæ conceptionis Dogma, *B. Luthero* ſic fuiſſe adverſum ut tolerare illud non poterit, tantum abeſt, ut non obſcurè illud in expoſitione Evangelii de conceptione Mariæ, probaverit, verbis quæ excerpta hîc recitamus. *Dignum & juſtum erat Mariæ perſonam ab Originali peccato præſervari, de quâ Chriſtus ſumturus erat carnem, quæ omnia peccata ſuperaret.* Et ibidem iterum. *Mariæ conceptiò piè creditur, ſine Originali peccato facta eſſe, ut ſcilicet in ipſa animæ infuſione, unà etiam ab originali peccato purificata fuerit, Divinis dotibus redemita, ad accipiendum ſanctam animam, à Deo ipſo infuſam. Atq; ita in primo momento, cum vivere inciperet, omnis peccati expers erat.* Quantumvis verò *Mariæ conceptionem* hîc memoret Lutherus, quæ tamen ſequuntur, & haben-

Lutherus immaculatam cōceptionem non improbavit.

habenda ſunt inſtar uberioris antecedentium explicationis, immaculatæ *Nativitati* magis quàm *Conceptioni*, minimùm illis, qui conceptionem ſeminis, animæ infuſionem præcedentem & tempore priorem, peccato maculatam ſtatuunt, favent. Ita inquam Pontificiorum aliquos, Dominicanos videlicet ſtatuere; quamvis equidem non capiam, quomodo caro nondum animata, Peccato Originali cujus, quam diu extitit inanimis, non fuit capax, inquinari potuerit? (quod enim non carnis ſed animæ eſt vitium, non illi ſed huic ad hæret, perfectionisque non illi ſed huic adeſſe debitæ privationem ſignificat illud carnem vitiare nequit.) Cæterùm Lutheri ætate, de immaculatâ B. Virginis conceptione, tanquam de problematicâ, fidei fundamentum non attinente quæſtione, in utramque partem eſt diſputatum. In partem affirmantem euntes, excuſare quodammodo potuerit, quod immaculatam conceptionem, per *ſingulare aliquod gratiæ privilegium* factam docuerint, hominemque naturâ à peccato haud naſci immunem, ſint confeſſi. Verùm quum à communi lege eorum, qui de ſemine virili naſcentes, genitalium ſordium conditionem trahunt, nec Maria excipi debeat, ſiquidem nullibi eam ſacra excipit Scriptura, erraverit Lutherus, cum errantium multitudine, ſicut etiam Lyram deliraſſe paulò prius oſtendimus.

XXXV. Neq; veroſimile eſt, ita ſententiæ iſti inhæſiſſe Lutherum, ut ferre non potuerit diſſentientes: quippè qui S. Mariam ſic naſci, *Dignum & juſtum eſſe* perhibet. Nec tamen ignorare potuit, quàm imbecillia ſint, in quæſtionibus facti, à congruo deducta argumenta. Aliàs probè rem geſſiſſet Monachus ille, qui dixit: *Indiſcretus fuisſet Dominus, ſi non reliquiſſet aliquem infallibilem controverſiarum Judicem.* Quia verò non quæritur quid Eccleſiæ con-

veniens, commodum & utilè ſit, ſed quid Dominus fecerit, an ejuſmodi infallibilitate pollentem Judicem conſtituerit? à commodo petitum argumentum nihil (deficientibus maniſeſtis Scripturæ teſtimoniis) probat. Ad eundem modum, in hac quæſtione, à perſonæ *dignitate*, *congruo & convenienti* ductum argumentum, in præſenti quæſtione facti, nihil amplius, tacente de facto Scripturâ, probat, quam probat, in priori quæſtione, à convenientia accerſitum argumentum; verbo, in *nihilum*, tenueſque ſolvitur in auras.

Argum. ab Angelicâ ſalutatione,

XXXVI. Deinde etiam ex Angeli honorificâ ſalutatione, argumentum pro immaculata conceptione extorquere incaſſum laborant. Salutationis ſumma hæc eſt: *Ave gratia plena, Benedicta in mulieribus.* Inde ubi formaverint argumentum ita concludens, *Ergo beata Maria immaculatè ſine peccato eſt concepta*, erit de quo ipſis gratuler. Aſt non regia via incedunt iſti Purificantes, ſed per conſequentiarum eunt ambages & anfractus, quando gyros agunt tales: Quæcunq; mulier, eſt gratiæ plena, illa peccati eſt expers: *Sed B. Virgo eſt gratiæ plena: Ergo B. Virgo eſt peccati expers.* Item: *Quæcunq; eſt Benedicta in mulieribus, illam privilegio præſervationis ab Originali peccato, munitam eſſe oportet. Sed B. Virgo eſt Benedicta in mulieribus.* Ergò. Omnis argumentorum vis, in duobus ſita eſt epithetis, quæ Angelus compellans, Virgini tribuit, quando κεχαριτωμένην *gratia plenam &* Ευλογημένην *Benedictam* eam prædicat.

A plenitudine gratiæ.

XXXVII. *Ad primum* reſpondetur: Vulgatum interpretem, qui κεχαριτωμένη per τὸ *Gratia plena* reddidit, non ſignificanter expreſſiſſe vim vocis Græcæ, ſignificat enim *gratificatam* ſeu *gratis dilectam.* Iſtius autem favoris cauſa in

ſa in ſola Dei gratuita benevolentia, atq; adeò in ipſo Chriſto, cujus mater erat futura, reſidet. Habemus nobis conſentientem Pontificium Interpretem *Didacum Stellam*, qui vocabulum κεχαριτωμένη in cap. 1 Lucæ, ſic explicat: *Beneficiis à Domino affectam, indulgentiis & immunitatibus decoratam, majores favores & gratias à Domino conſecutam, quàm omnes quæ fuerunt quæq; inpoſterum ſunt futuræ.* Iſtis verò omnibus poſitis & conceſsis, nondum tamen licet inferre, *Ergo beata Maria immaculatè ſine peccato eſt concepta.* Idem Stella propius ad rem accedit & ſignificantius exprimit, quando ibidem commendat *Interpretem qui verterit, Ave gratioſa*, *rectè* enim eum *tranſtuliſſe* affirmat, atq; addit: *Hic ſenſus, qui germanus & genuinus eſt literæ, nihil à Virginis honore detrahit, imò ipſius honor maximè hac explicatione augetur, quia dicere, eam eſſe gratiâ plenam, ſi de gratiâ gratum faciente intelligamus, etiam de quolibet juſto dici poteſt, vel de infantulo ſolum octo diebus nato, qui jam baptiſmum ſuſcepit. At quod dicat Angelus, magnum favorem illam obtinuiſſe erga Deum, maximum quiddam eſt.* Largior & concedo *maximum quiddam*, attamen non tantæ eſſe molis, quantæ eſſe debebat immaculatam & ab originali labe immunem conceptionem includens generatio. Si τὸ gratioſum eſſe, magnumq; favorem obtinuiſſe apud Deum, immunitatem à peccato Originali neceſſariò complecteretur, non tantùm B. Virgo, ſed omnes omninò fideles ab eo eſſent immunes, juxta illud Epheſ. I. 6. *In laudem glorioſæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificavit nos* ſive gratis fecit gratioſos, *in dilecto.* Quia verò Paulus vocabulum illud omnibus tribuit fidelibus, oportet eſſe *commune.* At quod commune eſt, illud nullo prætextu ſic poteſt tribui uni, ut reliqui omnes è benefi-

 cii

cii iſtius communione excludantur. Vultis veſtri ordines plures? conſultum ite *Salmeronem* & *Cornelium Janſenium.* Ille Tom. III Tract. V: κεχαριτωμένη *eſt, quam gratuitâ ſuâ bonitate Deus gratam, & caram & acceptam habuit* Si gratia quæ in Deo eſt, & extrinſecè reſpicit objecta, immunitatem ab peccato Originis importat, omnes qui in ſtatu gratiæ apud Deum ſunt, de iſtâ immunitate ſibi poterunt gratulari. Cor. Janſenius, in Concordia ſua Evangelica Cap. III: *Quod nos habemus*, inquit, *gratiæ plena, Græcè eſt,* κεχαριτωμένη, *participium paſſivum, à verbo* χαριτόω, *quod eſt gratifico, vel gratum facio, proinde ad verbum ſonat, gratificata h. e. quam Deus ſingulari & gratioſo ſuo favore ſibi gratam fecit & gratam habuit.*

XXXVIII. Propoſitio etiam, quam adverſa pars, pro univerſali ſubſternit: *Quæcunque mulier eſt* κεχαριτωμένη, *& beata in mulieribus, ea eſt expers peccati:* iſta, inquam, propoſitio, non eſt univerſaliter vera, quia eodem elogio mactantur *Jahel* & *Judith.* Prior Judicum V, 24: *Benedicatur præ mulieribus Jahel uxor Heber Cinæi, præ mulieribus quæ in tabernaculo benedicuntur.* Alteram Ozias ſic, ſicut Angelus Mariam, *Benedictam ſuper omnes mulieres terræ* prædicat, Judith XIII, 23. *Benedicta es tu filia, à Deo altiſſimo, ſupra omnes mulieres terræ.* Sicut verò non ſequitur: Jahel & Judith *Benedictæ* prædicantur, *præ mulieribus,* & hæc quidem ab ipſo *Deo altiſſimo, ſupra omnes mulieres;* Ergo utraq; ab Originali labe immunis, eſt concepta: Ita etiam non ſequitur: S. Maria *Benedicta* prædicatur non quidem ab ipſo *Deo altiſſimo*, ſed ab ejus nuncio & miniſtro *Angelo.* Ergo S. Maria ab Originali labe immunis eſt concepta atq; ab omni, in conceptione contractâ maculâ, immunis.

XXXIX. Ne-

XXXIX. Neque etiam neceſſum eſt, ut benedictionis prærogativa, quâ omnes & ſingulas mulieres antecellit, cum aliis imperfectionibus etiam maculatæ conceptionis imperfectionem excludat. Quod enim facta eſt mater Dei, eſt prærogativa & eminentia tam excellens, ut ſuperet & excedat omnem muliebrem conditionem, atq; majus ſit, quàm unquam habere potuerunt, mulieres vel ſingulæ, vel in univerſum omnes. Quæ tamen prærogativa; ſicut non excludit alias, ſequiorem ſexum comitantes infirmitates, ita etiam non excludit in conceptione contractam connati peccati maculam: ſicut quoq; benedictum, ſive *non maledictum* eſſe, non excludit omne peccatum: ſiquidem etiam peccatores quandoq; vocantur benedicti, quod paulo poſt plenius demonſtrabimus.

XL. *Ad alterum* à benedictione accerſitum argumentum ſolvendum, ſola τȣ̃ εὐλογημένȣ ſignificatio evoluta, eſt ſufficiens. *Benedicta* εὐλογημένη, eſt illla quæ præ ceteris mulieribus, felix & beata à Deo eſt præſtita. Ecquis verò ſobrius, de omnibus iſtis prærogativis Dei genetrici moverit controverſiam, vel non potiùs hanc, reliquarum omnium mulierum perfectionem & præſtantiam infinitis partibus ſuperaſſe, agnoverit? Quod autem hîc variant Interpretes: alii *Gratioſam*, ſicut Stella: alii *Gratificatam* ſicut *Salmero & Janſenius*, interpretantur, nihil mirum, ſiquidem, nullum eſt latinum unum vocabulum, quod ſic reſpondeat Græco χαριτόω, ut hujus ἐνέργειαν adæquet: unde factum, ut quisque proprium adhibuerit judicium. Interim à magnificis, quibus maximo ſuo merito ornatur Deipara, encomiis deductum argumentum (quod ut ducturis benè cedat precamur) in concluſionem iſtam, *Ergo B. Maria, immaculatè & ſine peccato eſt concepta*

A Benedicta encomio.

cepta deſinens, exſpectabimus, & quàm primùm illo formato, illud pars adverſa quod ei eſt evincendum evicerit, manusque pedesque ad injiciendum nobis compedes, ſumus porrecturi.

XLII. Haud equidem ignoro, obtigiſſe B. Virgini, è venerando primævæ Eccleſiæ Patrum collegio, encomiaſtas, in ejus laudes effuſiſſimos. Ex his *Athanaſius, Damaſcenus*, *Ansbelmus* & plures alii *Reginæ & Dominæ mundi* encomio eam celebrarunt: nec tamen immaculatè conceptam crediderunt. Oratores enim, magnificè loqui, atque illis quorum exiſtunt laudum præcones, encomia tribuere conſueverunt talia, qualia in propria ſignificatione accepta, illis non competunt. Non poſſum quin adſcribam illa, quæ hanc in rem *M. Antonius de Dominis* ArchiEpiſcopus Spalatinus, obſervavit. *Deipara*, inquit, *ſola quadam honoraria participatione; ſeu potius ſimplici denominatione, oratoriè & valde impropriè, reſpectu Filii, qui Rex erat & Dominus mundi ſpiritualis, vocatur Regina & Domina, & ob ſublimitatem & ſuperexaltationem in gloria cœleſti: ſic Angeli & Archangeli dicuntur poteſtates & principatus, absque ullo in Regna terrena dominio: & absque poteſtate deſpotica, ad ſummum tutelam quandam & ſubſidium præbentes, ex mandato Dei.* Iſta Marcus Antonius VI. de Rep. Eccleſ. Cap. I. §. LXXX. Sed Regiam dignitatem fortè tranſcendunt *Beatæ* & *Benedictæ* encomia. Verùm & iſtorum rationes, nec incongruæ, nec Deiparæ dignitati quidquam deterentes, ſupra ſunt adductæ. Hoc igitur nimis imbecilli argumento miſſo, progredimur ad aliud.

Argum. a Revelationibus & Miraculis.

XLIII. Duo autem, utpote ejusdem coloris, ut conjungamus, nihil prohibet. Provocant videlicet ad *Sancto-*

rum,

rum, quos pro talibus habent, & *Revelationes*, & ad *Miracula.* Eſt ſcilicet inter utraque aliqua convenientia & veluti cognatio. Omnia enim quæ præter & ſupra naturalem potentiam fiunt, *Miraculi* induunt naturam, atque miraculorum inſtar habentur. Revelationes igitur, quum ê nullâ naturali ſed è Divinâ ſupernaturali potentiâ emanent, inter miracula erunt collocandæ. Plurima verò quum ſint, quæ miraculorum fidem vocant in diſcrimen, certitudinemque illis detrahunt, non magis revelationibus quàm miraculis fides temerè fuerit adhibenda. Interim, ſi ad omnipotentiam Divinam recurrere placuerit, accedente ad τῷ *poſſe*, Omnipotentis τὸ *velle*, à ſubjecto Peccato Originis naturaliter obnoxio, labem iſtam, utpote accidens, per extraordinariam gratiam, ſeparari & tolli poſſe, haud equidem negaverim. Quàm verò evidens eſt potentiæ certitudo, tàm difficilis eſt voluntatis probatio. Quapropter deficit pars adverſa de iſta Dei voluntate nullo evidenti extante Scripturæ teſtimonio, in probando. Illud igitur Divinæ voluntatis decretum, quum nullo Scripturæ ſuffragio probare poſſit, ad *Revelationes*, conſummato Scripturæ Canone factas, & *Miracula*, quum ſe recipiat, prius illas, deinde etiam hæc, in conſiderationem vocare placet. In anteceſſum autem monendum, in magnum prædicatarum jactatarumq; Revelationum cedere præjudicium, quod nullæ reverâ Divinæ exiſtant revelationes, quarum non ullum in infallibili Verbo Dei ſit veſtigium. Alias expectare & captare, ſuperſtitioſum atq; fanaticis proprium eſt. De iis, quæ Divinarum inſtar, Immaculatæ conceptionis aſſertores & patroni, venditant, compertum habemus, talibus non tàm viros cordatos implexos, quàm ſuperſtitioſas & nimiũ credulas mulierculas agitatas eſſe & maceratas. Vivum

D. Peterſen cum ſua Roſimunda.

documentum haud ita pridem dedit *Roſimunda*, quæ poſtquam D. Johannem Wilhelmum Peterſen planè dementaſſet, hoc uno & ſolo, revelationum dicam an ſomniorum præcone, inclaruit. Illam enim aut vigilantem ſomniaſſe, aut mente captam, ſanæ rationis deliquium paſſam eſſe oportet. Laus Deo, quod illa ſemoto Spiritu familiari, canendas cantilenas inſuſurrante in aures, divinare tandem deſiit!

Brigitta & Catharina Senenſis cōtrariæ revelationes.

XLIII. Antiquiores inter fatidicas, Pontificiis celebratas vetulas, *S. Brigitta* & *S. Catharina Senenſis*, facilè eminent. Sed quod illa unâ manu ſtruxit, hæc manu alterâ deſtruxit. Sic enim è diametro pugnant utriusq; de B. Virginis immaculatâ conceptione Revelationes, ut, quod illa affirmat, hæc neget: Brigittæ enim manifeſtationi contraria revelatio, Catharinæ obtigit. Divinæ autem revelationes quum nullam admittant contrarietatem, nec una alteram deſtruat & evertat, quid revelationibus illis ſit tribuendum, nemo eſt tàm obeſæ naris, qui non olfacit. Emunctæ naris Pontificiis ſcriptoribus ipſis, revelationum iſtarum colliſio, adeò ingratum halavit odorem, ut eum pellere allaboraverint. *Cajetanus* Cardinalis (qui apud ſuos ideò malè audit, quod Scripturæ Interpretem agit veritati magis quàm invectis per Pontificios novitatibus velificantem) S. Brigittæ Revelationes, in immaculatæ conceptionis favorem prætendentibus atq; illas oſtentantibus, alterius canoniſatæ S. Catharinæ Revelationes opponit. Nimirum de conceptione Virginis ſcribens, in grande Revelationum Brigittæ præjudicium, Dominicanos jactare, ait, *contrarias Revelationes Catharinæ Senenſis*. Et *Antoninus* magis expreſsè, addita etiam, controverſiam Revelationibus iſtis movente atq; vilipendium illis inducente, ratione, dicit quod res eſt, quando ait: *Brigitta revelationem habuit, Virginem Mariam conceptam ſine Originali Peccato. Beata*

Part. 3. Tit. 24. Cap. 1. n. 3. p. 315.

Catha-

Catharina de Senis, non minoris, ut creditur, ſanctitatis & Canonizata, habuit revelationem in contrarium. Et quum Spiritus Prophetarum non ſit contrarius, quia unus & idem eſt, nec ſibi contradicens, dicere oportet, quod una earum habuit revelationem à Deo Propheticam, altera verò ſomnium & phantaſiam ſecundum affectum ſuum. Iſta ad *Roſimundam*, inter hodiernos Fanaticos haud multo minus, quàm inter Pontificios *Brigitta* & *Catharina Senenſis*, celebratam Propheti ſſam, accommodare ſi placuerit, pari veriſimilitudine dicere potero, habuiſſe illam multiplex ſæpiusque iteratum *ſomnium & phantaſiam, ſecundum ſuum* ſuique Magiſtri atque laudum ebuccinatoris *affectum*.

XLIV. *Miracula* pari cum Revelationibus paſſu ambulare diximus. Sunt enim ab illis accerſita argumenta, his nihilo efficaciora. Nam de miraculis, ſintne illa à Deo an à Diabolo, aut ab humano fallendi ſtudio profecta? judicium ferre, atque horum auctorem determinare, oppidò eſt difficile. Sæpè enim Dæmon, cui nomina mille, mille nocendi artes, Divina imitatur miracula. Ita quum Moſis virga in Pharaonis conſpectum projecta, converteretur in ſerpentem, imitati miraculum illud ſunt præſtigiatores Ægyptii, ſuisque effecerunt incantationibus, ut ſicut Moſis virga converſa eſt in draconem, ita quoque horum converterentur virgæ. Exodi VII, 12. Quandoquidem igitur ille qui facilè credit facilè decipitur, cautione opus eſt, ne ſimus ad credendum proclives: quod in ſuperſtionẽ ruentis, cœcutientis ſibiq; haud compotis animi eſt indicium. Quotquot verò fidem quam profitentur, miraculis probare & firmare ſatagunt, non verbis ſed factis diſputant. Meminiſſe autem debebant, hodie quando fidei res agitur, non factis ſed verbis, infallibi Verbo nixis, conficiendum eſſe negotium. Nec ignoravit, nec à nobis hac in parte diſſenſit, *Barra-*

Argum. à Miraculis.

letta Sermon. de conceptione B. Virginis XIIX. fol. 170. *Hujuſmodi miracula*, ait, *fortè fiunt arte dæmonum, ut dæmones decipiant homines & in hoc errore teneant, ut ſuſcitent diſcordias inter viros religioſos.* Anno milleſimo quingenteſimo & quarto, non erant *ſuſcitandæ inter viros religioſos*, Dominicanos & Franciſcanos *diſcordiæ*, circa B. Virginis immaculatam conceptionem, ſed jam dudum ſuſcitatæ exarſerant, imò in eam eruperant flammam, quæ fraternam, quam Chriſtiani Chriſtianis debent charitatem, humana Divinaque jura, exuſſerat, atque ipſos tandem exureret taumaturgos. Etenim dolis, impoſturis, incantationibus, ſacræ hoſtiæ in veneni vehiculum verſæ profanatione, initi in Baptismatis lavacro pacti renunciatione, deditioneque in Satanæ poteſtatem, inſtructum eſt aliquod *Miraculum*, tantò magis commemoratione dignum, quantò abominabilius. Inſtruendum autem illud fuit expediendumque per impios & ſceleratos, propriæ ſalutis prodigos Monachos Dominicanos Bernenſes: illuſtri documento poſteritati relicto, quid non mortalia pectora cogat, in quid non impellat, pertinax Theſin defendendi ſtudium. Nempè exarſerat iſtorum Dominicanorum adverſus Franciſcanos, immaculatæ conceptionis aſſertores, odium tàm flagranter, ut illi, propter Dogma, à cujus deciſione Deus mortalium ſalutem ſuſpenſam noluit, ſuæ ſalutis naufragium pati, quàm Franciscanorum diſſenſum tolerare maluerint. Sic videlicet truculenter per Bernenſes Dominicanos, ante ſuſceptam in Helvetia Reformationem, Tragœdia iſta eſt acta, ut non potuerit truculentius. Etenim illi, ut cum tripudio erroris convincerent Franciſcanos, *Miracula*, quibus hi confunderentur, ſunt commenti. Hac porrò haud piâ, ſed malâ fraude, meliorem cauſam, quam veritatis relinquere debu-

Bernēſes Taumaturgi.

Dominicani Bernenſes.

debuiſſent tutelæ, *Miraculi mendacio* fultum iverunt. Aggreſſi autem illud ſunt hac via. Beatæ Virginis, natum ulnis geſtantis, ſimulacrum, affabre factum, cujus esſent *Miraculi mēdacio, Virginis ſimulacrum, loqui edoctum.*

Gravidæ lacbrymis genæ,

penicillo Apellis artificiosè effigiatæ, in aliquo deprecationibus conſecrato Oratorio eſt collocatum. Ab hujus tergo per fornicis cavum, occultè ductus eſt meatus ſtructo tubo munitus, per quem ſtans in inſidiis impoſtor, verba quæ vellet liquare poſſet. Per eos, qui devotioni ibi vacarent, interrogata Maria, quapropter ſic fleret? verba per tubum torquente ſacrilego Monacho, illa regeſſit: *Suas ſe deplorare vices, quod honorem ſoli Filio debitum, ſibi quoque tribuat Franciſcanorum Ordo.* Impoſturæ veſtigia ætas nondum delevit, ſed penetrans per ſolidum parietem cavo hiatu ductus, in hunc usque diem eſt ſuperſtes & conſpicuus. Ecce pias, imò impias fraudes: ecce *Miracula*, quibus ſe commendant, & quibus Proteſtantium verè Catholicam Eccleſiam, deſtitui exprobrant illi, qui implicitâ fide, per cœcam obedientiam credunt, quicquid credit Eccleſia, quique omne quod imponitur onus, ſic portant, ſicut aſinus Iſidis ſacra.

XLV. Sed nondum ſic exſatiata eſt fallendi ſitis. A Superis itum eſt ad Inferos, atque ab his, in pignus data anima Chriſti ſanguine redempta, flagitavit impietas auxilium. Initia fuere ludicra, ſucceſſus crudelis, exitus tragicus & cruentus. Ludicrum enim & ridiculum eſt, quod nocturna ſpectra, tùm aliquorum in Purgatorio ſudantium, gemitus & ſuſpiria ructarunt, tùm maximè & cumprimis quod B. Virginis imaginem & effigiem repræſentantes machinæ ſunt efformatæ. Ad iſtam magnæ molis impoſturam veſtiendam ornandamque, non inidoneus viſus eſt,

Jetzerus ſtolidæ patientiæ exemplar. Frater aliquis Laicus, cui *Jetzer*, nomen fuit. Hunc viſum inquam fuiſſe, non tàm ad activè quàm merè paſſivè ſeſe habendum, non ineptum, eò quod ille ſimplex animi natura eſſet, neque in ſe haberet quidquam admixtum diſpar ſui atque diſſimile. Huic initio comparuit de Purgatorio profugus cucullatus monachus, *Flammas ore vomens Caucus*. Mox ſucceſſit præſtigiatoria arte affabrè adornatum Mariæ ſimulacrum. Quas prior flammas, hæc fulgentia radiorum verbera ſparſit. Hæc plus vice ſimplici Jetzero comparuit, illas quas interdiu deplorare conſueverat, huic media nocte

Multas exponens mente querelas.

Proh Deum hominumque fidem, quàm miserè tortus, quàm acerbè, inuſtis etiam, gravi lethargo preſſo, ſtigmatibus, maceratus eſt, ſtolidæ exemplum patientiæ Jetzerus! Sed Tragicum ſortitus eſt, Miraculi iſtius ludus, eventum. Etenim quatuor complices, ſceleris auctores & promotores Dominicani Monachi, quos inter & ipſe Monaſterii Prior, convicti & confeſſi, ultimo Maji Anno 1590, in prato è Bernenſis urbis regione ſito, ſunt exuſti. Hiſtoriam integram cum omnibus ſuis circumſtantiis, è *D. Gilberti Burnetti* Angli, Itinerario excerptam, daturus, ubi ad hiſtoricam relationem de initiis, incrementis & faſtigio certaminum circa Beatæ Virginis Immaculatam Conceptionem, erit ventum. Modò huic tantùm fini, ſummatim iſta commemorare placuit, ut à *Miraculis* accerſito argumento, quàm dandum ſit nihil, quisque prudens Lector faciat judicium. Enim verò ſi ita quemadmodum initio ſatis diu eſt celata, porrò occulta fuiſſet fraus iſta maligna, citra dubium in veri *Miraculi* tranſiiſſet venerationem. Sicut *Jetzero*, in ſummo Altari, ad oſtentandum ſtigmata, expoſito, denſa urbis Bernenſis civium multitudo,

titudo, fraudibus iſtis eſt circumventa, ita circumventa fuiſſet omnis poſteritas, ſi Satanæ inſtinctu & cooperatione, ſatis operosè & artificiosè textum velamen, Divinâ ſic dirigente Providentiâ, non eſſet diruptum.

XLVI. Quæ ab antiquitate emendicata oſtentant teſtimonia, nihil ad rem faciunt, ſi res ipſa, Eccleſiæ teſtificatione confirmanda, Scripturæ deſtituatur ſuffragio. Quo minus igitur, Immaculatæ conceptioni ſuffragatur Scriptura, tantò quoque illa minus Eccleſiaſticæ Antiquitatis firmari poterit conſenſu. Et quum non ſit perinde, è quâ ætate producantur & prodeant teſtes, *Ultimæ ætatis* Doctores non poſſunt præjudicare illis, qui *Mediam* ornarunt: ſicut nec medii ordinis Patres, tacentibus *melioribus ſeculis*, ſunt audiendi. *Damaſcenus* igitur, & quotquot hunc exceperunt, *Idiota*, *Petrus Damiani*, *Bruno*, *Anshelmus*, *Hildephonſus*, cum aliis recentioribus, votum amittunt, nec ſunt illorum ſuffragia attendenda. Familiam autem ducit, quod Eccleſiaſticæ antiquitatis conſenſus, non eſt advocandus, niſi in illis quæſtionibus dirimendis, quæ fidei aliquod fundamentum attinent & concernunt. At verò, de Immaculatâ B. Virginis conceptione quæſtio, non eſt talis, quæ fidem ipſam, aut aliquid ad ſalutem cognitu creditùque neceſſarium attingat. In hac itaque quæſtione, non eſt advocandus unanimis primævæ Eccleſiæ conſenſus, ſiquidem in talibus juxta fidem emergentibus quæſtionibus, nulla eſt Eccleſiæ, nequidem univerſæ infallibilitas. Neque unius vel alterius pluriumve ſuffragium, univerſalem efficit conſenſum? Quantumvis enim, error aliquis, qualis iſte eſt de quo nunc diſputamus, antiquitate i. e. aliquot antiquorum Patrum teſtimonio non deſtituatur, deſtituitur tamen antiquitatis conſenſu. Conſenſu autem

Immacul. conceptio Antiquitatis deſtituitur ſuffragiis.

tem

tem nudata Eccleſiaſtica traditio, nullius eſt precii. *Vincentium Lerinenſem* ſi audiamus, antiquitatis conſenſum aſſequimur, non ſi privatas quorumdam Doctorum opiniones & ſententias ſeligamus, ſed ſi omnium vel certè penè omnium inter ſe collatas ſectemur, & *quicquid non unus aut duo tantùm ſed omnes pariter, uno eodemq; conſenſu, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverimus*: quæ viri verba Commonitorii ejus Cap. IV leguntur. Idem Capite XXV, *Tenendum* eſſe monet, *quod Univerſaliter Antiquitus traditum ſit*: Item quod UBIQVE, *quod* SEMPER, *quod* AB OMNIBUS *creditum* ſit, illud demum, ceu univerſali antiquitatis conſenſu fulrum, habendum eſſe cap. III contendit. Sed non eorum quæ vel Franciſcani de Immaculatâ B.V. conceptione, vel Dominicani de ejusdem immaculatâ nativitate tradunt, minus multò ejus quod Alexander VII Pontifex Romanus, ante haud multo plures quàm XXX annos publicatâ Bullâ definivit, aliquid, vel ubique, vel ſemper, vel ab omnibus creditum eſt; qua propter non ſic eſt tenendum, ſicut tenenda ſunt illa, quæ univerſaliter antiquitus tradita eſſe novimus. Quæcunque igitur circa B. V. immaculatam ſive conceptionem ſive nativitatem, vel Dominicani vel Franciſcani, *præter omnes vel contra omnes ſenſerunt*, & quicquid ipſe Pontifex Maximus Alexander VII, præter vel contra omnes definivit, *id inter proprias & occultas & privatas* Pontificiorum *opiniunculas* referendum, atq; *à communis, publicæ ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum*, cum Vincentio de Lerinâ habendum eſſe cenſemus.

XLVII. Adducantur licet, de B. Virginis διαπαρθενία aliquæ primæ ætatis Patrum ſententiæ, vel à peccatis actualibus immunitatem illæ reſpiciunt, vel aliud agentibus,

nec

nec de immaculatâ conceptione cogitantibus, ſed purificatam Nativitatem reſpicientibus, illæ exciderunt, violenter in ſequiorem tractæ ſenſum.

XLIIX. *S. Auguſtinus* utpote Latinorum Princeps, cum aliis etiam coævis Patribus, in illam inclinavit ſententiam, quod B. Virginem propter honorem Filii, à *peccatis actualibus* immunem fuiſſe, piè credi poſſit. Quod autem illi *piè credi poſſe* admiſerunt, non ita accurate evolviſſe & enucleaſſe videntur, quàm evolvere & enucleare conſuere iſta, quæ credi non tantum *poſſunt*, ſed quæ credi debent, & quorum credendorum incumbit neceſſitas. Eorum enim aliqua quæ credi poſſunt, etiam ſine æternæ ſalutis diſpendio, credi non poſſunt. Etenim omnis ad ita, ſicunt Pontificii de immaculatâ conceptione credunt, credendum inducens ratio, ſita eſt in eo, quod ita credere, vergat in honorem Filii. Aſt ratio iſta non cogit. Si enim honor & ignominia Matris, redundat in filium, quid ni etiam illius avi & proavi? Quod autem ex matre peccatrice naſci voluit, ad Chriſti ſtatum humiliationis pertinet. Nempè voluit etiam in iſto ſtatu, *per omnia nobis ſimilis fieri, excepto peccato*, non quidem alieno ſed proprio. Sed æſtimanda eſt mens Auguſtini, è propriis B. Patris verbis. Huic fini adducta, leguntur in Libri VII de Naturâ & Gratiâ, Capite XXXVI, quæ ita habent: *Excepta S. Virgine Maria, de quâ, propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere, volo quæſtionem. Inde* (unde) *enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit AD VINCENDUM omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Iſte locus primarius quum ſit, quem præ omnibus aliis reliquorum Patrum ſuffragiis oſtentant, & nemo ſit qui illum in ore non gerat, aliquanto attentius nobis erit excutiendus.

B. Auguſtini de B. Virginis peccatis actualibus ſententia.

Ante omnia autem, conſultis diverſis Operum Auguſtini editionibus, periculum faciendum, (1) ſintne adducta S. Patris verba bonâ fide excerpta & ſine corruptione recitata, an aliquid corruptionis, interpolatoris alliverit manus? (2) Deinde, quâ occaſione & intentione Auguſtinus in illum de B. Virginis juſtitia & immunitate à peccato deſcenderit diſcurſum? (3) Deniq; de quo peccato, Originarióne an actualibus, vel potius de utrisque & his & illo, Auguſtino fuerit ſermo? (4) Tandem etiam illud attendendum, utrum allegata verba, ſi vel de Originali vel de actualibus peccatis, eo quod Adverſarii volunt ſenſu accipiantur, cum Auguſtini de peccato doctrinâ, aliàs paſſim inculcatâ, queat conciliari.

De verborũ Auguſtini corruptione.

XLIX. (1) Verborum de quorum ſenſu ſuſcipitur diſquiſitio, corruptionem obſervavit & annotavit *Samuel Mareſius* Gröningenſis Academiæ Theologus, in Diſput. de Immaculat. conceptione B. Virginis, quæ exſtat in Sylloge Diſputationum ſelectiorum, quæ anno MDCLX, Gröningæ Friſiorum prodiere in lucem. *Certum eſt*, inquit, *fraudulenter & contra fidem meliorum editionum, quas inter & mea eſt Pariſienſis anni 1555, Bellarminum hunc Auguſtini locum corrupiſſe, τὸ* UNDE *ſubſtituendo τοῦ* INDE, *quod habent fideliora exemplaria, ut modeſtam negationem Auguſtini, in abſolutam affirmationem perfidè commutaret.* Iſta Mareſius, cujus obſervationem equidem non poſſum improbare, ſiquidem mea etiam editio Baſileenſis Frobeniana anni 1569, non aliter habet. Sunt quidem *Inde* & *Unde* paucarum literarum, non niſi duabus I & U differentes voces, ſenſum tamen, ſi cum *τὸ ſcimus* conſtruantur, gignentes non eundem ſed planè diverſum. Etenim ſi quis dicat, *Inde ſcimus*, is ſcientiam inquirendi cogno-

ſcendique principia, tanquam certa & explorata ſupponit, atque rem de quâ ſermo eſt, pro certa & indubitata habet Ex adverſo, ſi quis interrogans dicat *Unde ſcimus*? inquirentis in ſcientiæ non obvias cauſas, atque de veritate dubitantis ſermo eſt. Auguſtino ſi ſufficienter exploratum fuiſſet, B. Virgini *plus gratiæ collatum fuiſſe, ad vincendum omni ex parte peccatum*, ſupervacaneum fuiſſet quærere, *Unde ſciamus?* Quia verò eum (Pelagium) qui dicit, *Domini & Salvatoris noſtri matrem, ſine peccato confiteri, neceſſe eſſe pietati*, interrogat & ex eo ſciſcitatur, *Unde* ſciat aut *ſciamus, plus gratiæ collatum fuiſſe*? ideò, inquam, non potuit non, de ſuperabundantis gratiæ collatione ſubdubitare: tantum abeſt ut dubiam quæſtionem, dicendo, *Inde ſcimus*, affirmativè determinare ſit auſus.

L. (2) Deinde non eſt inſuper habendum, quæ fuerit Auguſtinum in illum diſcurſum inducens occaſio, quave intentione dixerit quæ dixit? Dubitare nos eâ de re prohibent antecedentia. Præmittitur videlicet objectio Pelagii, qui ſuum ἀναμαρτησίας dogma confirmare conabatur exemplis eorum, qui *non modò non peccaſſe, verùm etiam juſtè vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, Melchiſedech* &c. — *Annam filiam Phanuel, Elizabeth, ipſam etiam Domini & Salvatoris noſtri Matrem, quam dicit*, Pelagius, *ſine peccato confiteri, neceſſe eſſe pietati.* Ad iſtam Pelagianam objectionem reſponſurus Auguſtinus, de Sanctâ Virgine Mariâ, tunc quando *de peccatis agitur*, ſe *nullam prorſus habere velle quæſtionem* proteſtatur, atque illud ſe nolle dicit, *propter honorem Domini*, cujus illa ſit mater. Quicunque autem diſputationi ſe ſubducit motamque quæſtionem ſuam facere detrectat, illum determinante ſententiâ in alterutram deſcendere partem, tantum abeſt, ut rem in quæſtionem

Pelagius ἀναμαρτησίας B. V. aſſertor

vocatam, in medio relinquat. Sed illud facit Auguſtinus. In quæſtionem igitur vocatam ἀναμαρτησίαν B. Virginis, indeciſam in medio relinquit, mota viciſſim Pelagio quæſtione: *Unde* ille omnia iſta, quæ tàm audacter affirmat, ſic & non aliter ſe habere, *ſciat*, quove indicio certior ſit factus, *quod* Mariæ *ad vincendum omni ex parte peccatum plus gratiæ* quàm aliis mulieribus ſit *collatum*? Si cum Pſeudo Pietiſtis Pelagio fuiſſet confligendum, hos non ſic ſicut Auguſtinum, habiturus fuiſſet reſiſtentes; non ſic ſicut Auguſtinus, quæſtionem è quæſtione fuiſſent moturi: utraque potius manu largituri, quod non B. Virgini tantùm, ſed omnibus in univerſum Pietiſtis, *ad vincendum omni ex parte peccatum, plus gratiæ* quàm Theologis & Profeſſoribus, ſuam imbecillitatem agnoſcentibus, in Academiis ſit *collatum*; ſiquidem hi, ſi in nullo alio peccent, peccare tamen non deſinere, ducendo juventutem ad peritiam Theologicam, ſicut nec peccare deſinant, commendando ſolidioris Philoſophiæ in Theologia uſum: à quo non levi peccato, illuminatos Puritanos abſolvat omnis orbis eruditus.

Inter cõceptionẽ & nativitatem immaculatã differẽtia.

LI. (5) Accedit deniq; etiam hoc, quod *Immaculata conceptio*, non actualium peccatorum, ſed Originalis labis abſentiam ſupponit. Si enim conceptio fuit immaculata, à primo conceptionis momento & inſtanti abfuiſſe oportet Originis peccatum. Maculata autem conceptio *Immaculatæ Nativitati* non præjudicat. Hanc præ illâ probat *Bellarminus*: probant omnes qui Beatam Domini matrem à Deo ab utero ſanctificatam credunt, nec tamen ejusdem conceptionem ab Originalis peccati labe immunem fuiſſe admittunt. Auguſtino autem, hîc loci, non de immaculatâ vel conceptione vel nativitate eſt ſermo, ſed de ſolis actualibus peccatis, eorundemque abſentiâ, atque competente B. Virgini,

gini, à peccatis in quæ vel agendo & committendo vel omittendo mortales incidunt, immunitate. De his peccatis, excluſo Originali, Auguſtinum verba facere, non alià indiget probatione, niſi eâ ſolâ, quam ipſa Auguſtini perſpicua ſuggerunt verba. Duum enim generum peccatorum meminit, eorum ſcilicet quæ ſunt *vincibilia* & quandoq; vincuntur; deinde etiam ejus quod invincibile eſt ſed inevitabile, atq; ille, cui adhæret, *habere* dicitur. Deinde ampliorem gratiam ſive, ut ipſe effert, *plus gratiæ* quàm aliis mulieribus B. Virgini *collatum* eſſe perhibet, *ad vincendum omni ex parte peccatum*. Quænam verò ſunt *vincibilia peccata*? Illud quod naſcendo contrahitur, non eſt in noſtrâ poteſtate; ſiquidem aliter naſci, ſi vel maximè velimus, non poſſumus. Quicquid verò non eſt in noſtrâ manu & poteſtate, illud vinci nequit. Sed Originis peccatum non eſt in manu & poteſtate noſtra; Ergo Originis peccatum vinci nequit. Non igitur hoc, ſed aliud vincibile quod ſit, intellectum voluit Auguſtinus, quando fluctuans animo ſciſſitatur, *Unde ſciamus, quod ei,* Virgini, *plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum?* Non autem vincitur Originale, ſed ſola actualia peccata vincuntur. Ergo etiam non ad Originale ſed ad actualia peccata hoc in loco, digitum intendit Auguſtinus. Provocamus ad partis adverſæ Auguſtini verborum interpretem, *Dominicum Sotum: In eo*, inquit, *quod dicit VINCENDUM, manifeſtiſſimè loquitur de actuali* peccato, *quoniam Originale non vincitur: & ideò notanter & diſcretè de illâ dixit VINCERE; de Chriſto verò nullum HABUISSE.* De Naturâ & Gratiâ Lib. III. Cap. IV. ubi *Mirandos ſane* dicit, *qui illic Auguſtinum meminiſſe putant de Peccato Originali*: & quæ ibi ſequuntur. Verùm dicturi ſunt: cuicunque gratia ſit collata ad vincendum *omni*

Vincibile peccatū.

Invincibile peccatum.

ex parte peccatum, eidem collatam eſſe gratiam ad vincendum etiam Originale peccatum; ſiquidem ad omnia in genere peccata etiam Originale pertineat. Reſpondetur: *τὸ omni exparte* includere non alterius peccati partes, ſed ejus tantùm de quo ſermo eſt: nempè omnes *Vincibilis peccati partes.* Vincibilia autem ſunt, ſola peccata actualia. Et quum alius peccatum blaſphemiæ, alius profanationis diei Dominici, alius concupiſcentiæ, alius homicidii, alius iracundiæ, & ſic deinceps alius alia atque alia peccata *vincat* i.e. in ſpiritus & carnis lucta, iis non ſuccumbat ſed illa ſuperet, de B. Virgine affirmat, quod illa *omni exparte peccatum vicerit*: quaſi diceret, omnes partes totius legis ſic impleviſſe, ut nullam unquam legem vel agendo vel omittendo violaverit. Ab actualibus videlicet peccatis, non tantùm Auguſtinum, ſed plures coævos tàm Græcos quàm Latinos Patres, B. Virginem exemptum iviſſe, paulo poſt adductis horum verbis, ſic patebit luculenter, ut de privatâ quorundam, à communi ſententiâ ſeparatâ opinione, nullum poſſit eſſe dubium.

Auguſtini de B. V. à peccatis actualib9 immunitate opinio.

Auguſtinus retractavit priora.

LII. (4) Tandem etiam hoc ad conſiderandum in medium proponimus: quodquamvis hoc uno in loco, non niſi ſemel, aliqua exciderint Auguſtino, quæ aliquibus ad trahendum in eorum qui B. Virginem ab actualibus peccatis abſolvunt, ſententiam, viſa ſint non inepta, non tamen in eâ opinione conſtanter perſeveraſſe ſed illis contraria paſſim docuiſſe. Libro de Perfect. Juſtitiâ. *Quiſquis,* ait, *eſſe vel fuiſſe in hac vitâ, aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus non fuerit neceſſaria remiſſio peccatorum, contrarius eſt Divinæ Scripturæ, ubi Apoſtolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* E quibus ſequitur, etiam

illos

illos qui dixerint B. Virginem eſſe *illum hominem, cui non fuerit neceſſaria remisſio peccatorum*, illos, inquam, *contrarios eſſe Divinæ Scripturæ.* Alio libro qui de Fide ad Petrum inſcribitur, atque ab aliis Auguſtino, à pluribus Fulgentio tribuitur Cap. XXIII. *Firmisſimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato Originis naſci impietati ſubditum, mortiq; ſubjectum, & ob hoc natura filium iræ naſci.* Per iſta probatur, quod B. Maria non tantùm cum peccato Origi-ginis, filia iræ ſit nata, ſed etiam *impietati*, quæ è reliquo poſt Baptiſmi lavacrum fomite peccati exhalat, atque in actum erumpit, ex Auguſtini ſententiâ fuiſſe *ſubjectam.* Et iterum, de Eccleſiaſticis Dogmat. Cap. XXCVI. *Nullus*, ait, *ſanctus & juſtus caret peccato.* Plus igitur quàm ſancti & juſti ſibi videbuntur illi, qui non tantùm B. Virginem, ſed ſuæ Societatis Perfectos, peccato carere credunt. Eandem ſolius Chriſti à peccato exemptionem inculcat paſſim, ubi carnis peccati injicit mentionem. Sic de Nuptiis & concupiſcentiâ: *Ideò Chriſtus non de concubitu naſci voluit, ut hinc etiam doceret, omnem qui de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati, quandoquidem ſola,* (caro) *quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati.* Præter hunc alius extat Auguſtini locus, quo ex inſtituto de *carne peccati*, agit. Nempè libro adverſus Julianum V, Cap. IX: *Si ſine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati: quid reſtat ut intelligamus*, NISI *eâ exceptâ*, OMNEM *reliquam humanam carnem eſſe peccati?* Si omnis, etiam Mariæ caro fuit caro peccati, aut ſi non fuerit, hominem eam non fuiſſe oportet. *Et hinc apparet*, pergit Auguſtinus, *illam concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus, quam-*

Caro peccati.

vis

vis inde veneri t(nempè inde ubi homines, non ſine *concu. piſcentiâ,* quam *pudendam* alibi vocat concipiuntur) *tamen non trajecit in corpus, quod non inde concepit.* i.e. non trajecit concupiſcentiam, in Chriſti corpus, *quod non inde*, ſed citra omnem concupiſcentiam, *concepit.* *Cæterùm corpus Chriſti inde dictum eſſe in ſimilitudinem* carnis *peccati, quia* OMNIS ALIA HOMINUM CARO PECCATI EST, *quisquis negat, & carnem Chriſti ita carni comparat naſcentium hominum cæterorum, ut aſſerat utramq; eſſe puritatis æqualis, deteſtandus Hæreticus invenitur.* Si quis igitur *aſſeruerit utramq; carnem*, & Filii & Matris, *eſſe puritatis æqualis* i.e. non minus hanc quàm illum, immaculatè eſſe conceptam, non alio (Auguſtinum imitari ſi placuerit) fuerit habendus loco, quàm quo *deteſtandi* habentur *Hæretici.* Phraſis iſta *In ſimilitudinem carnis peccati* Paulina eſt, quæ occurrit, in Ep. ad Romanos Cap. IIX. Non autem eſt inter hujus dicti interpretes ullus, ſive Pontificiæ ſive alicui Proteſtantium parti fuerit addictus, qui per *carnem peccati* non intellexerit, carnem conceptam cum peccato & peccato obnoxiam. Quin & ipſe *Bellarminus* fateri cogitur, Virginis carnem fuiſſe carnem peccati. Quas verò ad eludendum commentus eſt ſubtilitates, utut ingenium ſapiant, omni tamen deſtituuntur probabilitate, & Interpretum *carnis peccati*, ſuffragio. Ex antiquis *Ambroſius* de Chriſti carne verba faciens. *Hæc eſt*, inquit, *ſimilitudo carnis, quia quamvis eadem caro ſit quæ noſtra: non tamen ita facta in utero eſt, & nata, ſicut & caro noſtra. Eſt enim ſanctificata in utero, & nata ſine peccato, & neq; ipſe* Chriſtus *in illâ peccavit. Ideò enim virginis uterus electus eſt ad partum Dominicum, ut in ſanctitate differret caro Domini à noſtra, in cauſa enim ſimilis eſt, non in qualitate peccati ſubſtantiæ,*

Similitudo carnis peccati.

tiæ. Propterea ergo ſimilem dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis, non eandem habuit nativitatem: quia peccato ſubjectum non fuit corpus Domini. Expiata enim eſt à Spiritu Sancto caro Domini, ut in tali corpore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum. Et *Chryſoſtomus* in eadem Pauli ad Rom. VIII, verba: *Quoniam dixit peccati, ideò & ſimilitudinem poſuit. Neq; enim peccatricem carnem habuit Chriſtus: ſed ſimilitudinem noſtræ peccatrici, abſq; peccato tamen.* Utrorumq; memoratorum coætaneus, aut ætate haud multo inferior *Theodoretus* Cyriæ Epiſcopus, in eundem, in quem priores, ſenſum: *Naturam humanam acceperat, ſed peccatum humanum non acceperat: & ideò quod acceptum eſt, non ſimilitudinem carnis, ſed ſimilitudinem carnis peccati appellavit. Cum enim eandem quam nos, haberet naturam, non habuit eandem quam nos ſententiam mentem.* Plures antiquos producere poſſem Interpretes, ſed tres ad perhibendum teſtimonium ſufficiunt: Audiendi nunc etiam recentiores, & quidem à parte ſtantes Pontificiorum: hos inter, Scholaſticorum (apud quos Immaculatæ conceptionis dogma eſt natum) Princeps, *Thomas Aquinas*, de Chriſto dixit: *Non habuit carnem peccati, id eſt, cum peccato conceptam quia caro ejus fuit concepta per Spiritum Sanctum: qui tollit peccatum.* Et ejusdem Profeſſionis Theologus *Dominicus Soto*: Caro peccati, *Hebraiſmus eſt, pro eo quod eſt caro peccatrix, vel caro peccato obnoxia. — Sed ait, in ſimilitudinem carnis peccati, quoniam neq; contraxit, neq; fecit, neq;, ut eſt II. Cor. V, peccatum novit.* Si igitur ſola Chriſti caro, eſt *in ſimilitudinem carnis peccati*, Mariæ verò caro non in ſimilitudinem, ſed, fatente Bellarmino, *caro peccati*, neceſſum eſt, carnem ejus peccatricem eſſe carnem, peccatoque obnoxiam. Et qui illa, cujus caro de propagatione pecca-

ti venit, non eſſet peccato obnoxia? Veniſſe autem B. Virginis carnem de propagine peccati, diſſertè profeſſus eſt *Auguſtinus* de Geneſi ad Lit. lib. X, cap. XIIX, *Quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro, etiamſi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit.* Ecquid verò clarius dici poſſit, quàm Virginis carnem, quia *de peccati propagine venit*, cum peccato eſſe propagatam, atque ideò peccato obnoxiam? Et nihil certè juvat Bellarminum *exceptionis* inventum. Exceptio enim hîc nullum invenit locum, quia omnis exceptio eſt à regula generali. Verùm hîc nulla regula eſt generalis ſed particulariter & ſpeciatim de Virgine enunciatur, quod ejus *caro de peccati propagine venerit.* Si venit de peccati propagine, caro, eandem peccato obnoxiam fuiſſe oportet. Eant nunc atque in Auguſtini ſuffragio porrò ſubſidium quærant, B. Virginis *ἀναμαρτησίας* aſſertores & patroni.

Immac. concept. aſſertorū CLASSIFICATIO. LIII. Qui aliàs conſenſum Patrum crepant, usque adeò contrariis ſententiis colliduntur, ut quem in Eccleſia univerſa quærunt conſenſum, in particulari & domeſtica invenire non potuerint. Etenim inter ipſos novi & illaudabilis dogmatis aſſertores diſſenſus usque adeò fuit notabilis & conſpicuus, ut inter utramque partem colliſiones interceſſerint ſatis acerbæ & vehementes. Ecquid verò magis ſuſpectum reddit Dogma, de cujus veritate eſt lis pendens, quàm illud aſſerentium disſenſus? Maximè ſi circa illud emergant contradictiones, non modicæ aut mediocres, ſed ſic exceſſivæ, ut in aperta, à Schiſmate non procul remota odia, erumpant & degenerent? Ne igitur variantes ſententiæ turbent, neve divaricantium permutentur crura, diſtinctione eſt opus, per quam diſſentientes in certas digerantur claſſes. Certaminis

taminis verò initia ſi ſpectemus, tenuia illa fuerunt, quæ tamen eundo ſenſim ſunt adaucta, easque indepta vires, ut in ſummum aſſurrexerint ſuperſtitionis apicem. A ſummo verò gradu ſi ducendum exordium, atque ab hoc, ad inferiores deſcendendum, *Primam Claſſem* occupaverint illi, qui B. Virginem *ſine peccato conceptam eſſe*, mordicus defendunt. Per hanc videlicet, invitâ Scripturâ ſubſtratam hypotheſin, removetur à ſubjecto, omne quocunque nomine illud veniat, peccatum. Iſta verò quum ſit ſummi gradus ἀναμαρτησία hujus defenſoribus non immeritò Prima, ſuperſtione faſcinatorum conceditur Claſſis. Quod ſi verò illa, ſic ſine peccato eſſet concepta, ſicut Adam ſine peccato eſt creatus, repræſentaſſet illa Adamum in ſtatu integritatis conſtitutum. Ex innocentiæ ſtatu Adam quidem aliquando, hæc verò nunquam exciderit, ſed innocentiæ ſtatum illibatum conſervaverit. Et falſum foret quod dixit S. Paulus; *In uno homine omnes peccaſſe* Rom. V, 12. Et ibidem ℣. 18. *Per unius delictum* Adami, *reatum veniſſe in omnes.* Non pro omni ſed aliquâ ſaltem ſuâ poſteritate, Adam, concreatum donum innocentiæ Deique imaginis, peccando amiſiſſet, ſiquidem etiam B. Virgo eſt ex poſteritate Adami, & fuit illa quoque in ejus in quo peccarunt omnes, lumbis. PRIMA CLASSIS.

LIV. *Alteram Claſſem* poſſideant, illi quos diximus, paulo diſcretiores, qui agnita conceptione in peccato, intra *Nativitatis* terminos ſeſe cohibent. *Terminum* nempe ſanctificationis *à quo*, à nativitatis initio accerſent, quippè qui ab utero ſanctificatam prætendunt. Ad hos pertinet & eſt referendus Bernhardus, qui indignè tulit, quod Canonici Lugdunenſes *Feſtum Immaculatæ Nativitatis*, cum *Feſto immaculatæ conceptionis* commutaverint. Sed nec inter hos ipſos, de *termino à quo*, ſatis rectè convenit. *Nativitas* enim ALTERA CLASSIS. Bernhardus.

eſt, & naſci dicitur homo, quando ille de utero matris in lucem excluditur. Hinc infans anima & corpore gaudens vivensque quam diu in utero materno latet, nondum natus dicitur. Secundum hos igitur, in ipſa conceptione, & quo usque in utero matris hæſit, Originis peccatum ei adhæſerit, in nativitate demum ſanctificata.

LV. Sed intra nativitatis terminos non ſubſiſtunt illi, qui non quidem ad conceptionis initium, quod inanimationem anticipat, puritatem extendunt; ante nativitatem tamen jam tùm in matris utero, prius quàm excluderetur in lucem, à peccato Originis purificatam contendunt. Nempè embrioni, dicunt, per cauſas ſecundas ad inanimationem diſpoſito, animam mundam à Deo creatam, eſſe infuſam. E quo poſito neceſſario ſequitur, ſine peccato eſſe natam. Si itaque *terminum* purificationis *à quo*, ab inanimatione ducentes, ab illis, qui à momento quo excluditur infans in lucem, exordium ducunt, dirimere & ſegregare placuerit, *Tertia* diſſentientium *Claſſis*, his eſſet aſſignanda. Quia enim poſteriores à prioribus, contrariis ſententiis in tantum diſcrepant & diſtrahuntur, in quantum inanimatio diſtat à nativitate, ſic collidentes haud commodè in una ſede morabuntur. Veruntamen non videntur illi usque adeò ſtrictè nativitatis vocem accipere: extenſum potiùs volunt ad primum inanimationis inſtans, quando Deus embrionem, ad recipiendam animam à cauſis ſecundis, parentibus videlicet, diſpoſitum inanimavit. Sanctificata igitur fuiſſet nativitas prius quàm naſceretur, ſive excluderetur in lucem. Si enim verum dicerent, qui in utero matris ſanctificatam dicunt, non potuiſſet non ſanctificationem ſecum extuliſſe, & conſequenter nativitas non potuiſſet non fuiſſe immaculata. Atque hoc volu-

iſſe

iſſe *Bernbardum*, immaculatæ nativitatis aſſertorem, dubitare prohibent diſerta viri verba, dicentis: *Reſtat ut poſt conceptum, in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur.* In Epiſt. ad Canonicos Lugdun. Ad unam itaque eandemque, ***Alteram*** videlicet ***Claſſem***, & illi & hi fuerint redigendi.

LVI. *Tertia* denique *Claſſis* eorum eſt futura, qui nulla *Actualia peccata*, Deiparæ agnoſcunt, ſed iſtorum omnium, per totam vitam expertem eam fuiſſe credunt. Verùm enim verò, innititur etiam hæc aſſertio, prioribus falſis hypotheſibus. Nempè quod illa ſine peccati Originis macula vel ſit concepta, vel in infuſionis animæ inſtanti & momento, vel in nativitate, à ſordibus illis purgata. Quàm primum igitur demonſtravero, Matrem Domini, nec vitam ſine omni peccato tranſegiſſe, nec ab illis quæ peccatum comitantur, & non niſi peccato obnoxios urgent, ſuſtinendis, fuiſſe immunem, eadem operâ demonſtratum dedero, eandem à cauſa peccatum efficiente, haud fuiſſe liberam. Cauſa autem actualia peccata efficiens, eſt Originale peccatum, cujus intuitu, Actualia peccata involuntaria, qualia invitis quandoque, quin & repugnantibus obrepunt & venialia dicuntur, ſunt inſtar Originalis peccati, in actu ſecundo: quia ſunt actus à potentiis hujus vel illius hominis prodeuntes, qui Originali peccato tanquam radici germina debentur. Ab actualibus igitur peccatis involuntariis, qui exemt umeunt B. Virginem, illi prius ad horum radicem evellendam, manum applicare debuiſſent. Quo enim uſque radix funditus non eſt exſtirpata, nec emortua, eò uſque ſtirps ſurculusve germinare non deſinit.

TERTIA CLASSIS.

LVII. Omnes reliqui, quotquot ſunt toto orbe, extra tres iſtas Claſſes poſiti Chriſtani melius conſulti, credunt,

B. Virginem, non obſtante, quod totius generis humani Redemtoris tollentis peccata mundi, Mater fuerit, de communi mortalium hominum (quum & ipſa homo & mortalis fuerit) ſorte non eſſe eximendam, quia Scriptura non hanc, ſed ſolum Chriſtum, eximat. Per hoc verò quod ita credunt & docent, B. Virginis honori, dignitati vel ſanctitati nihil decerptum volunt: jure potius meritoque, ceu *Deiparam*, & *matrem Dei*, quæ *abundans ſanctificationis donum acceperit*, venerandam eſſe cenſent.

In Prima collocatis Claſſe obluctantes.

LIIX. *Primæ Claſſi* opponimus illos, qui contrarium docuerunt, Beatamque Dei genetricem, in peccato eſſe conceptam disertè unanimibus votis affirmant. Ex his *Vincentius de Blandellis* in libris de Conceptione B. Mariæ, pag. 133. *Opinio*, inquit, *de conceptione immaculatâ, eſt fidei Diviniſq; literis adverſatisſima, reſiſtit fundatisſimæ fidei Chriſtianæ fidei fundamenta ſubvertit.* Amplius eſt, quod ipſe Pontifex *Paulus V*, *Waddingo* Oratori Hiſpano dixit: *Adverſàrii* (Dominicani) *continuo inſtabant, ſuam ſententiam, omnium ſanctorum Patrum eſſe unanimem doctrinam.* Sed omnes iſtos ſanctos Patres adducere, & mihi nimis futurum eſſet laborioſum, & Tibi, Benevole Lector, ſingulos audire, plus quàm moleſtum. Interim illorum aliquem Catalogum, conſenſus oſtendendi gratiâ, texere placuit *Melchiori Cano*, non infimi apud Pontificios ordinis Theologo. Ita verò ille Locorum Communium Libr. VII, Cap. I. *Sancti*, inquit, *omnes qui in ejus rei mentionem incidere, uno ore aſſeverarunt, B. Virginem in Peccato Originali conceptam. Hoc videlicet* (1) *Ambroſius adſtruit ſuper Pſalmum* 118. *Concione* 6. *Hoc* (2) *Auguſtinus ſuper Pſalmum* 34, *in illum verſiculum,* Ego autem quum mihi moleſti eſſent. *Et libro II. de Baptiſmo parvulorum Cap.* 24. *&* 10 *ſuper Geneſin ad literam Cap.* 18. *& Libro V. contra Julianum cap.* 9. *Hoc* (3) *Chryſoſtomus*

ſoſtomus ſuper Matth. Hoc (4) *Euſebius Emiſſenus in* 2. *conc. de Nativ. Domini. Hoc* (5) *Remigius ſuper Pſal.* 21. *&* (6) *Maximus de Aſſum. B. Virginis, adſtruxere. Idem quoq; affirmat* (7) *Beda, in Homil. ſuper Miſſus eſt.* (8) *Anſhelmus libro cur Deus homo, cap.* 16. (9) *Bernhardus in Epiſt. B. Virginis, atq; idem iterum in Sermonum ſuorum opere tertio in Tract. de B. Virgine, Concione* 4. (10) *Divus Bonaventura,* 3. *Sent. Diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 2. (11) *D. Vincentius in Sermon. de Concept. B. Virginis.* (12) *D. Antonius* 1. *Parte tit.* 8. (13) *Damaſcenus lib.* 3. *Sententiarum ſuarum.* (14) *Hugo de S. Victore Par* 2. *Cap.* 4.

LIX. In duorum aut trium teſtium ore, veritatem eſſe ſitam, communiter aliàs perhibetur. Sed ecce, hîc non duos tresve, ſed totos quatuordecim, ex primâ, mediâ & ultimâ ætate adductos, adverſus Immaculatam B. Virginis conceptionem militantes teſtificantesque Teſtes. Nec magis adverſus producentem, quàm teſtes ipſos excipere poterunt, infallibilium, ſi DIs placet Decretorum adoratores. Teſtes enim ipſi, exceptione ſunt majores: Producens & natione Hiſpanus eſt, atque ſic ex opinione vulgi, in ſummo gradu Catholicus, magni & nominis, & nihilo minoris dignitatis Theologus. Quos autem habet Immaculata conceptio Teſtes & unde habet ſi non è Mendicantium Monachorum excalceatâ ſordidaque familiâ evocatos & prodeuntes? Quos habet, cum Franciſco Seculo XIII demum natus Ordo, *Johanne Duns Scoto,* Doctore illo Subtili, antiquiorem, quem Immaculatæ conceptionis ſic occupaverit infatuaveritve ſubtilitas, ſicut Doctorem ſubtilem & occupavit & infatuavit. *Franciſcani inſequiorem euntes ſenſum.*

LX. *Pelagius* Hæreſiarcha, non B. Virginem tantùm, ſed omnes omninò homines à peccato Orinis immaculatos *Pelagius Scoti promachus.*

culatos

culatos & concipi & excludi in lucem, docuit quidem, an autem cum damnato Hæretico ambulare velint Franciſcani, equidem non immeritò dubito. Quod ſi verò cum *Pelagio* cum *Cœleſtino* & cum *Juliano* eos conſpirare dixero, non indignabuntur mihi, ſed *Vincentio Blandello*, quippè qui loco non procul hinc citato pag. 137. *Dogma*, ait, *de immaculatâ conceptione defendentes Scripturas ſacras, perniciosè depravant, & errorem Pelagii, Cœleſtini & Juliani, ſuis perverſis oppoſitionibus, impiè defendunt.*

De pertinentib. ad II Claſſem.

LXI. Eadem ætas & Seculum XIII, quod Franciſcanorum, etiam Dominicanorum, hactenus orbi ignota nomina, in Theatrum produxit. Statim ab initio, inter utrumque Ordinem nata eſt æmulatio, ex æmulatione diſſenſus, è diſſenſu colliſiones ſatis interdum vehementes. Has inter, de Immaculatâ conceptione B. Virginis certamen, haud poſtremum ſemper occupavit locum. Antequam verò nodum iſtum Chordium adacto intra nodorum compages, infallibilitatis cote acuato ferro, ſolveret Pontifex Romanus, difficulter à ſeſe impetrare poterant Dominicani (quos in *Secunda* ſuperſtitioſorum collocamus *Claſſe*) ut immaculatæ non quidem conceptionis, ſed nativitatis ſaltem prærogativam B. Virgini præ aliis mulieribus concederent. Poſteaquam autem Bullæ Pontificum ebulliere, atque publicata ſunt ſecundum Franciſcanos litem dantia Decreta, frendent illi nunc quidem & fremunt, contradicere tamen publicè non audent: ſequiorem interim ſententiam, quam ſic certò falſam eſſe ſciunt, quam certum digitorum ſuorum numerum inire norunt, probare coguntur aliquid cui conſcientiâ repugnat. Dicere igitur eos oportet cùm *Gregorio de Valentiâ*, ſi adverſus ſenſuum experimentum, ſex ſibi in dextrâ eſſe digitos,

Melius conſulti Dominicani.

Eccleſia

Eccleſia i. e. Pontifex dixerit, huic ſe potiùs quam vigilantibus credituros oculis. Sic ſcilicet captivum ducere oportet intellectum, ad obediendum Pontifici.

LXII. Habent Dominicani ſeſe antiquiores, qui Mariæ nativitatem quidem ſanctam & à peccato immaculatam, attamen ejusdem conceptionis haud æqualem puritatem agnoverunt. *Bernhardi* Abbatis Claræ vallenſis in Seculum XII incidente ætate, immaculatam conceptionem non ſic fuiſſe creditam, ſicut credita eſt nativitatis mundicies, ſi non aliunde, ex ipſius ſaltem Bernhardi indignatione, Canonicos Lugdunenſes increpantis, quod *Feſtum Immaculatæ Nativitatis*, cum *Feſtum Immaculatæ Conceptionis* commutaverint, abundè conſtat. Quâ de re videatur ipſius Bernhardi Canonicis iſtis inſcripta Epiſtola, quæ eſt inter reliquas CLXXIV: Ubi inter alia plura, huc facientia iſta quoque leguntur verba: *Si ante conceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quod non erat: ſed nec in ipſo quidem conceptu propter peccatum, quod inerat: reſtat ut poſt conceptum, in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiſſe credatur: quæ excluſo peccato ſanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem.*

LXIII. Præcipitante Seculo XI & ineunte XII, *Anshelmus* ArchiEpiſcopus Cantuarienſis, facem Bernhardo prætuliſſe videtur, ſiquidem eandem ſententiam quam Anshelmus profeſſus eſt, Bernhardus in tantum retinuit, ut in peccato crediderit conceptam, quamvis in contaminatam nativitatem non conſenſerit cum Anshelmo Bernhardus. Illius hanc in rem verba, è Libri II Cap. XVII ad quæſt. cur Deus ſit homo? ita ſunt concepta: *De maſſâ peccatrice & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem ſine peccato, quaſi azymum de fermento, Deus*

De pertinentibus ad III. Claſſem.

aſſumſit. Nam licet ipſa hominis ejusdem conceptio ſit munda, & absq; carnalis delectationis peccato; virgo tamen unde aſſumtus eſt, EST IN INIQUITATIBUS CONCEPTA, *& in peccatis concepit eam mater ejus, & cum Originali peccato* NATA *eſt, quia & ipſa in Adamo peccavit, in quo omnes peccarunt.* Sudes eſt iſte Anshelmi locus, Pontificiorum in oculis: quare in eo torquendo, miſere ſemetipſos torquent. *Bellarminus* nullam elabendi rimam inveniens, duplicem commentus eſt & conceptionem & nativitatem duplicem, Lib. IV de amiſſ. Gratiæ Cap. XVI. Perſuadere enim conatur Bellarminus, primam conceptionem reſpexiſſe bonos iſtos viros Bernhardum & Anshelmum, quibus tamen ne per ſomnium quidem, quicquam de primâ & ſecundâ vel conceptione vel nativitate unquam venit in mentem. Et quis quæſo ante Bellarminum ſomniavit ſomnium de diſtinctione nativitatis *in utero* & *ex utero*? Magis igitur quàm ſecunda conceptio, abſurda eſt ſecunda nativitas: quamvis tamen in utro horum myſteriorum prædominetur palpabile abſurdum, non temere Joh. III, 4. dixerim. Si non potuit *Nicodemus* capere, qui fiat, ut homo iterum poſſit naſci, nihil mirum, ſi non capiamus, qui factum ſit, quod Maria ſemel in utero, & iterum ex utero potuerit naſci. Iterata iſta nativitas, non magis nobis videtur poſſibilis, quàm Nicodemo viſum eſt poſſibile, hominem ingredi in uterum matris & iterum naſci. Sed fortè ita obtuſa geſtamus pectora, ut verba quæ loquitur os Bellarmini, non intelligamus magis, quàm verba quæ loquutum eſt os Domini intellexit Nicodemus. Interim poſtquam Anshelmi verborum perſpicuitate arctatus Bellarminus, non potuit non agnoſcere & fateri, *Apertiſſimè illum ſcribere, B. Virginem in peccato eſſe conceptam & natam,*

per

per nexas è Primâ & Secundâ cùm conceptione tùm nativitate tricas, ſeſe extricare in caſſum allaborat. *Loqui* dicit Anshelmum *de primâ conceptione ſeminis, & de nativitate quæ fit in utero, non de eâ, quæ ſit ex utero, h. e. de formatione fœtus, per quam incipit homo eſſe in mundo.* Iſta verò conceptionum nativitatumque *IN utero* & *EX utero* monſtra nobis quidem peregrina ſunt & ignota, iis tamen introductis, hoc videtur velle: *Primam conceptionem ſeminis*, non fuiſſe à peccato Originis immunem. Numquid verò ſemen non animatum, aut caro inanimis, eſt capax peccati? Subjectum inhæſionis peccati Originis non eſt caro, ſed anima. Iſta peccato infecta & commaculata, quum inanimet carnem, etiam hæc dicitur *caro peccati*: quia vitium trahit è vitiata anima, inanimante carnem. Vitium autem carnis non tranſit in animam: ſed peccatum Adami, *in quo omnes peccarunt*, & qui genuit filios atque filias, *ad ſimilitudinem ſuam*, in omnium qui fuerunt in lumbis Adami, animas derivatur.

LXIV. Diſputant quidem Scholaſtici, An P. O. facultates tantùm inferiores animæ occupaverit, aut etiam ſuperiores, mentem videlicet, & voluntatem. Sed & has & illas invaſiſſe facultates, atq; intrinſecâ corruptione vitiaſſe, perſpicua Scripturæ effata credere jubent. Nempè intuitu peccati, homo dicitur *cæcus*, & *tenebræ* ei tribuuntur, *vanitasq; mentis* eidem adſcribitur Epheſ. IV. 18. itidem V, 8. *Eratis quondam tenebræ, ſed nunc lux eſtis in Chriſto.* Et I. Corinth. II. 14. *Naturalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ei ſunt ſtultitia, nec poteſt ea percipere, quia Spiritualiter dijudicantur* &c. *nos verò mentem Chriſti habemus.* De voluntate verò ſive corde hominis non ſunt minus clara dicta. Sic Gen. VI, 5. & VIII, 21: *Omne*

ſigmentum cordis, tantummodo ad malum omni tempore. Jerem. XVII, 9: *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile.* Rom. VIII, 7: *Sapientia carnis* i. e. quicquid ſapit homo carnalis, *inimicitia eſt adverſus Deum: nam legi Dei non ſubjicitur, imò ne poteſt quidem.* Sic Epheſ. II, 3. & alibi paſſim.

LXV. Deinde id ipſum quoque invictè probat Sanctificatio noſtra per ſpiritum Chriſti: nam ſi pars ſuperior non eſſet corrupta, non opus eſſet homini renovatione. Jam verò Apoſtolus Rom. XII, 2. ait, nos transformari *renovatione mentis noſtræ ut probemus quænam ſit voluntas Dei bona.* Et II. Cor. VII, 1: *Mundate vos ab omni inquinamento carnis & Spiritus perficientes ſanctificationem in timore Domini.* Et Epheſ. IV, 23; *Renovamini Spiritu mentis veſtræ.*

LXVI. Sententiæ affirmanti quod P. O. non inferiores duntaxat, ſed ſuperiores quoque animæ facultates infecerit, opponitur cumprimis Cap. VII ad Romanos ubi hujus loci eſt ſedes: ſiquidem ibi *caro* ſive *concupiſcentia carnis*, quæ ad inferiores animæ humanæ facultates pertinet & refertur, commemoratur. Loco enim citato ℣. 18, *Sic*, ait Paulus, *quod in me*, i. e. in meo mortalem vitam agente corpore, *non habitat bonum*: & ibidem ℣. 25. *Igitur ego mente quidem ſervio legi Dei, carne verò legi peccati.* Sed falſum eſt, carnem tantum notare inferiores facultates animæ, ſiquidem totus homo qua corruptus eſt, per carnis denominationem ſignificatur. Nam carni illi adſcribitur φρόνημα i. e. *Sapientia* Rom. IIX, 7. & νοῦς ſeu mens, Coloſſ. II, 18. Fruſtra inflatus ὑπὸ τοῦ νοὸς σαρκὸς αὐτοῦ, mente carnis ſuæ. Nec minus eidem carni tribuitur voluntas; Epheſ. II, 3: *Facientes voluntatem carnis & cogitationum,*

Per CARNEM tota perſona, ſignificatur.

tionum, eramus filii iræ, ſicut & cæteri. Vide etiam Galat. V, 20 & 21. ubi carni adſcribuntur, *idololatria*, *ſchismata*, *hæreſes* &c. quemadmodum etiam I. Cor. III, 3. διχοστασία & ſimilia. Nec obſtat, quod Cap. VII, vocatur *concupiſcentia*, quæ eſt tantùm partis inferioris. Etenim non ita philoſophicè utitur Scriptura iſtis terminis, ſed per concupiſcentiam omnes cogitationes & cupiditates Legi Dei adverſantes intelliguntur: quod probant ex ejusdem capitis iſta: *Peccatum genuit in me per præceptum omnem concupiſcentiam; nam ſine lege peccatum eſt mortuum, ſed quum veniret præceptum peccatum revixit, & ego ſum mortuus.* Et omnium clariſſimè, Galat. V, 17. *Caro concupiſcit adverſus carnem: hæc ergo inter ſe contraria ſunt*, ἀντίκειται, *adeò ut non faciatis ea, quæ velitis.* Hîc *Spiritus* & *caro*, adæquatè ſibi invicem opponuntur. Quemadmodum ergo ſpiritus omnes animæ facultates renovat, ſic etiam caro & concupiſcentia omnes inficit. Infecerit igitur peccatum, etiam B. Mariam omnesq; ejus animæ facultates. Atque peccati ſubjecto inhæſionis, exiſtente anima, caro ejus nondum inanimata, capax peccati ſubjectum eſſe non potuit. His ita, ferente occaſione expoſitis, modò ad primam Bellarmino revelatam conceptionem, nobis eſt redeundum.

LXVII. Si *prima conceptio, eſt ſeminis nondum animati;* Secundam *conceptionem* oportet eſſe *animæ*, quando illa ſemen inanimat. Aſt anima non concipitur ſicut ſemen, ſed ſpiritualis eſt & immateriata, quæ à Deo creata infunditur. Et vitii connati i. e. P. O. ſubjectum non eſt ſemen vel caro, ſed anima. Defectus enim cum quo naſcimur, eſt abſentia perfectionis non carni ſed animæ ineſſe debitæ. Conceptio igitur, quam primam vocat ſeminis non

animati, non poteſt fuiſſe conjuncta cum peccato, quia animæ expers ſemen, nullius peccati eſt capax. Nec obſtat quod Paulus Rom. IIX, de *Carne peccati* & *ſimilitudine carnis peccati* dicit, ſiquidem ibi non intellectum voluit carnem animæ expertem, ſed inanimatam reſpexit & viventem. Caro autem nondum inanimata quamvis peccati non ſit capax, generantium tamen, atque carnem ad recipiendam animam diſponentium actio, quia nunquam non cum inordinata concupiſcentia eſt conjuncta, peccato eſt obnoxia. Sed vitiata iſta actio non eſt carni vivificatæ intrinſeca, & non ipſum in prolem traductum peccatum, ſed ejus peccati cauſa: quâ de re mox plenius. Interim per hactenus adducta fit manifeſtum, quod Anshelmus qui B. Mariam *Conceptam & Natam in peccato* dixit, non potuerit non credidiſſe ejus, & conceptionis & nativitatis tempore, non ſolam inanimam carnem, ſed integrum ſuppoſitum, totam Mariæ perſonam, quanta quanta illa fuerit, ſecundum animæ facultates & ſuperiores & inferiores, peccato fuiſſe infectam & coinquinatam.

De causâ peccati, pudendâ generantium concupiſcentiâ. LXIIX. Injecta eſt paulo prius mentio *Cauſæ peccati*. Hac quum poſita & manente, non poſſit non ſubſequi & præſto adeſſe effectus, remoturis à B. Virgine peccatum, incumbit neceſſitas prius removendi cauſam peccati. Nempè ita, ſicut in quæſtionibus facti, res ipſa poſtulat, probandum & demonſtrandum eſt, commaculatæ conceptionis nativitatisve cauſas, non quidem ab ipsâ, quæ mere paſſivè in generatione ſui ſeſe habuit, ſed à Parentibus generantibus, per ſingularem & extraordinariam Divinam gratiam fuiſſe remotas. Peccati autem Originis, ab Adamo in omnem ejus poſteritatem traducti *cauſæ* non poſſunt eſſe aliæ quàm *Morales*, ſeu ex genere morum. Horum una

eſt

eſt *remota*, altera *proxima*. *Cauſa remota* actualis eſt Adami culpa: *Cauſa proxima*, generatio eſt Parentum, cum *inordinatâ* & *pudendâ*, ut S. Auguſtinus eam vocat, *libidine* ſeu *concupiſcentiâ* conjuncta. Hæc obſtat & *demeretur*, ut Scholaſtici loquuntur, quo minus Deus animæ recens creatæ, juſtitiam originalem conjungat. Quum igitur conjunctionem iſtam Deus non præſtet, & culpa, quo minus per juſtitiam ſuam præſtare eam poſſit, à parte hominum unicè hæreat, hinc proles animâ donata, damnabilem illam carentiam & privationem juſtitiæ originalis, ipſi adeſſe debitæ, & uno verbo, peccatum originis, non poteſt non contrahere. Quâ propter, ab illis qui B. Virginem, peccatum illud non contraxiſſe contendunt, probationem ejus, quod proxima contracti peccati cauſa, nempè inordinata ac pudenda concupiſcentia, ſine quâ homines generari non contingit, à B. Virginis parentibus generantibus fuerit ſemota, atque per Divinam extraordinariam nulli mortalium conceſſam gratiam ſublata, jure meritoque flagitamus. A B. igitur Mariâ quæ activè ad ſui conceptionem concurrere non potuit, totum negotium in parentes generantes devolvitur: &, ſi quæ extraordinaria ſanctitas ſeu à peccati maculis puritas, vel in conceptione vel nativitate ei obtigerit, indepta eam fuiſſet participativè à parentibus, quorum generationis actio, ab omni, atque ab Adami lapſu cunctis hominibus inſitâ & naturali concupiſcentiæ inordinatione, Divinitus, præter ordinarium naturæ curſum, fuerit purificata. Ab iſta traducti in prolem peccati cauſa, quàm primum B. Mariæ genitores, purificaverint hujus puritatis aſſertores, de obtentâ adverſus immaculatæ conceptionis hoſtes, victoriâ, illis gratulabimur. Cauſam autem Mariæ parentum, vel S. Scri-

pturam

pturam vel rectam ſanamve rationem, agere, tantum abeſt, ut utraque ei potius repugnet. Illa quidem univerſales, omnes omnino homines complectentes loquendi modos, jam tùm adductos. Hinc dicere illa potuit imò debuit cum Davide: *Ecce in iniquitate genita ſum, & in peccato calefacta eſt de me mater mea*: Pſ. LI, 7. Rationi quoque ſobriè ratiocinanti trepugnat, quia illam rationem quæ ſuadere nititur, quod unum conjugatorum hominum par, à communi cunctorum in peccati conſortium tractorum naturali imbecillitate ſit eximendum, non rectam ſed corruptam rationem eſſe oportet. Qua itaque Alexander VII, aliquid quod & Scripturæ Sacræ, & rationi rectæ adverſatur, infauſtâ ſuâ Definitione conſtituit, quali vel S. Scripturæ codice, vel rationis judicio ſit uſus, prudenti Lectori dijudicandum relinquitur.

De exemtione à peccatis Actualibus.

LXIX. Venio ad *Tertiam Claſſem* eorum qui circa, meliorum ſeculorum confinia inducti ſunt in opinionem, quod *Servatoris noſtri Mater, in Filii honorem, à neceſſitate actualiter peccandi, ſit abſolvenda.* Videor autem mihi videre aures arrigentes PſeudoPietiſtas, ad audiendum ſuavem, ſecuritatis ſoporem inducturam cantilenam. Penes hos enim ſi ſtaret, horumq; arbitrio res geratur, ἀναμαρτησίας Privilegium, à B. Virgine illi extenſuri eſſent in omnes, ſi non homines, minimùm Pietiſtas. Sed dimisſis nunc nugivendis ad antiquos me converto, quibus de B. Virginis puritate non quidem Originis ſed vitæ, non de connato ſed actualibus peccatis fuit ſermo. De S. *Auguſtini* conceſſione ejusdemque retractatione, ſupra dictum eſt tantum quantum ſufficit. S. *Ambroſius* Mediolanenſis, in Pſalm. CXVIII. Serm. XXII. ad ultimum Pſalmi ejus verſum, Mariam fuiſſe *integram*, ait, *ab omni labe peccati*, quod ſi non de vitæ & morum ſed de Originis integri-

integritate intelligatur, ſibimetipſi in eundem Pſalmum Sermone eodem, contradixiſſet, per iſta: *Nemo ſine peccato. Negare hoc ſacrilegium eſt. Solus enim Deus ſine peccato eſt.* Et pariter de actualibus *Bernhardus* in Ep. ad Can. Lugd. *Ego*, inquit, *puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum* (nativitatem) *ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri, in natis quidem mulierum, creditur eſſe donatum.* Etiam ante plures quàm octingentos annos *Elias Cretenſis*, in Orationem quartam Nazianceni, *Dei*, inquit, *genetrix, ne ſordidis quidem cogitationibus, unquam inquinata eſt.* i.e. omnis expers fuit concupiſcentiæ. Concupiſcentia autem actuale eſt peccatum. Per iſta igitur ab actualibus peccatis declaratur immunis. Quid verò peccatorum actualium abſentia, ad Immaculatam conceptionem, circa quam controverſiæ cardo vertitur? Niſi fortè dixeris, à remotione effectus, rectè procedi ad remotionem cauſæ. Quamvis verò à remotione cauſæ ad remotionem effectus concludatur firmius, quàm vice verſa, à remotione effectus ad remotionem cauſæ, nolumus tamen hîc movere ſcrupulum, ſed largimur, ſublato effectu tolli quandoque cauſam. Videntur tamen priſci illi Patres, non ſic ſollicitè illa excuſſiſſe, ut iſta conſequentiarum vis, illis tunc, quando in honorem Filii, ſic honorificè de Matre ſtatuerunt, venerit in mentem. Ejus potius non recordati, humani aliquid fuerint paſſi.

LXX. Sed quicquid ſit de antiquorum iſtorum Patrum privata, à communi aliorum ſententiâ diſcretâ opinione, ſufficit extitiſſe alios æquè antiquos, qui aliter ſenſerunt & docuerunt. Quamvis enim iſta de actualium peccatorum abſentiâ, conceſſa interim Originalis præſen-

tia, opinio, antiquitatis teſtimonio non careat, caret tamen antiquitatis conſenſu. E conſenſu autem antiquitatis, minimè verò ex particularibus antiquorum ſententiis, validum ducitur argumentum. *Tertullianus* Latinorum antiquiſſimus, de Orat. Cap. VII. ſcribit: *Exomologeſis eſt, petitio veniæ, quia qui petit veniam delictum confitetur.* Ecquis verò dubitet, B. Mariam in congregatione fidelium, unanimibus votis Deum invocaſſe, atque conſuetam Orationem Dominicam eſſe precatam: toties verò quoties eam recitaverit, dixiſſe: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quod ſi verò cum hodiernis Pſeudonymis Pietiſtis, excipere, & prætendere placuerit, quod *non pro ſe ipsâ*, ſed *pro aliis*, vel quod ſaltem *humiliter non veraciter* dixerit, *Dimitte nobis debita noſtra*, prætenſam precationi cauſam, Mariam à commiſſo peccato liberare tantum abeſt, ut de facto & actu ipſo commisſi peccati eam convincat; nimirum dati ejus ſcandali, quod *Concilium Milevitanum* Anathemate dignum judicavit, Canone III & IIX. Huic igitur fulmini, ut Virginis ſimul ac ſuam cervicem ſubduceret *Bellarminus*, aliam commentus eſt quintæ precationi prætendendam cauſam, quam priusquam invenerit, multas credo inventorem inſomnes duxiſſe noctes. Viſum videlicet ſibi eſt, *neceſſariam Mariæ quoq; fuiſſe peccatorum remisſionem, non quidem eorum quæ commiſerit, ſed quæ fuiſſet commiſſura, niſi gratia Dei fuiſſet præventa.* Sed Bellarmini illud inventum, falsè, & meritò quidem, quia inſulſum, perſtringit, *Gerhardus Johannes Voſſius*, Hiſtor. Pelagianæ Lib. II. Par. III. Th. III. *Quid*, inquit, *hoc aliud eſt, quàm dicere, ei aliquid remiſſum, à quo nihil mali commiſſum: remiſſum ei peccatum, quod ab eâ non peccatum.*

Argum. à deprecatione in Orat. Domin.

LXXI. Cæterùm ſi redarguendi ſunt, à B. Virgine

Actua-

Actualia peccata removentes, eam quandoque in Actualibus peccatis deprehenſam eſſe, cùm Scripturæ Sacræ, tùm antiquorum Eccleſiæ Patrum teſtimonio eſt evincendum. Primum commiſſi actualis peccati indicium fit Lucæ I: Ibi in hiſtoria annunciationis, occurrit & animadvertitur vox dubitantis & promisſioni Angeli, de concipiendo & pariendo Filio, diffidentis, eò quod dixerit. *Quomodo fiet iſtud?* quæ diffidentia in *peccatum incredulitatis* degenerat. Aſt, ut verum fatear, in iſta B. Mariæ nuda quæſtione, ſciſcitantis *Quomodo futurum ſit iſtud*, quod polliceretur Gabriel Angelus? incredulitatis peccatum non ſatis mihi videtur conſpicuum. Quamvis verò in ſimplici iſta quæſtione tale peccatum non inveniam, quia haud peccare videtur, qui de negotio naturæ ordini adverſo, informari deſiderat, non tamen intactum fuit dimittendum, ut manifeſtum fiat, veteres qui inde incredulitatis peccatum collegerunt, haud quaquam feciſſe cum illis, qui Dei matrem ab omni actuali peccato immunem fuiſſe tradunt, atque hanc ſuam, nullâ Scripturâ nixam traditionem, ceu veram obtrudere conantur. *Chryſoſtomus* in hunc locum, poſt alia plura etiam iſta: *Quomodo fiet iſtud*, inquit Maria, *quoniam Virum non cognoſco?* Gabriel reſpondet. *Sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum non fuiſſes habita digna, ut huic miniſterio ſervires atq; ideò, quod INCREDULA es, per hoc crede.* Secundum iſta igitur, de *incredulitatis peccato*, haud dubitaverit Chryſoſtomus. Atque multò diſertius & expresſius *Euthymius*, quando apertè de Mariâ dixit: *Hæc itaq; NON CREDIDIT, ſicut Zacharias; non tamen INCREDULITATIS admonita eſt per pœnam: ille ſiquidem multa habuit exempla ſuſceptionis liberorum, Saram, Rebeccam, Rachel, Annam. Virgo autem nullum.* Comparat

hîc ad invicem Zachariæ & Mariæ incredulitatem, atque cenſet non minus hanc, quàm illum fuiſſe incredulam. Interceſſiſſe tamen inter utriusque incredulitatem illud diſcrimen, quod Zacharias in peccati pœnam, mutus ſit factus: Maria autem *incredulitatis admonita non ſit per pœnam*, i. e. non eſſe paſſam aliquam incredulitatis pœnam, ſicut Zacharias ſit paſſus. Inde tamen non ſequitur illud quod *Vasques* deducere conatur: nempè, in eo quod non crediderit non peccaſſe, quia nulla pœna in peccatum illud ſit animadverſum. Pœna enim non eſt peccatum ſed peccati conſequens. Hoc verò conſequens vel pœna, ſive remittatur, ſive non remittatur, intrinſecè non mutat peccatum, nec remiſſa pœna, peccatum deſinit eſſe peccatum. Si transgreſſio propterea quod non punitur, deſinat eſſe peccatum, in univerſum omnia peccata, quorum veniam impetrat pœnitens peccator, ſimul ac pœnam deprecatur, deſierent eſſe peccata.

LXXII. Lucæ II, cum Joſeph & Maria Chriſtum in Templo Hieroſolymitano docentem inveniſſent. *Dixit ei Mater ejus: Cur ita feciſti nobis? Ecce pater tuus & ego, cruciati quærebamus te. Tunc dixit ad eos* Jeſus, *quid eſt, quod quærebatis me? Anne neſciebatis, quod in iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Si indignationis plena reſponſio, indicium eſt, prægreſſæ alicujus actionis indignæ juſtaque indignatione dignæ, non potuit non Maria commiſiſſe aliquid indignatione dignum, quod committere non debuisſet. *Ambroſius* ad aſperiorem iſtam Chriſti reſponſionem: *Hic,* ait, *mater arguitur, quia adhuc quæ humana ſunt exegit*: videlicet, Mater à Filio exegit obedientiam parentibus debitam: oblita igitur ejus, quod Deo magis ſit obediendum quàm hominibus, ſibi potius voluit obediri quam Deo: atque in eo peccavit, quia per prætenſam obedientiam ſubjici

ſibi

ſibi voluerit Deum. Et *Euthymius* aliquantò ſeverius: *Quid eſt quod me quærebatis? quaſi errantem videlicet. Deus enim non errat.* Præſumtio autem erroris, quod erraverit Chriſtus, peccato non vacat, quia de Chriſto qui ſimul & Deus & homo erat, ita ſuſpicari aut præſumere, indignum erat, atque absque peccato præſumi non poterat. Neque etiam erat Maria neſcia ejus, quod Chriſtus Deus eſſet, & quod occupari deberet in iis rebus, quæ cæleſtis ſunt Patris. Quâ propter quæſtio Chriſti, *An neſcitis*, non ſic eſt intelligenda, quaſi iſta in re ignorantiæ eos argueret. Et in familiari enim loquendi uſu, & Scripturæ non infrequens aut inſolitum eſt, ſcientibus id ipſum quod optimè norunt, tanquam ejus eſſent obliti, objicere. Sic Paulus Rom. VI; *An neſcitis, quod cui ſiſtetis vos ipſos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis.* Et ibidem X; *An neſcitis de Eliâ, quòd dicit Scriptura.* Atque iterum I. Corinth. III: *An neſcitis vos eſſe templum Dei?* Involvit autem iſte loquendi & interrogandi modus vel exprobationem ignorantiæ ejus quod ipſe ille qui compellatur ignorare non debebat, vel ſignificat aliquid diſconveniens ei quod aliquis benè novit. Utrovis verò modo ſumtum applicetur ad Mariam, humani aliquid paſſa illa fuerit, & actu peccaverit.

LXXIII. Tertius locus, aliquid actualis peccati in Θεοτόκου cervicem inducens, extat Johan. II, ubi primi miraculi quod Chriſtus Canànæ Galilææ in nuptiali convivio fecit, hiſtoria recenſetur. *Vocatus eſt etiam Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias. Et quum defeciſſet vinum mater ejus dixit ei. Vinum non habent. Dixit ei Jeſus. Quid mihi tecum mulier, nondum venit hora mea?* Quod ſi Mater per iſta commisſi actualis peccati ſit convincenda, ad Filii potius quàm Matris verba erit attendendum. Si igitur

tur in priore Luc. II, Mariæ & Joſepho, filium anxiè quærentibus dato reſponſo, aliquod eſt indignantis veſtigium, luculentius in eo apparet, quod reſpondendo dixit: *Quid mihi tecum mulier?* Involvit enim reſponſum illud, etiam *increpationem.* Quod obſervavit mallius ille Arianorum *Athanaſius* Oratione adverſus Arianos IV, quando ἐπίπληττε τῇ μητρὶ, ſic expoſuit *increpabat matrem.* Et in eundem modum *Chryſoſtomus* in Matth. Homilia XLV. *Increpuit importunè petentem.* Apud *Euthymium*, extat *correptionis* vox. Mitisſimus igitur Servator, ſi Matrem, præter meritum & in nullo peccantem, ſic *increpuiſſet*, vel *corripuiſſet*, vel eam *repuliſſet*, ſicut eum feciſſe veteres memorant interpretes, ipſe celeri ira præventus, ſic præcipitanter ſine juſtâ causâ in increpationem erumpens, peccaſſet. Peccatum igitur, ſicut à Filio, qui non novit peccatum, eſt avertendum, ita in Matrem, humani aliquid paſſam, eſt divolvendum, & credendum, quod inconſultâ iſtâ compellatione filii peccaverit. Facimus igitur cum *Theophylacto*, dicente: *Ille* (Chriſtus) *non corrigit eam absq; cauſa.* Cauſa autem correptionis eſt delictum, ſiquidem *nemo juſtè increpatur, niſi in quo eſt aliquid increpatione dignum*: quæ poſteriora verba, ſunt *Auguſtini*, Secundo de Peccatorum meritis & remiſſione, Cap. XXVI. Veruntamen ad Matris exculpationem facere videri posſit, quod, non tàm ex Matris compellatione iſta, *Vinum non habent*, quàm è Filii diſplicentiam teſtantis reſponſo, illam peccaſſe, conjecturam faciamus. Quod ſi ita eſt, non intenderit Mater offendere Filium, & quum nullum penes ipſam fuerit offendendi propoſitum, omni illa vacaverit culpa. Sed liberaretur per iſta, à proëretico quidem peccato, attamen non à veniali, qualia ex incogitantia, nobis quamvis invitis & nolentibus

quandoque obrepunt. Quandoquidem igitur nullum peccatum ex ſe & ſuâ naturâ eſt veniale, ſed dicitur ſaltem talè vel ex eventu, vel ratione perſonæ, venialiter peccando, revera peccaverit, quia etiam veniale peccatum, veri nominis eſt peccatum: quod in noviſſimo ſcripto de *vario hominis ſtatu*, ſatis copiosè demonſtratum dedimus.

LXXIV. Quod poſt increpationem additur, *Nondum venit hora mea*, ad Chriſti ætatem eſt referendum, quaſi dixiſſet interrogando. Nondumne venit iſta hora, ſeu ætatis meæ anni non venerunt, qui me imperio materno eximant? In iſtam ſententiam ex antiquis ivit *Gregorius Nyſſenus* Oratione in illud Pauli, *Tunc filius ſubjicietur* &c. Verba ejus ita habent. *Maternum conſilium, ut quod minimè in tempore adjiceretur, rejicit, dicens, quid mihi & tibi, mulier? Numquid etiam hanc meam ætatem regere vis? An nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, ut imperet & ſit ſui juris?* Improbaturam iſtam interpretationem partem adverſam, tantò vereor minus quantò mihi polliceor certius, non eſſe etiamnum inter Pontificios, qui probaverint olim conſuetam Mariæ invocationem iſtam:

O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera
Jure Matris impera, Redemtori.

LXXV. Debet quidem præſumtio ſemper in meliorem inclinare partem, præſertim ſi adverſus præſumtionem proteſtentur ilii, de quibus præſumitur. Proteſtantur autem cum Bellarmino etiam *Hayus* & alii. *Bellarminus* Imputationem iſtam Calvini, calumniam interpretatur: *Quis*, ait, *noſtrum hoc dicit*: nempè Virginem eſſe rogandam ut Filium facere jubeat quod petitur. *Cur*, Calvinus, *non probat ullo exemplo.* Et *Hayus* Diſputationum lib. II. Cap. VI: *Impudentiſſimè* dicit, Calvinum compellans, *hoc nobis imponis.*

nis. Nullus enim noſtrum eſt, qui hoc carmen unquam cecinit. O utinam nunquam ceciniſſent, aut qui cecinere, canere deſinerent. Aſt plus ſatis cantatam iſtam cantilenam Miſſalia publica Pontificum auctoritate impreſſa, quale eſt Eccleſiæ Tullenſis, teſtantur. Et quamvis Bellarminum inſulſæ precationis pudeat, ideoque uſitatam illam eſſe perneget, excuſare tamen eam ſatagit, & quod haud impiè rogetur Maria, ut natum jubeat, prætendit. Quæ verò Bellarminus obſcuritatibus involvit, apertè profitetur *Cotonus.* Nempè ne ἀναπολόγητος deſereretur invocatio iſta, aſſumit illud quod Lucæ II, 51 de Chriſto duodecim annorum puero dicitur, *fuiſſe illum ſubditum vel ſubjectum parentibus*, atque ſubjectionem iſtam, paritionem includere infert. *Si ſubditus*, inquit, *ergo juſſionibus obnoxius: nam imperare & ſubjici relata ſunt.* Sed tempora ſi diſtinxiſſet Cotonus, nec exinanitionis ſtatum cum ſtatu glorificationis atque axaltationis ad dextram Dei Patris, non confudiſſet, non ita crudè intuliſſet. Quæ enim ad redemtionis officium pertinent, iſta omnia in primò ejus adventu in ſtatu exinanitionis ſuſtinuit. Non tantùm ſubjectus fuit parentibus, ſed de uno injuſto judice deductus eſt ad alium: virgis eſt cæſus: in ara crucis pro peccatis totius mundi ſatisfaciens, eſt mortuus. Sed *Chriſtus excitatus ex mortuis non amplius moritur, mors ei amplius non dominatur. Nam quod mortuus eſt, peccato mortuus eſt.* SEMEL mortuum ait. Quod autem ſemel tantum fit, id non habet regreſſum, ut iterum fiat. Quod igitur tempore exinanitionis, ſemel fecit, paſſus eſt & ſuſtinuit, non habet in ſtatum exaltationis regreſſum, ut in illo iterum faciat, patiatur & ſuſtineat.

LXXVI. Et,

LXXVI. Et, ſi legitimè infertur: Cuicunque Chriſtus ſubjectus fuit in ſtatu exinanitionis, ille pollet poteſtate ei imperandi in ſtatu exaltationis: de Joſepho nihilo minus ſubſumere liceret ac de Mariâ. Subditus enim fuiſſe dicitur non αὐτῇ, ſed αὐτοῖς, patri nimirum & matri. Quod ſi igitur ſubjectio iſta, iis quibus ſubjectus fuit, poteſtatem imperandi largitur, non minus Joſepho quàm Mariæ eſſet largitura. Atque, ſi vi ſubjectionis iſtius, rectè rogatur Maria, velit illa *jure matris imperare filio*: non minus rectè rogabitur Joſephus, velit ille *jure patris imperare filio.*

LXXVII. Porrò, in Chriſti declaratione, quantum *humiles corde* præſtent ambitioſis, atque factâ Marci X,45, ad ſemet applicatione, quod *Filius hominis non venerit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret*, inveniſſe ſibi viſus eſt Cotonus, quo impiam Mariæ invocationem palliaret. Argumentum foret tale; Qui negat ſe veniſſe ut ſibi miniſtraretur, & affirmat quod venerit ut miniſtraret, in eum imperium poſſident illi, ad quos, ut iis miniſtraret, venit. Sed Chriſtus venit ut miniſtraret matri. Ergo mater imperium in Chriſtum poſſidet. Eſt argumentum, tanto Doctore in Israël, quantus Cotonus & videri vult & à ſuis habetur, haud dignum. Si ſolius matris gratia miſſus eſſet & veniſſet in mundum, aliqua fortè veriſimilitudo, iſti tribui poſſit illationi. Aſt *venit filius hominis ut miniſtraret* in ſtatu exinanitionis, non tantùm matri ſed etiam diſcipulis. Ergone etiam diſcipuli imperium tenent in Chriſtum exaltatum? Ergone dicendum, S. Petre impera Chriſto?

LXXIIX. Nec ſpecioſioris coloris eſt argumentum è Joſuæ X exterrebratum. Dictum ibi legimus: *Deum obediviſſe voci hominis.* Inde ſcilicet, DIs ad juſtam ex-

ſtimulatis iram, egregiè infertur. Si Divinæ Majeſtat non præjudicat, *obedi-viſſe voci hominis*: etiam Chriſti Majeſtati præjudicare haud poterit, *obedi-viſſe voci matris*. Hinc verò porrò, pari infertur deduciturve felicitate, nunc etiam poſſe Mariam, *ut imperet Chriſto jure matris*, rogari. Verùm enim verò, quâ neceſſitate inductus ſit, vetus vulgatus interpres, ut eandem vocem, quam alias paſſim per τὸ *exaudire* reddidit, in hoc ſolo loco maluerit ex primere per *obedire*, ariolari equidem nequeo. Non magis enim hoc in loco innuitur Dei obedientia, quàm Geneſ. XXI, ubi *Exaudi-viſſe* dicitur *Dominus vocem pueri*. Item Geneſ. XXX, *Exaudi-vit vocem meam*. Negare igitur haud poterit Cotonus, vocem *obedire*, hoc in loco æquipollere voci *exaudire*. Qui enim exaudit vocem invocantis, ille obedire vel obſequi videtur voci invocantis, eò quod precationi locum dat. Atque iſta obiter, occaſione impiæ invocationis, cui fucum, ne impietas pelluceat, illinere qui præſumunt, profanæ impietatis fiunt participes.

LXXIX. Quartus locus B. Virginem commiſſi actualis peccati arguens, legitur apud Marcum Cap. III. 31: *Venerunt fratres & mater ejus, & foris ſtantes, miſerunt ad eum & eum vocarunt. Sedebat autem circa eum turba, & dixerunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Tunc reſpondit eis dicens: Quæ eſt mater mea aut fratres mei?* Spectandum hîc eſt, quid fecerit Chriſtus? Et etiam quid fecerit Maria? Fungebatur Chriſtus docendi munere, auditorum cinctus coronâ. Non debebat igitur in officio ulla interpellatione turbari. Maria manſit foris, & miſit ad eum nuncium, qui inde evocaret. Si igitur peccavit Maria, peccaverit vel in utroque vel in alterutro. Non in eo peccavit, quod foris manſit: quia teſtatur Matthæus

thæus, non potuiſſe eam intrare. Peccaverit igitur in eo, quod miſſo nuncio in officio turbaverit, atque Filium inde avocare ſit conata. Hic verò duplex ſeſe exſerit Mariæ peccatum: & *arrogantiæ* & *temerariæ avocationis* ab officio docendi. *Arrogantiæ* quidem, quod avocando per internuncium, imperium conata ſit exercere in Filium. Obſervatum hoc invenio *Theophylacto* Comment. in Matthæum: *Humani quid,* inquit, *voluit oſtentare mater, nimirum ſibi jus eſſe imperandi Filio. Nec dum enim quicquam magni de Filio ſapiebat. Propterea adhuc loquentem voluit ad ſe avertere: glorians de ſubdito ſibi filio.* Atque idem in Marcum. *Mater,* ait, *ambitionis nonnihil paſſa, venit eum à docendo averſura: oſtenſuraq; turbis, ſe eum quem illæ mirarentur, ita circumducere, ut à docendo abduceret.* Deinde in eo quoque peccavit, quod occupatum in docendo intempeſtivè interpellavit, non quidem per ſemet ipſam, ſed per nuntium: & quod ſalutarem doctrinam ejus, non ſine auditorum fraude & damno, interrumpere eſt auſa. Appoſitè igitur *Euthymius* in Caput XII Matthæi. *Quia tunc multitudinem docebat, nec æquum erat ut hos relinqueret, & ad matrem, ac fratres percurreret, ait, Quæ hujusmodi mater mea eſt, aut qui hujusmodi fratres mei ſunt, ut propter illorum obſequium, tantæ multitudinis utilitatem parvi pendam?*

LXXX. Denique immoderatè dolere, cruciari & concuti præ dolore, *diffidentiæ peccatum* eſt. Maximè tunc quando promiſſiones ejus, qui nec falli nec fallere poteſt, diffidere prohibent. Prædixerat Chriſtus, aſſumti humani corporis & mortem & reſurrectionem. Quotquot itaque Chriſti prædictionibus fidem habuerunt, eos ſpes certæ reſurrectionis magis erigere & ſolari, quàm *Diffidentia peccatum.*

ſpectaculum crucis, ad promiſſæ reſurrectioni diffidendum inducere debuiſſet. Aſt Mariæ *animam pertranſivit gladius*. Quid iſta Scripturæ phraſi indigitetur, verbis *Viti Boſtrenſis* exponam. *Gladii nomine*, ait ille, *tentatio cogitationumq; fluctus, & mentis agitatio, hoc loco deſignatur. Simeon namq; ſacræ Mariæ virgini vaticinatur, poſt luculentum illud Gabrielis teſtimonium, poſt arcanam divinæ conceptionis notitiam, poſt evidentem tot illuſtrium miraculorum demonſtrationem, quando cruci aſſiſtet, factaq; & dicta quæ tunc ſe offerent, cernet & audiet, quandam animi titillationem obrepturam.* Ita quidem Boſtrenſis: ſed vehementiores, gladio animam pertranſeuntis adſimilati ictus, non *titillant*, ſed percellunt & concutiunt. *Titillationis* igitur vox, per oſſa & medullam penetrantem dolorem, non ſatis ſignificanter exprimit. Si verò doloris magnitudo, ex oppoſiti gaudii magnitudine eſt æſtimanda, *Rupertus Abbas Tuitienſis*, natam è Filii morte acerbitatem doloris, in excipiente Reſurrectionem gaudio, tanquam in ſpeculo repræſentaverit. Ubi enim in pasſione Chriſti, Mariæ *animam gladium pertranſiiſſe* dixiſſet, *perpendere* jubet, *Chriſtianam devotionem, quantus torrens gaudii repente inundans, locumq; vulneris replens, animam ejus ferro doloris confoſſam inebriavit, cum redivivus Filius, illi ante omnes fortasſis mortales, materno virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annunciavit.* Si quantus gaudii torrens inundavit inebriavitque Mariam, tantus quoque doloris torrens, ex animâ doloris ferro confoßâ, erumpens, Mariam inundavit inebriavitque, excesſivè immoderato, à peccato non alieno dolori, eam indulſiſſe oportet. Triſte enim crucis ſpectaculum, usque adeò ſpectantes confudit & concusſit, ut Mariæ Matris Domini, & omnium

ejusdem

ejusdem diſcipulorum ſpes decollaſſe videretur. De ſingulorum diffidentia ſcripſit *Chryſoſtomus* in Pſal. XIII. *Quando Chriſtus fuit crucifixus, non fuit qui faceret bonum. Diſcipuli omnes fugerunt. Johannes nudus recedit. Petrus negat, ipſius Mariæ matris animum, gladius dubitationis pertranſiit.* Ecquis verò iſtam *dubitationem in diffidentiæ peccatum* erupiſſe, negare auſit?

LXXXI. Nec eſt quod cum Boſtrenſe iſtum Matris Domini dolorem extenuent, atque *animi* quandam *titillationem* quæ cruci adſtanti *obrepſerit*, interpretentur; quaſi ad triſte mortis ſpectaculum, naturali aliquo animi motu ſaltem ingemuerit, ſicut parentes, quando absque ullâ reſurrectionis dubitatione aut diffidentiâ, filios filiasque mori cernunt, ingemiſcunt & ſuſpirant: phraſis enim *tranſitionis gladii per animam*, ſummi gradus, cum dubitatione & diffidentiâ conjunctum dolorem, ſignificat. Tunc autem quando Chriſtus crucifixus eſt, *ſummos cum cruciatu conjunctos dolores*, Crucifixi matrem invaſiſſe, & occupaſſe etiam ſuperſtitioſisſimi Mariæ cultores non disſimulant. Superſtitioſi in Idololatriam quandoque degenerantis cultus, ſpecimina quingenta edidit *Simon Wangnereckius*, quando è XII Menæorum Tomis & VII reliquis Eccleſiæ Græcæ voluminibus, *Pietatem Marianam Græcorum* excerpſit. Numero autem 193. *Virgo, cujus Magnitudo laudatur, cum in luctu quondam verſaretur*, introducitur *his uſa verbis*: *Fili! præ* CRUCIATU *refugiunt oculi mei, adſpicere te obdormiſcentem in cruce.* Item Num. 222. ſub rubricâ, *Virgo, inter ſummos apud crucem dolores Deum glorificare non deſiit.* Deinde introducitur *S. Theophanes*, Chriſtum Servatorem oratione compellans tali: *Chriſte Servator! cùm ab impiis cruci affixus hæreres, tuumq; latus militari lanceâ*

 perfo-

perfoderetur, Intemeratiſſima genetrix tua, inter hunc prægravem luctum. admiratione multiplicis & adorandæ patientiæ tuæ, in ecſtaſin rapta &c. Ecquid verò *ſummi cruciatus dolores*, num *prægravis in ecſtaſin rapiens luctus*, titillat, an percellit animum? nonne perculſum & conſternatum ad diffidendum adigit, numquid rebus ſuis deſperare potius quàm confidere jubet?

LXXXII. Sed de iſta Græcorum Pietate Marianâ, prolixius fortè dicendi oportunior ſe exſeret oportunitas. Pro præſenti demonſtraſſe ſufficiat, quod in actualia B. Virginis peccata conſentiat ipſa S. Scriptura, intellecta, ſicut diu ante motam de Immaculatâ conceptione controverſiam, eam intellexerunt primævæ Eccleſiæ Patres, quos tutius ſequimur quàm novi dogmatis aſſertores, quum hos præjudicium cauſæ quam defendunt occupaverit, illos autem nec favor nec odium cauſæ, quam ignorarunt, corrumpere potuit.

LXXXIII. Quandoquidem verò ab oſtenſis Mariæ actualium peccatorum nævis, totius controverſiæ de Immaculata ejus conceptione deciſio pendet, eorum quæ tecta & occultata, quàm prolata mallemus, faciendum fuit indicium. Eadem enim operâ, per quam demonſtratur, aliquas humanas B. Virginis imbecillitates erupiſſe in actum, demonſtratur quoque, non potuiſſe eam Originalis peccati, è quo Actualia tanquam rivi è fonte emanant, fuiſſe expertem. Origine enim ſeu fonte peccati obſtructo, non magis inde erumpere poſſunt actualia peccata, quàm ſublatâ causâ poteſt prodire effectus: & vice versâ, poſitâ cauſa non poteſt non ſubſequi effectus. Quod ſagacem Auguſtini mentem non ſubierit tunc, quando Servatoris Matrem in honorem Filii à peccatis actualibus immunem cenſeri

poſſe, eſt opinatus. Sed ſufficit, iſti ſententiæ non eſſe immortuum Auguſtinum, ſed alibi eam mutaſſe, ceu in antecedentibus eſt oſtenſum. Supra me affirmaſſe recordor, quod à remotione cauſæ, ad remotionem effectus firmius concludatur, quàm à remotione effectus ad remotionem cauſæ. Ratio eſt, quod ſuſpenſis quandoque & intermiſſis venialibus peccatis, peccati poſt Baptismi lavacrum reſiduus & ſuperſtes fomes, non extinguatur. Eſt autem languor naturæ, peccato Originali corruptæ, tantus, ut homo absque peccatis venialibus, per diuturnum & notabile tempus eſſe non posſit. Quamvis igitur ad exiguum fortè temporis intervallum, ceſſet cauſæ peccati effectus, non tamen ſimul removetur & ipſa cauſa, ſed quam diu manet fomes peccati, tam diu manet ejusdem cauſa. Etenim omnis & tota peccati cauſa nunquam tollitur, quantumvis non continuetur ſine ullâ remisſione effectus.

LXXXIV. Quantumvis verò absq; Actualium peccatorum demonſtratione ſi foret, cum miſeriis tamen & ærumnis, ei conflictandum, atque talia, qualia non alii, quàm qui peccato ſunt obnoxii, & non propter alienum ſed propriâ culpâ commiſſum peccatum ſuſtinent, B. quoque Virginem ſuſtinuiſſe, usque adeò eſt evidens, ut pars adverſa negare non posſit. Inter illa *mors*, quæ *per unius hominis peccatum introivit in mundum* Rom. V, 12. & eſt *ſtipendium peccati* Rom. VI, 13. eminet. Quæcunque igitur mulier peccati ſtipendium promerita & mortua eſt, illam ſtipendio iſtoc militaſſe, & revera ſive propriâ ſive alienâ culpâ aut in alio, peccaſſe oportet. Sed Maria eſt mulier, quæ peccati ſtipendium promerita & mortua eſt. Ergo Mariam iſtoc ſtipendio militaſſe, & revera ſive propria ſive aliena

E morte, peccati ſtipendio, accerſitũ argumẽtum.

aliena

aliena culpa, aut in alio peccaſſe oportet. Eleganter hanc in rem *Auguſtinus* Conc. II. Pſ. XXXIV; *Maria ex Adamo, mortua propter peccatum Adæ.* Videlicet *ex cujus peccato in omnes homines mors tranſiit*, quia *in eo omnes peccarunt* Rom. V, 12. *Adam* pergit Auguſtinus, *mortuus propter peccatum. Et caro Domini ex Maria, mortua eſt propter delenda peccata.* Et ipſam quoque carnem illam, è quâ caro Domini, mortuam eſſe, negare non poſſunt qui feſtum Aſſumtionis Mariæ celebrant.

Aſſumtio & Dormitio S. Mariæ. LXXXV. Dicitur autem *Aſſumptio*, Dies mortis Sancti alicujus, quo ſcilicet ejus anima in cœlum aſſumitur. Ita apud *Odericum Vitalem* Lib. V. pag. 593, *Aſſumptio S. Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ* memoratur. Propriè verò Aſſumptio dicitur tranſitus B. Mariæ, ſicut ait *Durandus* Lib. VII. Ration. Cap. I. num. 19. *Frodoardus* in Leone IV PP.

Tandem clara dies Reginæ Adſumptio cœlis
Regiparentis adeſt

Adſumptio iſta, etiam *Dormitio S. Mariæ* dicitur, quæ in vetuſtisſimo Kalendario Allatiano *Pauſatio* audit *Dominizo* Lib. II de vita Mathildis Cap. XIV.

— — — *Sanctæ Dormitio Virginis, atque*
In medio Menſe qui ſextus noſcitur eſſe
Tunc celebrabatur.

Et *Aſſumptionis* S. Mariæ, & *Dormitionis* S. Johannis meminit *Burchardus* Monach. de Caſib. S. Galli Cap. II. *Ad dextram verò partem ejusdem Capellæ, Aſſumptionem S. Mariæ cùm depinxiſſet, aram etiam ei ibi conſecravit: in ſiniſtra verò parte, Dormitionem S. Joannis cùm decoloraſſet, ſibi etiam inibi altare ædificavit.* Quod ſi igitur *obdormivit*, & quo ad animam in cælum eſt *adſumpta*, revera temporali & naturali

naturali morti eam ſuccubuiſſe, atque moriendi neceſſitatem, quæ eſt peccati pœna, ſubiiſſe oportet. Pugnat enim cum infinitâ Divinâ Juſtitiâ, immuni à peccato, irrogaſſe peccati pœnam. Deinde præter moriendi neceſſitatem, aliis quoque è peccato emanantibus miſeriis obnoxiam fuiſſe Mariam, ſupra probatum ivimus, ubi de *Gladio ipſius animam pertranſituro* Lucæ II, & de *paſſionibus animi* eſt actum. *Theophylactus* ait: *Fortè afflictio in paſſione*, nempè Filii, *forte etiam rompheam appellat ſcandalum, quod paſſa eſt, quum Dominum vidit crucifixum.* Quaſcunque igitur Maria ſuſtinuit tribulationes, ærumnas & calamitates, non propter aliena ſed ſua propria peccata ſuſtinuit. Solus enim Chriſtus eſt ille, qui *pro peccatis noſtris*, quæ aliena erant, *traditus* dicitur ad Rom. IV.

LXXXVI. In conſiderationem antea vocavimus, ſalutationem Gabrielis Angeli, B. Mariæ annunciantis, quod *conceptura ſit in utero & enixura Filium, cujus nomen vocari debeat Jeſus*: Lucæ I, 31. Demonſtratum etiam dedimus, quàm nihil pro probanda Immaculata conceptione, magnifica encomia quibus Mariam mactavit Angelus, faciant. Deinde illius dubitationem diffidentiæ, à peccato non fuiſſe immunem, oſtendimus. Ulterius autem progreſſi *Exultaſſe Spiritum illius ſuper Deo* SERVATORE *ſuo*, intelligimus. Quo verò reſpectu Deus *Servator* aut *Salvator* dicatur, nemo eſt qui ignoret. Nempè quia unigenitum filium ſuum dedit, ut *ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum* Matth. I, 21. Quæ igitur Deum Servatorem ſuum eſſe agnovit, non potuit non agnoſcere, ſeſe non minus quàm alios homines Salvatoris, qui ſicut alios homines, communi modo genitos, ita ſe quoque ſalvam faceret à peccatis ſuis, indigere. Ecce agnoverit ipſa, quod hodie

Pontifices Romani, cum omnibus cœcam his debentibus obedientiam, non agnoſcunt.

LXXXVII. Cæterùm pertinet Immaculatæ Conceptionis dogma, ad B. Mariæ ſemper virginis cultum. Eſt autem cultus vel latriæ vel duliæ conteſtatio. De iſtius igitur cultus & venerationis initiis, incrementis & ἀκμὴ, quando ad ſummum iſta ſint deducta culmen, eſt diſpiciendum. Initia fuere tenuia, quæ eundo creſcente & adaucta ſuperſtitione, robur ſunt indepta, Audiatur hac de re *Paulus Venetus* è Servitarum familiâ Pontificius ſcriptor, qui ſub *Petri Suavis Polani* nomine Hiſtoriam Concilii Tridentini, publico donavit. Libro II, editionis Francofurtenſis p. 199; *Ad integram*, inquit, *totius rei intelligentiam, neceſſarium eſt controverſiæ hujus originem, ab ipſis primordiis repetere. Ex quo Neſtorii impietas diviſit Chriſtum, duos conſtituens filios, & eum, qui Virgine Mariâ genitus, Deum eſſe negans, Eccleſia ut in animos fidelium veritatem Catholicam inſereret, in Orientis juxta atq; in Occidentis Eccleſiis bina hæc verba ſæpius inculcanda exiſtimavit, quæ Græce ſic habent:* Μαρία θεοτόκος, *Latine ſonant* maria mater Dei. *Id quidem in honorem Chriſti inſtitutum, cum matre ſenſim communicari cæpit, & tandem, ad eam ſolam omninò relatum. Eadem de cauſâ, ubi cæperat frequens imaginum uſus, ſolebant Chriſtum infantem in ulnis virginis matris depingere, ad venerationem Chriſto, etiam ea ætate debitam, atteſtandam. Sed aliquanto poſt, ventum ad venerationem matris absq; filio, illo tanquam appendice picturæ addito. Dein ſcriptores & concionatores, inprimis ii, qui ſpeculationi dediti, impotentiâ vulgi (quod in his tamen plurimum poteſt) quaſi torrente abrepti omiſſa Chriſti mentione, in novis Encomiis, Epithetis & cultus religioſi generibus B. Virgini excogitandis certatim incubuerunt*

runt. Adeò ut circa annum ML Officium quotidianum VII horis Canonicis diſtinctum, in ejus honorem inſtituerint, eadem forma, quâ ab antiquisſimis temporibus, in honorem Divinæ Majeſtatis ſueverant celebrari. Iſta Paulus Venetus.

LXXXIIX Nova Encomia, Epitheta & cultus Religioſi genera, in B. Virginis venerationem excogitata, & certatim inculcata, inter arcana iniquitatis Myſteria, non ſunt referenda, ſiquidem occultata non ſunt, ſed publicè proſtant. Iſthoc pertinet invocatio & compellatio B. Virginis, quæ Coloniæ in templo undecim mille Virginum ſuſpenſa tabula eſt expreſſa, & ut nemo non intelligeret, lingua vernacula plebi præſcripta. O Brunn der Ewigen und himmliſchen Gnaden/ verlaſſe mich nicht/ ſondern nim̃ mich unter deinen Mantel deiner grundloſen Barmhertzigkeit / O unſer aller Leben/ O Hülfferin aller Angſt und Noht / O Urſprung unſers Heils / O Anfang unſers Lebens / O Erlöſung des menſchlichen Geſchlechts / O Verdienerin des natürlichen Lauffs / O Erneuerin der menſchlichen Natur / O Mittlerin zwiſchen GOtt und Menſchen / O Hoffnung unſer Belohnung. Dic ſodes anne per iſtas invocationes, *ventum ſit ad venerationem Matris, absq; Filio?* Anne talia *in B. Virginis bonorem, inſtituta ſint eadem forma, quâ ab antiquisſimis temporibus in honorem Divinæ Majeſtatis, celebrata* perhibet Paulus Venetus. Huc quoque referenda, eximia iſta invocandi formula, *O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera* &c. quam ſupra allegatam repetere ſuperſedemus.

LXXXIX. Iſta ſi ſecum expenderint, in cultum B Virginis cœco zelo quaſi *torrente abrepti*, diffiteri mehercule haud poterunt, ſupra modum, iſtas ſive compellationes ſive invocationes exorbitare. Nolo nunc pondus peccati

penſare; ſiquidem quanti ſit, à creatura expectare aut poſcere aliquid, quod largi ſolius eſt Dei creatoris, ex ſe & ſuâ naturâ eſt manifeſtum.

XC. Iſtæ autem, aut illis parum diſſimiles in Mariæ-latriam degenerantes precationes, quum non tantùm fuerint frequentes, ſed illis decantandis ſtata tempora deſtinata, atq; ad officium quotidianum VII horarum Canonicarum redacta, in gratiam ſtudioſæ juventutis noſtræ, cujus mihi habenda eſt ratio, horarum Canonicarum inſtitutum, hac occaſione, mihi eſt exponendum. Quantumvis enim profectiores iſtius nihil ignorent, non paucis tamen eorum, qui ad Theologiam animum applicant, hîc hæret aqua.

HORARUM CANONICARUM explicatio. XCI. *Horæ Canonicæ*, Officia dicuntur, quæ in Eccleſia fideles pſallendo exſequuntur, ſic dicta quia certis horis recitari debent, juxta Canones & regulas SS. Patrum. Hæ autem ſeptem numero ſunt. *Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpertina & Completorium*: quæ ita recenſentur in Canonibus Saxonicis *Ætfrici* ad *Vulſinum* Epiſcopum Cap. XIX. Nempè *Cantus antelucanus* : *Cantus matutinus* : *Cantus meridianus* : *Cantus nonalis* : *Cantus veſpertinus* : *Cantus nocturnus*. Papias. *Synaxis Græcè, Horæ dicuntur, quando fratres conveniunt.* De horis Canonicis & earum inſtitutione & antiquitate, ex SS. Patribus multi ſcripſere, qui de ritibus Eccleſiaſticis Tractatus ediderunt. Inprimis *Durandus* lib. V, Ration. Cap. I. *Duratus* de Rit. Eccleſiaſt. Lib. III. Cap. I & ſeqq. *Pamelius* Comment. ad Cyprianum, de Orat. Domin. *Bellarminus* lib. I. de Bon. Oper. Cap. XI. *Baronius* an XXXIV. num. 163. 251: an. LI. num. 69 : & alii paſſim. ψαλλειν τὰς ὥρας dixerunt Græci recentiores. *Dominizo* Lib. I. de

Vita

Vita Mathild. Cap. XV, quotidianum Horarum Officium, monaſticam indolem redolente metro, ita deſcripſit:

Pſallebant ſemper Capellani reverenter,
Horas nocturnas ſibi, quotidieq; diurnas.

XCII. Conſtituti quoque fuerunt *Horarum Receptores & Horoſcopi*, qui Canonicas horas perſolvendas curarunt in Eccleſia, & ſtipendia Canonicis, Horas Canonicas intererantibus, perſolvebant. Necrologium Eccleſiæ Pariſienſis II Non. Febr. *Hic dicitur fieri Miſſa de B. Virgine, — in quâ* Receptor horarum, tenetur diſtribuere Canonicis, & majori altari ſervientibus unicuique duos ſolidos. Hujus munus *Officium Horarum* dicitur.

XCIII. Mos iſte, diſtribuendi inter Canonicos celebrandis Horis Regularibus vacantes ſtipendia, etiam in Proteſtantium cùm Cathedralibus, tùm Collegiatis Eccleſiis etiamnum obtinet. Donariis videlicet iſtis, ad alacrius cultui Divino vacandum, alliciuntur. Abſentes qui ſe ſubducunt, iſtoc præmio mulctantur. Veriti videlicet ſunt pii majores noſtri, vacatura quandoque eſſe in Choro Canonicorum ſubſellia, ni lucello ad præſtandum officium inducerentur.

XCIV. Præterea, Horæ iſtæ, apud Pontificios in duplici ſunt differentia. Quarum aliæ *Regulares*, aliæ, *Horæ de S. Maria* dicuntur. *Horarum Regularium*, mentionem facit *Lanfrancus* in Decretis pro Ord. S. Benedicti cap. XIV & ſeq. Dicebantur autem Horæ Regulares etiam *Canonicæ*, quæ juxta regulam monaſticam, in Eccefia decantantur.

XCV. *Horæ de S. Mariâ*, in aliquibus Eccleſiis Monaſticis, cum *Horis Regularibus* cantantur. De his liber Ordinis *Victoris Pariſienſis* Cap. L. *Sive hora regularis, ſive de S. Mariâ.* Et ibid. Cap. LV: *Notandum quod horæ de S. Maria mediocri voce dicendæ ſunt, & cum cantu, & in his non inclinatur ad Gloria Patri.*

XCVI. Iſtæ *Horæ de S. Mariâ*, in Officium quotidianum VII horis Canonicis diſtinctum, ſeſe inſinuaſſe videntur. B. Virgo igitur, ſingulis diebus, ſepties, *eadem formâ quâ ab antiquiſſimis temporibus, in honorem Divinæ Majeſtatis*, pii Majores nomen Dei altiſſimi, *celebrare conſueverunt*, celebratum fuerit nomen B. Virginis. Anne verò ſolenni iſta celebratione, honori ſoli Deo debito tantum deteratur, quantum datur & tribuitur indebito B. Virginis honori, viderint illi quorum inter eſt: in ſupremi diei Judicio, juſto Judici, de cultu in honorem Mariæ præſtito, ſicut de aliis in mortali corpore geſtis negotiis, reddituri rationem.

De Marialatriâ. XCVII. Horis Canonicis expeditis, ad pertexendam Hiſtoriam juxta Hiſtoriographi noſtri ductum progredimur. *Tùm*, pergit ille, *centum proximè ſequentibus annis, in tantum veneratio excrevit, ut ad culmen perveniſſe videretur: quæ de Divinâ Sapientiâ, in Scripturis prædicantur, ei attributis.* Symbolam addiderunt illi, qui invectis precationibus, à B. Virgine poſtularunt, largitionem ejus, quod impertiri ſolius eſt Dei. Talia ſunt remiſſio peccatorum, ſicut & Mediationis officium inter Deum & homines. Quod, quum *unus ſit Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus* alteri tribuere eſt nefas. Et tantum hujus *mediationi* derogatur, quantum tribuitur illius. In Sacrâ aliqua Hiſpanicæ ditionis æde, effigiatam ferunt, Chriſti crucifixi, de ſaucio latere copioſum fundentis ſanguinem, dextrum occupantem

latus,

latus, imaginem, ſiniſtrum B. Virginis, lac de uberibus ſpargentis comparuiſſe effigiem, addita ſubſcriptione iſta.

Hinc ſanguine paſcor; inde ubere lactor:
Quo me vertam neſcio.

Utrum in hunc usque diem, emblema illud ſit ſuperſtes, equidem ignoro. Interim de Belgica natione advena, non leviter iſtoc ſpectaculo offenſus, patriâ linguâ ingenium ſapientem epicriſin, atro annotavit carbone: y Gott / keret y to Gott. Quorſum vero talia? Quorſum deprecationes peccatorum per illam, quæ ad largiendum & impotens eſt, nec unquam largiri præſumſit? Quorſum traductio officii Mediatricis in illam, quæ & ipſa Mediatoris fuit indiga, quæ magnificans Dominum, exclamavit: *Exſultavit Spiritus meus, ſuper Deo Servatore* ſeu Mediatore *meo.* Lucæ I. Quorſum, inquam, iſta tendunt, ſi non ad dividendum honorem ſoli Filio debitum, inter Matrem Filiumque? Non fefellit igitur Paulum Venetum mens, quando *intantum* B. Virginis *venerationem excreviſſe* affirmat, *ut ad culmen perveniſſe videretur.*

XCVIII. De Veneratione autem & cultu, cùm ex intentione colentis, tùm ex objecti quod colitur dignitate judicandum eſt. Alius enim cultus Deo debetur, alius creaturis quoque competit, maximè intelligentibus & ratione præditis. Scholaſtici DD. omnem cultum, in *Duliam Hyperduliam* & *Latriam* digerunt. Uter ex his Deiparæ competat, mutuatis à *Spalatino* verbis, potius quàm meis propriis exponere malo. Ita verò ille in Oſtenſione Suareſii errorum, Libri VI de Republ. Eccleſ. calci appenſa Cap. II §. XIX. p. 289. *Honorem & venerationem,* ait ille, *Deiparæ deberi, Rex* Magnæ Britanniæ *aperte profitetur,*

Cultus Dulia Hyperdulia & Latria.

tetur, adorationem hyperduliæ, ſeu cultum religioſum expoſcere, non eſt viri Catholici neq; Chriſtiani: Singularis excellentia cum ſanctitatis, tum etiam privilegii, quo virgo beatiſſima effulſit, ut Verbo ex propriis viſceribus corpus daret, dignam efficiunt, ut illam Beatam Chriſtiani omnes prædicent, ac omnes generationes ſummo afficiant honore: humano tamen, non divino. Honor eſt in honorante; honorare eſt excellentiam alterius agnoſcere & exiſtimationem dignam conſervare: colere cultu humano poſſumus homines etiam propter excellentias, quæ non ſint ordinis naturæ & temporales, ſed ordinis gratiæ, & ſpirituales ac ſupernaturales. Honor verò & cultus quicunq; humanus, non tranſcendit ad religionem: nam religioſus cultus non debetur ab homine ulli creaturæ puræ, quacunq; excellentia illa ſit prædita, ſed DEO ſoli, ut explico lib. 7. *In religioſo enim cultu ſubjicit ſe homo ei, quem religioſè colit, tanquam proprio ſuo Domino, in cujus manibus ſint omnia externa & interna ipſius cultoris. Et ita religioſus cultus alius non poteſt eſſe, niſi vera latria. Si ergo dulia & hyperdulia non excedunt humanum cultum, humanum honorem, & humanam venerationem, Mariam, & ſanctos DEI ſervos, ex corde & venerabimur & veneramur: ſi autem requiratur à nobis religioſus cultus, abſit ut illum erga alium, quam erga ſolum Deum exerceamus. Sic enim & dulia & hyperdulia, ſunt mera latria. Et quia invocatio religioſa ad modum numinis, & ubi ſupernaturalem opem quærimus, ſpectat verè & propriè ad cultum religioſum, & conſequenter non eſt ſine latria, ideo Rex merito ab invocanda B. Virgine abſtinet, & quisq; Catholicus, & verè Chriſtianus, qui unicum DEUM colit, abſtinere debet, ut doceo* lib. 7. cap. 12. *Sugillat etiam noſtrorum ſcriptorum ineptias, quas illi pietatis, ſed certè ſtultiſſimæ, ne dicam impiæ nomine induunt, ubi ad*

Virgi-

Virginem ipſam verè divinos bonores transferunt, ita ut etiam Scripturas divinas, quæ de DEO & CHRISTO Domino ſunt, Virgini ipſi accommodent. Sunt fateor privatorum hominum inſcitiæ & ſtultitiæ, ſed tamen cum talia ab Eccleſiâ Romanâ non prohibeantur nec reprebendantur, ſed potius divulgentur, quàm divulgari tolerentur, & mox illæ pro Eccleſiæ Catholicæ vocibus ſint babendæ, errores jam erunt publici, non privati. Quod verò interdum antiqui Patres Beatam Virginem, & ſanctos in cœlo jam exiſtentes invocare videantur, non propterea invocatio religioſa eſt inducenda. Illæ ſunt Apoſtrophæ oratoriæ bumanæ, non religioſæ, ex ſolo bumano, non religioſo cultu, quæ paulatim nimis excreſcentes, beu tandem in latriam apud nos degenerarunt, VERAMQVE IDOLOLATRIAM, ut oſtendo lib. 7. *Et dum vitamus Antidicomarianos, incidimus in Collyridianos, qui non modo errabant, quia offerebant ipſi Mariæ tanquam Deæ, ſua ſacrificia, ſed etiam quia eam tanquam numen invocabant*, Epiph. hæreſ. 79. *Ei verò bonorem deberi, proculdubio bumanum tantummodo, non cultum religioſum, non religioſam invocationem, contendit toto illo tractu Epipbanius.* Iſta immenſæ doctrinæ & magni judicii Vir, quæ quamvis ſint prolixiora, integra tamen adſcribere ideò volui, quia tribuunt Mariæ quæ ſunt hominis, & quæ ſunt Dei Deo: & quamvis huic ſoli debitum cultum, in Deiparæ ſinum non effundant, honorem tamen ei tribuunt, ſolo excluſo cultu religioſo, ſuperabundantem, non tamen niſi humanum.

XCIX. Sed legenda ſunt veſtigia ejus, cum quo in viam, ad hiſtoriæ cultusque incrementorum notitiam ducentem deſcendimus. At ille, *Inter privilegia*, ait, *noviter excogitata, erat illud, de univerſali immunitate à peccato Originali, quæ opinio in privatorum quorundam animis ſo-*

lummodo

ſummodo reſidebat : ſed in Eccleſiæ ceremoniis, aut in doctorum hominum mentibus, ſedem nondum fixerat. Eccum quàm non probaverit, acris judicii Vir, ἀναμαρτησίας B.Virgini adjudicatum *Privilegium.* Novit videlicet ille, quantum diſtent æra lupinis, novit, quantum præ novis valeant antiqua : novit neminem ad *noviter excogitata* probandum obligari: novit ſolam *novitatem* ex ſe & ſuâ naturâ repugnare fidei, ſimul ac à credendis excludere Dogma, antiquitatis nudatum ſuffragio. Novitatem autem memorat, non quæ exigui eſſet momenti, nihil parumve nocitura, ſed quam Bernardus *Periculoſam, abſq; ratione, abſq; exemplo priſci temporis, invectam* duxerit : de quâ paulo poſt *Liquidam tollit lugubri voce querelam.* Eſt interim tamen, *Univerſalis* illa *immunitas à Peccato Originali* κεκινώμενον, cujus gratia hæc ſuſcepta eſt diſquiſitio. Diſquiſitio inquam, *Privilegium* illud, ad eum deducens Dogmatum ſplendorem, quo micant illa, quæ nec Scripturæ nec Antiquitatis ſunt fulta teſtimonio.

Univerſalis immunitas à peccato.

C. *Univerſalitatem* autem *immunitatis à peccato*, non limitat reſtrictio ad *Peccatum Originis.* Non excludit illa, *Actualia*, ſed complectitur omne illud quod peccati nomine venit. Originis enim peccatum, fontis inſtar eſt, è quo reliqua omnia erumpunt, atque veluti rapidus torrens ἀνομίας malo immundat omnes, communi modo natos.

CI. O utinam, *opinio* iſta, *in privatorum quorundam animis ſolummodo* tunc *reſidens, in Eccleſiæ ceremoniis, aut in doctorum hominum mentibus, ſedem* nunquam *fixiſſet,* nec integras Monachorum familias infatuaſſet! In quibus *doctos homines* fuiſſe, nemo ſine horum injuriâ, affirmaverit. Hem verò validam ſuperſtitionis vim, etiam *doctorum hominum mentes,* in errorem abripientem.

CII. De-

CII. Deſcndit deinde ad Annum CXXXVI, *quo Canonicos Lugdunenſes, auſos primum eſſe* memorat, *in Officia Eccleſiaſtica eam introducere, D. Bernardus*, inquit, *qui tum temporis floruit, pietate ac doctrina ante omnes ſui ſeculi Theologos illuſtris, & in laudibus B. Virginis eo usq; profuſus, ut eam vocaret alicubi* collum Eccleſiæ, *quaſi per eam à capite omnis gratiæ influxus dimanaret: invebitur tamen acerbè contra Canonicos iſtos, qui absq; ratione, absq; exemplo priſci temporis, novitatem periculoſam invexiſſent, fatetur non deeſſe laudandæ B. Virgini materiam; ſed ei placere non poſſe novitatem, ambitioſam, temeritatis parentem, gernam ſuperſtitionis & levitatis filiam.*

CIII. Verùm de iſta *Bernardi* in Canonicos Lugdunenſes *acerbâ invectivâ*, in antegreſſis dictum eſt tantum, quantum inſtituto noſtro ſufficit. Ad priora igitur Lectorem remitto, nec plura, ibi abundè demonſtratis, addo, pergo potius cum Paulo hiſtoriographo, ad ſubſequutum Scholaſticum Seculum, quo *DD. Scholaſticos utriusq; Ordinis*, tàm *Franciſcanos quàm Dominicanos memorat, atq; bos ſcriptis ſuis opinionem* Immaculatæ conceptionis, *refutaſſe*, atq; contra dictioni iſti, *ad annum usq; MCCC* inhæſiſſe ſcribit. Eo ſcilicet auctoritate *Bernardi*, quâ pollebat inſigni, res deducta videtur. Factum interim eſt, ut ocio abundantes, Scholaſtici Doctores, Spinoſis curioſisque magis quàm neceſſariis quæſtionibus movendis atque ventilandis, ut erant ingenioſi, indulgerent. Has inter haud poſtrema fuit, *de Immaculatâ B. Virginis conceptione* quæſtio. Iſti liti anſam præbuit *Johannes Duns Scotus*, qui Doctoris Subtilis encomio mactatus, Franciſcanorum Ordinem nobilitavit. Hic quum intra poſſibilitatis limites ſeſe cohibuerit, & ad commune eorum, qui Theſin, non aliunde quàm per ab-

Bernardi in Canonicos Lugdunẽſes invectiva.

Seculum Scholaſticum.

Joh. Duns Scotus.

ſolutam Dei potentiam probare valent,aſylum ſe receperit, meminiſſe debuiſſet quàm ſit res periculi plena, ſine Scriptura diſputare: meminiſſe debuiſſet, quod Deus non omnia quæ poteſt, etiam efficere velit. *τὸ velle* igitur Dei vel probare, vel digito potius comprimere labellum, quàm litigiorum fores temere pandere debuiſſet. Iſtas enim *fores* à Scoto patefactas *Fratres Franciſcani audenter ſunt ingreſſi, abſolutè ſimpliciterq; verum pronunciarat, quod ille fieri poſſe dixerat, & quaſi probabile propoſuerunt, ſub conditione dubia, niſi orthodoxæ fidei repugnaret.* Verba ſunt Hiſtorici noſtri, cujus ductum ſequimur.

Æmulatio inter Scotiſtas & Thomiſtas. CIV. Cæterùm vix quiſquam eſt qui ignoret, quanta à *Thomæ Aquinatis*, atque *Scoti* ætate, inter Dominicanos & Franciſcanos nata ſit æmulatio, & quàm vehementi, in hunc uſque diem, utriusque Ordinis Socii, collidantur contradictione. *Dominicanos* igitur, Franciſcanis *conſtanter obluctatos eſſe*, perhibet Paulus Venetus. *Auſpiciis* videlicet *D Thomæ, celebris etiam ex eo*, Dominicanorum, *ordine Theologi, cùm propter excellentem doctrinam, tùm ob Joannis Pontificis XXII ejus nominis, elogium.* *Scotus D. Subtilis. Thomas D. Angelicus.* Etenim cum Franciſcani, ſui Ordinis *Doctorem Subtilem* jactarent, *Angelici* elogium, Dominicanorum Thomas obtinuit. Rerum autem, iſta ætate geſtarum ſeriem, & natas ſubinde mutationes ſi intueor, modò preſſum Immaculatæ conceptionis Dogma, modò iterum emerſiſſe obſervo, prout benignior inbenigniorve, de Romanorum Præſulum ore ſpirans aura, illud afflavit. Secundum Pontificum, nimirum, alterutrius partis vel favorem vel odium, proceſſiſſe negotium, iſta quæ ſupra memoratis annectuntur, produnt. Nempè Joannes XXII Romanus Pontifex, *ad deprimendum Ordinem Franciſcanorum, qui maximam partem*

tem adhærebant Ludovico Bavaro Imperatori, à ſe Eccleſiæ communioni ejecto, Doctorem eum, Thomam, *ad cœlum extulit, & doctrinam ejus maximi fecit.* Opinio tamen favorque vulgi (cujus *impotentiam in talibus plurimum poſſe,* paulo prius dixerat) præponderavit, Pontificisque ſuffragium, præconceptæ imaginationi poſtpoſuit. *Fecit* ſcilicet *pietatis & religionis ſpecies,* i. e. religionis devotionisve ſpeciem præ ſe ferens ſuperſtitio, *ut plerisq; omnibus eſſet acceptior opinio Franciſcanorum, ab Academiâ Pariſienſi, quæ præſtantis doctrinæ opinione alias anteibat, mordicus arrepta.* Vulgi iſtam opinionem adiutum plebemque in ſuperſtitione confirmatum iverunt Pontifices quotquot horum, depoſito quo Franciſcani cinguntur reſte, plus quàm Regiâ coronâ ſunt coronati. Hos inter poſtremas non tenuit Sixtus IV, conditis, per Concilium Tridentinum approbatis & renovatis hujus Conſtitutionibus. Horum veſtigia poſt Concil. Trident. legit *Pius V* qui pridie Calend. Dec. anno 1570, Conſtitutionem condidit, quâ *Edixit* (ut eſt apud Spondan. ad an. 1570. N. 23) *ne partes diſſidentes alterutram erroris inſimularent: & ne in publicis prædicationibus de eâ diſputarent, aut vulgari ſermone ſcriberent vel dictarent; permiſit tamen in publicis diſputationibus, dum modo absq; ſcandalo fieret, de eâ re diſſerere, quàm diu à Sede Apoſtolicâ, altera pars definita non foret.* Hujus autem anteceſſores, quum ſæpius Dominicanis, (de quorum Ordine egreſſus Pius V, Pontificatum aſſumſerat,) præjudicantia, conſtituiſſent, ſublevandorum iſtorum præjudiciorum gratiâ *Proprium Officium Conceptionis, quia in illo B. Virgo dicebatur immaculata & præſervata,* ſuſtulit & *voluit omnia revocare ad antiquum morem,* referente *Becano.* At diſplicuit Pii V Succeſſoribus, iſta erga Dominicanos favoris

 conte-

conteſtatio. Jeſuitis igitur ſuccenturiantibus Franciſcanis, horumque factioni novum addentibus robur. *Prohibuiſſe* ait Spondanus l.c. *poſt hæc Paulum V, ne in ullis actibus publicis aſſereretur B. Mariam conceptam fuiſſe in peccato originali*: anno 1616: *ampliavit Gregorius XV*, anno 1622: *ut nec in ſermonibus & ſcriptis privatis, audeat quisquam id aſſerere.*

CV. Adducere autem iſta viſum, illum in finem, ut ex re & vero ſupra me dixiſſe appareat, quod Immaculatæ conceptionis Dogma, modò ſit preſſum, modò iterum emerſerit, prout benignior inbenigniorve, de Romanorum Præſulum ore ſpirans aura, illud afflaverit: ſiquidem totum negotium ſecundum illorum, alterutrius partis vel favorem vel odium, proceſſerit.

CVI. Sed ad Pariſienſem Academiam revertimur, à quâ *Franciſcanorum opinionem mordicus arreptam* ſcribit anteſignanus noſter. Quæ tamen aſſertio, non ſic univerſaliter eſt vera, ut nullam patiatur exceptionem: Omnes enim & ſingulos Pariſienſis Academiæ Theologos, in novum Dogma unanimiter conſenſiſſe, tantum abeſt, ut vehementes contradictiones, Seculi XIV anno octuageſimo octavo, in apertum eruperit Schiſma. Quo flagrante, Immaculatæ conceptionis aſſertores, *Hueti* ſunt nuncupati, cujus denominationis rationem non procul ab initio indicavimus.

Hueti.

CVII. A Seculo XIV ad huic proximum XV, quo Baſileæ Synodus coacta, pedem transfert. Hujus videlicet Concilii, quod Univerſale fuiſſe perhibent, auſpicia in annum Domini MCCCCXXXI. XIV KL. Auguſti inciderunt, in integros undecim annos, ad Seculi iſtius quadrageſimum ſecundum protractum. *Deinde*, ait Noſter, *à*

Conci-

Concilio Baſileenſi, poſt multam ventilationem & diſquiſitionem approbata, vetitumq́, contrariam opinionem prædicare aut docere: quodquidem, in illis nationibus quæ Concilium illud probabant, planè obtinuit. Verùm tamen nec oppidò multæ nationes Concilium illud probarunt, nec ab Eugenii (ſub cujus auſpiciis agitatum fuit) ſucceſſoribus eſt ratihabitum. *Franciſcus Longus à Coriolano* in Summa Conciliorum, ad tres Claſſes Generalia Concilia redegit: Primam XIIX *Approbata* occupant. In Altera, VII *Reprobata* comparent. In Tertiâ, partim *Approbatorum* partim *Reprobatorum* Claſſe, Baſileenſi, Sextus idemque ultimus relictus eſt locus. *Sextum*, ait Coriolanus, *eſt Concilium Baſileenſe, cujus* NIHIL EST RATUM ET PROBATUM, *niſi quædam diſpoſitiones circa Beneficia, quæ à Concilio facta fuerant, quas pacis & unitatis gratia Nicolaus Papa approbavit. Concilium verò ipſum reprobatur. in Concilio Lateranenſi ultimo, Seſſione ſecunda.* Quod ſi verò hujus Concilii NIHIL, niſi quædam diſpoſitiones circa Beneficia, *eſt ratum & probatum*, imò etiam *Concilium ipſum*, per aliud Concilium *reprobatum*, anno 1439 undecimo kalendas Octobris celebratæ Seſſionis 36 Decretum, de *ſententia quod B. Virgo, præveniente & operante gratia ſingulari Originali peccato obnoxia non fuerit*, (quum ad diſpoſitiones circa Beneficia, quæ tantùm excipiuntur, non pertineat) ſic eſſe oportet, *reprobatum* ſicut Feſtum Conceptionis B.Virginis, Sexto Idus Septembr. quotannis celebrandum, nullo ſubſequuto conſenſu eſt approbatum. Conciliorum verò auctoritas, haud quaquam à congregatorum Patrum, vel Pontificum, ſub quorum auſpiciis ſunt celebrata, ſed à ſubſequuto Univerſæ Eccleſiæ conſenſu, dependet. Qua propter à Concilii Baſileenſis auctoritate emendicatum,

tum, pro Immaculatâ conceptione argumentum, haud pluris eſt æſtimandum, quàm defalcata æſtimatur moneta. Talem autem ſicut nemo obtrudi ſibi patitur, nec ad acceptandum obligatur, ita quoque Baſileæ cuſam atque Immaculatâ B. Virginis conceptione ſignatam monetam, eam offerentibus haud immeritò reddimus. In pignus illa detur, non aliis quàm incautis, qui, quantum diſtent æra lupinis ignorant. Fænus quantumcunque ſunt lucraturi, trapezitis talibus, nos non ſumus inviſuri.

CIIX. Johannem XXII, adverſus Ludovicum Bavarum conceptum odium, quorſum induxerit, verbis Hiſtorici noſtri, expoſuimus. Quemadmodum igitur Pontificis iſtius aura, adverſus Franciſcanos ſubvecti tunc ſunt Dominicani, ita deinde *Sixtum IV*, Franciſcanæ Familiæ, de quâ ille prodierat ſtudium, in alteram traxiſſe partem, docent iſta quæ ibi ſequuntur. *Papa deinde Sixtus, ejus nominis IV, Franciſcanus ipſe, duo ſuper eâ re emiſit Diplomata, quorum priore, anno MCDLXXVI, novum Officium, à Leonardo Nigarolo Protonotario compoſitum, confirmavit, indulgentiarum gratia, illud celebrantibus & præſentiâ ſuâ foventibus, conceſſa. Altero, falſitatis & erroris damnavit eorum aſſertionem, qui vel conceptionis propugnationem hæreticam dicerent, tàm prædicatoribus* iſto videlicet nomine Dominicani nominantur) *quàm aliis ſacrorum uſu interdictis, qui vel eam opinionem vel contrariam hæreſeos inſimularent, quod ab Eccleſiâ Romanâ Sedeq; Apoſtolicâ nondum eſſet determinata.* Noli autem quærere Lector, unde iſte Pontificis pro dogmate per Eccleſiam nondum determinato, zelus? In promtu cauſa eſt, quia Sixtus IV Franciſcanus erat.

CIX. *Neq;*

CIX. *Neq; tamen hic contentionum finis: odiis inter duos hoſce Fratrum Ordines, magis magisq; intumeſcentibus, & quotannis Menſe Decembr. renovatis.* Quo usque intumuerit mutuum inflammatum utriusque Ordinis odium, exemplum Bernæ Helvetiorum, Ordinis Dominicani Frater laicus, *Jetſerus*, dedit. Crudeliter & perfidè geſtæ rei hiſtoriam, è *D. Gilberti Burnetti* Itinerario excerptam, atq; in compendium redactam, ſub initium, rudi penicillo deliniavi. Dulcius autem quum ex ipſis fontibus hauriantur aquæ, hiſtoriam ex Anglicâ in linguam nobis vernaculam verſam, ceu rem memorabilem, adſcribere, volui, quod vi promiſſi ad adimplendum obligarer. Editio Lipſienſis Anni 1687 ita habet. *Dominicanorum & Franciſcanorum contentiones & mutua horum odia.*

Die andere Kirche zu Bern iſt die / welche weyland denen Dominicanern zugeſtanden / allwo man / wie ich es auch ſelbſt in Augenſchein genommen / das berühmte Loch / welches von eines Mönchen Zellen zu einem Bild / ſo in der Kirche war / herdurch gieng / ſiehet. Jederman hat von dieſer Geſchicht reden hören / aber vielleicht wiſſen die wenigſten alle Umſtände. Welches mich denn veranlaſſet / ſie euch allhier noch zu erzehlen. Dann wie ſie eine von dem denckwürdigſten Betrügereyen / welche jemahls in der Leute Kundſchafft kommen ſind / die nur 20 Jahr vor der Reformation entdecket worden / auch verſtändigen Leuten / als eine Vorbereitung die Warheit / wann ſie ihnen würde geprediget werden / deſto eher anzunehmen / gedienet hat / enthält; alſo verdienet ſie deßwegen wohl / daß man ſie wiſſe. Und kan ich ſie euch nach all ihre Länge her erzehlen / in dem ich das Original des Proceſſes ſelbſt geſehen / welches in einem Lateiniſchen Protocoll / ſo von denen Notariis des Hoffs der jenigen / welche von dem Pabſt den Handel zu unterſuchen ge-

ſandt worden unterzeichnet/ſich befindet. Dieſes Protocoll iſt ohngefähr von hundert und dreiſſig Blätter/die auff beyden Seiten beſchriben ſind; und iſt die Schrifft ſo eng in einander gezogen/ daß es ein zimlich groſſes Buch machet. Nachdem ich nun den Proceß darinnen geſuchet / habe ich ihn von einem Ende zum andern durchgeleſen. Dann ob ich ihn wohl in denen Büchern/die davon heraus kommen ſind/ geſehen; habe ich dennoch dieſe Editionen allezeit ſo unvollkommen befunden/ daß ich geglaubet/ ſie kämen mit dem Original nicht überein. Dieſes iſt demnach / was ich daraus genommen habe.

Die Zeiten/ welche vor der Reformation vorhergegangen/und/wie jederman weiß/ Zeiten der Finſterniß geweſen ſind /haben der Kirchen unterſchiedliche Orden der Mönche gezeuget. Unter dieſen waren zwey die Vornehmſte/ die Dominicaner und Franciſcaner/ welche ſich berühmt machten/ ſo wohl durch die Hochachtung/die ſie in der Welt erlanget/ als durch die Mißgunſt/ welche unter ihnen war. Die erſten hatten den Vorzug in Wiſſenſchafften / Predigten / und über das waren ſie die Inquiſitores, ſo denen die Ketzer zu vertreiben anbefohlen/ beſaſſen auch alle andere vornehmſte Kirchen-Aempter. Was die andern anbelanget/ ſo war alles/ was ſie hatten/ein groſſer Schein eines ſtrengen Lebens/ womit ſie ſich groß machten. Dann ihre Kleidung war grob/ ihre Reguln hart/ und ihre Armuth groß. Womit ſie denn denen Dominicanern den Vorzug noch ſtreitig machten. Uber dieſes trug es ſich zu/ daß ſie einigen Vortheil erlangten/ durch Gelegenheit einer Frage/ welche auff die Bahn gebracht/und nachmahls die wichtigſte Frage ſelbiger Zeit worden. Nemlich/ ob die Jungfrau Maria in Sünden empfangen wäre/oder nicht. Denn die Dominicaner/welche

an dem Thomas von Aquino hangen / und ſeinen Meinungen folgen / waren dadurch genöthiget / zu behaupten / daß ſie in Sünden empfangen wäre. Die Franciſcaner bemüheten ſich / dieſe Lehre auff eine ſo gehäſſige Art vorzutragen / daß ſie ſie gar vor eine Gotteslaͤſterung ausgaben / und jene anfingen / bey dem Volck / welches ohne dem ſchon von der Meynung der unbefleckten Empfängnis Mariä eingenommen war / viel von ihren Anſehen zu verlieren.

Die Franciſcaner merckten alſobald / daß ſie den Vorzug hätten / welches ihnen einen ſolchen Muht machte / daß ſie anfingen / die Dominicaner öffentlich auszuſchreyen. So war nun ihr Gemüth beyderſeits geſinnet / als zu Anfang des 5ten Jahr-Hunderts ein Franciſcaner zu Franckfurt predigte / ein Dominicaner aber mit Namen Wegand / in die Kirche gieng / ſelben zu hören. So bald dieſer hinein gekommen / und der Baarfüſſer ihn vermercket / fing er an ein groſſes Geſchrey zu machen / und GOtt zu dancken / daß er nicht von einen ſolchen Orden wäre / der die H. Mutter GOttes verläumbdete / und bey dem man den Printzen mit Gifft vergebe / indem man ihm das H. Sacrament austheilete; Zielte darauff / daß ein Dominicaner auff ſolche Art den Käyſer / Heinrich den Siebenden / mit Gifft hingerichtet hätte. Es iſt nicht nöthig zu fragen / wer hierüber erſchrocken? der Dominicaner war es / der ſich da durch dieſe anzügliche Bezüchtigungen getroffen empfunde / wo es ihm recht wehe thate / konte ſich alſo nicht halten / und ſtraffte den Baarfüſſer überlaut Lügen. Welches Anfangs nur einen geringen Streit verurſachte / worauff aber ein ſo groſſer Tumult unter dem Volck entſtunde / daß der Dominicaner gantz gewiß / wo er ſich nicht aus dem Staub gemacht hätte / das Leben würde verlohren haben.

Wie nun dieſe Beſchimpffung des Baarfüſſers nicht allein

den Wegand/ ſondern die gantze Geſellſchafft der Dominicaner angieng; alſo befunden ſie ſich insgeſampt beleidiget/ und trachteten ſich deßwegen zu rächen. Derohalben/ als ſie einige Zeit hernach/ nemlich im Jahr 1504. eine Verſamlung hielten/ wurde von dieſer Sache geredet/ und beſchloſſen/ man ſolte auff Mittel bedacht ſeyn/ wie ihr Orden in ſeinem alten Anſehen/ welches von Tag zu Tag abzunehmen ſchiene/ möchte erhalten/ im Gegentheil/ wo es möglich wäre der Baarfüſſer Anſehen/ welches täglich zunehme/ verringert werden. Vier von ihnen nahmen es auff ſich/ der Sache nachzudencken und dieſelbe klüglich auszuführen. Ihr Schluß war gleich Anfangs/ daß man ſich in dieſer Gelegenheit eines Betrugs bedienen müßte. Dann/ ſagten ſie/ nach dem das Volck ſo viel auff Träume und Geſichte hält/ daß/ ſo es dieſelbe von jederman/ wer ſie ihnen nur vorſtellet/ annimmet: Warumb wollen wir uns ein Gewiſſen machen/ ihnen dergleichen beyzubringen. Sie ſinneten dennoch darauff/ wie ſie Bern zum Schauplatz ihres Traur-Spiels machen möchten/ weil ſie befunden/ das der Pöbel allda ſehr leichtgläubig und bereit wäre alles anzunehmen/ auch wenig Geſchick hätte/ ſich in einer ohngemeinen Begebenheit/ welcher man ihn überreden wurde/ beſſer zu erkundigen. Wie dieſes geſchehen/ waren ſie beſchäfftigt außzuſinnen/ was vor eines Betrugs man ſich bedienen mußte. Als ſie auch hierinnen einen Schluß gefaſt/ funde ſich alsbald eine zu deſſen Vollziehung tüchtige Perſon ein. Es war einer Namens Jetſer welcher nur erſt die Kutte ihres Ordens als ein Läyen Bruder angezogen hatte/ gantz einfältig/ und dem ſein wunderlicher Kopf allein auff die Creutzigung ſeines Fleiſches verpicht machte. Nach dem ſie ihn nun vor den/ der er war/ angeſehen/ fiengen ſich gleich/ nach dem er die Kutte angenommen/ welches am Tag des Marien-

rien-Feſts im Jahr 1507. geſchah / die folgende Nacht hand an das Werck zu legen an. Zu deſſen Behueff ſchliche ein Münch leiſe in ſeine Zellen / und erſchiene ihm in einer erſchrecklichen Geſtalt / nemlich als einer Perſon die auß dem Fegfeuer ankäme / haltende in ſeinem Munde ein Büchſen voll Feuer / worein wann er blieſe / ſchiene es als ob das Feuer auß ſeinem Munde gienge / und mit unterſchiedlichen Hunden umbringet / welche / umb ihn zu quälen / ihme mitgegeben zu ſeyn ſchienen. Dieſes iſt noch nicht alles in dieſer entſetzlichen Erſcheinung. Dann der Mönch nahete ſich zu ſeinem Bette / und erzehlte ihm die Hiſtorie / welche man allen denen / die in den Orden tretten / damit man ihnen die Luſt / ſolchen wiederumb zu verlaſſen / verleite / zu erzehlen pflegte. Er ſagte ihm demnach / daß er / der mit ihm redete / bey ſeinem Leben / einer von ſeinen Orden / und Prior des Kloſters zu Solothurn geweſen. Nach deme er aber vorgehabt / nach Pariß zu reiſen / wäre er auff dem Weg erſchlagen worden / und weil er damahls zum lautern Unglück ſeine Kappe nicht angehabt / ſondern in einem Leyen-Kleide gereiſet / wäre er ins Fegfeur geſchickt worden: Bitte ihn alſo ihm mit ſeinem Gebet zu helffen / maſſen er durch ihn auß dieſem Ort / allwo er grauſame Pein außſtehen muſte / könte erlöſet werden. Worauff er ihm deſto beſſer der Warheit zu verſichern / ein erbärmliches Geſchrey machte / als einer / der in der äuſſerſten Noth ſteckt. Wer war mehr erſchrocken als der arme Jetſer? Inzwiſchen fuhr der Mönch fort / und bate ihn einſtändig / er ſolle ihm verſprechen / daß er thun wolle / was er ihm ſagen würde / umb ihn auß dieſem Ort der Qual zu erretten. Jetſer war allzu ſehr erſchrocken / daß er etwas abſchlagen ſolte / verſprach ihm demnach alles was er wolte. Worüber ſich der Mönch gegen ihm bedanckte / und ſagte: Er wüſte wohl /

daß er ein groſſer Heiliger wäre/ und deßwegen auch ſein Gebet und Caſteyungen ſehr viel bey GOtt vermögten/ aber das wolte er ihm zur Nachricht ſagen / das hier alles ſonderlich und ungewöhnlich ſeyn müßte/ ſonſten wäre nichts zu thun. Wann er wolte/ daß die Sach wol von ſtatten gehen ſolte/ ſo müßte ſich das Cloſter eine gantze Wochen lang geißlen und mit Ruthen ſtreichen: was aber ihn anlangte/ müſte er in einer Capelle die gantze Zeit/ als die Meſſe wehren würde / in Angeſicht und Gegenwart aller Umbſtehenden in Geſtalt eines Creützes auſgeſtreckt liegen bleiben. Hier thate er hinzu/ wo er es auff ſolche Art machen würde/ ſo würde die H. Jungfrau Maria ihm die Wirckung der Liebe / ſo ſie zu ihm trüge ſpüren laſſen. Und andere dergleichen Fratzen brachte er mehr vor/ gleich wie unter andern dieſes/ daß er herrlich würde belohnet werden wegen alles deſſen/ ſo er zu ſeiner Erlöſung thun würde/ und daß er nicht ermangeln wolte ſich das andermahl ſehen zu laſſen.

So bald es Tag ward/ erzehlte Jetſer alles was er die vergangene Nacht geſehen hätte/ in Gegenwart aller Münche des Kloſters/ welche ſehr über das Geſicht beſtürtzt ſchienen/ und ihn alſobald antrieben die Kloſter Diſciplin/ welche er zu erfüllen hätte verſprechen müſſen/ auff ſich zu nehmen/ mit Verſicherung/ daß ſie ihres Theils ſo viel möglich/ was ihnen zu thun anbefohlen wäre/ in acht nehmen wolten. Worauff der arme Mönch ſich zu Frieden gegeben/ und alles auffs aller genauſte werckſtellig gemacht worden/ ſo/ daß nicht ein einziger von denen erforderten Umbſtänden in einer Capelle ihrer Kirche gemangelt. Dieſer Handel zöge ihnen eine groſſe Menge Volcks zu/ welche den Jetſer alle als einen groſſen Heiligen anſahen/ ſo wohl weil ſie ſein ſtrenges Leben vor Augen hatten/ als weil die Prediger/ die die Sache führten/ von ſeinem

Geſicht

Geſicht in ihren Predigten redeten/ und ihn biß an die Wolcken erhebeten. Inzwiſchen gab des Jetſers Beichtvater/ der mit zu dieſer Heimlichkeit halffe/ ihm eine Hoſtie mit einem Stück Holtz/ welches er von dem wahrhafften Creutz Chriſti zu ſeyn bejahete/ ſo eine gantz ſonderbahre Krafft hätte die Geiſter zu beſänfftigen/ und wider ihre Erſcheinungen zu ſtärcken/ auff allen Fall ihm ja neue begegnen ſolten. Welche denn auch bald erfolgten/ dann folgende Nacht kam der Mönch als Urheber des erſten Geſichts/ nach dem er ſich verkappet/ und zwey andere Mönche mit ſich genommen/ wieder/ und erſchien mit einem ſolchen Geleit/ daß jener nicht zweiffelte/ es müſten Teuffel ſeyn. Er reichete ihm dennoch alſobald die Hoſtie dar/ auff deren Anſicht die eingebildeten Geiſter ſchienen erſtaunet zu ſeyn/ und ſo hat man niemahls jemand vergnügter geſehen/ als dieſen Mönchen wegen ſeines Präſervatifs. Ob nun aber wohl die Hoſtie denen falſchen Geiſtern einen Schrecken eingejaget/ ſo hat ſie dennoch dieſelbe nicht vertrieben. Sie blieben demnach da/ und der Mönch/ welcher den unglückſeligen im Fegfeur geplagten vorſtellen ſolte/ fieng wiederumb an zu reden/ und ſagte dem Jetſer ſo viel beſondere Umſtände ſeines Lebens/ (welche er aber all von ſeinem Beichvater erfahren/ der/ wie bereits gemeldet umb alle Heimlichkeit Wiſſenſchafft hatte/ und ihme alles biß auff die geheimeſten Gedancken entdecket hatte) daß der arme Mönch/ ſich je mehr und mehr veſtiglich eingebildet/ er hätte eine warhaffte Erſcheinung.

Und alſo ſind es ſchon zwey Erſcheinungen/ die der arme Jetſer hat vertragen müſſen. Zwey andere folgten darauff/ welche bey nahe eben auff ſolche Art/ wie die vorigen/ vollzogen worden. In dieſen brachte der verkleidete Münch viel von dem Orden der Dominicaner vor/ von welchem er verſicherte/

ſicherte / daß er der Gebenedeyten Jungfrau überaus angenehm wäre. Ja / es fehle ſo weit / daß ſie ſich beklagen ſolte über das / was dieſe von ihr hielten / daß ſie vielmehr ſelbſt erkennete / ſie wäre in der Erb-Sünde empfangen. Und dieſes ſey ſo wahr / daß die / ſo das Wiederſpiel lehrten / in dem Fegfeuer wären. Die Geſchicht / welche man von dem H. Bernhard erzehlte / daß er / ich weiß nicht / mit was vor einem Merckmahl erſchienen ſey / weil er ſich dem Feſt der Empfängnüß wiederſetzt / wäre ein Betrug. Aber im Gegentheil wäre es wahr / daß einige Fliegen über dem Grab des H. Bonaventuræ, der dieſes Feſt vertheidiget hatte / ſich hätten ſehen laſſen ; Die Heilige Jungfrau hätte einen Abſcheu vor denen Baarfüſſern / in dem ſie es nicht leiden könte / daß ſie von ihnen ihrem Sohn gleich geachtet würde; Scotus welchen ſie mit aller Gewalt unter die Zahl der Heiligen zu Rom auffnehmen wolten / wäre verdammt. Und endlich eylte die Stadt Bern ihrem Verderben zu / daß ſie ihre Zuflucht zu ſolchen Ordens-Leuten nähme / welche vor nichts anders als eine anſteckende Seuche in der Religion könten gehalten werden.

Alle dieſe Erſcheinungen geſchahen zu der Zeit / als das gantze Kloſter / nach dem Befehl / den ſie empfangen hatten / ſich der ſtrengen Ordens-Diſciplin unterworffen. So bald dieſe Zeit vorbey / erſchiene der Geiſt wiederum gantz auffs neue / umb ihme zu ſagen / daß er zwar von dem Feegfeuer erlediget wäre / dennoch aber noch nicht zu der Herrligkeit des Himmels könte zugelaſſen werden / er hätte denn zuvor das Sacrament / welches er bey ſeinem Todt nicht hätte nehmen können / empfangen / und Meſſe vor der jenigen Seeligkeit / die viel Liebes-Wercke gethan / zu Erleichterung der Straffen / die er erlitten / als er im Feegfeur geweſen / geleſen. Dieſe letztern Worte wurden alſo ausgeſprochen / daß Jetſer ſich einbildete /

bildete/ die Stimme des Priors in dem Kloſter zu kennen. Aber er war ſo ungeſchickt zu glauben/ daß Betrug in allem dem/ was vorgieng/ mit unterlauffen ſolte/ daß er hierauff nicht auff den geringſten Argwohn gerieht/ als ob man ihn betäubete. Inzwiſchen ſuchte man gleichwohl nichts anders/ und war dieſes der Zweck ſo vieler Erſcheinungen/ deren man eine auff die andere häuffete. Einige Tage hernach hat die Betriegerey/ die ich erſt erzehlet/ zu einer andern dienen müſſen/ da eben der Münch/ welcher biß daher erſchienen war/ ſich als ein Weibes-Bild gantz mit Strahlender Herrligkeit umgeben/ ſehen laſſen/ welche zu ihm ſagte/ ſie wäre die H. Barbara/ die er jederzeit mit ſonderbarer Andacht verehret hätte; und käme/ ihm zu verkündigen/ daß die Gebenedeyete Mutter GOttes mit ſo groſſen Gefallen ſeine Liebe und Eifer vor ſich ſehe/ daß ſie entſchloſſen/ hernieder auff die Erde zu kommen/ und ihn heimſuchen. So bald er dieſes vernommen/ ruffte er alle Mönche des Kloſters zuſammen/ und erzehlete ihnen dieſe neue Erſcheinung. Sie nahmen ſie an wie die andern/ das iſt/ mit aller erſinnlichen Freude. Indeſſen erwartet Jetſer mit höchſter Ungedult die Erfüllung des Verſprechens/ welches die H. Barbara gethan hatte; Es wärte auch nicht lang/ biß es ins Werck gerichtet würde. Dann einige Tage hernach/ erſchiene ihm ein Weibs-Bild/ gekleidet/ wie man die Jungfrau Maria an Feſt-Tagen zu kleiden pfleget/ um ſich hatte ſie einige Engel/ (welche man nachmals befundē/ daß es kleine ausgehauene Engels-Bilder/ die man an groſſen Feſten auff die Altäre ſetzet/ geweſen) die da ſpieleten/ vermittelſt einiger Stricke/ die an eine Rolle/ welche an dem Getäffel der Kammer hieng/ angemacht waren/ ſich in die Lufft erhuben/ und um die H. Jungfrau herum fuhren. Dieſes halff nicht wenig des Mönchs Betriegerey

noch kräfftiger zu machen; Ihre erſte Reden waren einige Liebkoſungen/ womit ſie ihm begegnete/ in dem ſie ſein ſtrenges Leben und Liebe gegen ſie heraus ſtriche. Nach dieſem ſagte ſie ihm/ ſie wäre in Sünden empfangen; Pabſt Julius der Andere/ ſo damahls regierte/ wurde dem Streit/ der ſich über dieſe Materie erhoben/ ein Ende machen/ und das Feſt ihrer Empfängnüß/ welches Sixtus der Vierdte eingeſetzt/ abſchaffen/ und endlich/ er Jetſer/ ſolte der jenige ſeyn/ der ſich bemühete/ um dieſe Warheit dem Pabſt in den Kopff zu bringen/ und ihn derer zu überreden. Dieſes iſt noch nicht alles. Sie begleitete dieſe Worte mit einer Verehrung/ welche ſie dieſem Mönchen that/ von drey Bluts-Troffen ihres Sohns/ von welchen ſie ſagte/ daß ſie drey Thränen wären/ die er über Jeruſalem vergoſſen/ und ſie ihm gäbe/ um ihme zu wiſſen zu thun/ daß ſie drey Stunden in der Erb-Sünde geblieben/ nach welcher Zeit ſie aber durch Barmhertzigkeit ihres Sohns darvon wäre befreyet worden. Dann wann nur die Dominicaner zu ihrem Zweck gelangen/ und behaupten könten/ daß die Maria in Sünden ſey empfangen worden/ welches der Haupt Punct des Streits/ zwiſchen ihnen und denen Baarfüſſern iſt; ſo würden ſie anders theils/ ſo viel immer möglich in dieſer Sache nachzugeben/ einwilligen/ und ſo gar lehren/ daß ſie nur eine ſehr geringe Zeit in der Sünde geblieben wäre. Und in Warheit/ durch dieſe Mittel thaten ſie zugleich der Ehre ihres Ordens/ welcher allezeit die Empfängnüß der Mutter Gottes in Sünden vertheidiget und der Ehrerbietung des Volckes gegen dieſe Heilige Frau/ die damals überaus groß war/ eine Gnüge. Sie verehrte ihm auch fünff Bluts-Troffen/ welche ein Creutz abbildeten/ von denen ſagte ſie/ daß es blutige Thränen wären/ die ſie vergoſſen/ als ihr Sohn an das Creutz genagelt worden. Endlich/ um ihn gantz und gar einzunehmen/

men/ und damit ihm nicht der geringſte Zweiffel wegen alles deſſen/ ſo er geſehen/ übrig blibe/gabe ſie ihm ein Hoſtie/welche ihm anfangs als eine gemeine Hoſtie/ vorkame/ aber alſobald in dicht rothe Farbe verwandelt wurde.

Nachdem nun dieſe vermeinete Jungfrau den armen Mönch öffters beſuchet/ kam es endlich ſo weit mit ihrer Gewogenheit/ das nach unterſchiedlichen Liebes-Bezeugungen/ womit ſie ihm beehrete/ ſie ſich nicht ſcheuete/ ihm zu ſagen/ſie wolte ihm ſo augenſcheinliche Kennzeichen der Liebe/ die ihr Sohn zu ihm trüge/ geben/ daß dieſelbe nicht könte in Zweiffel gezogen werden; Deßhalben wolte ſie ihm fünff Mahlzeichen/ dergleichen die H. Lucia und Catharina zu ehren getragen hätten/ das iſt würckliche und warhafftige an ſeinen Leib machen. Hierauff befahl ſie ihm/ ihr die Hand zu bieten; aber er ſchlug es ab/ und kümmerte ſich nicht ſonderlich um eine Gunſt/ von welcher er leichtlich vorher mercken kunte/ daß ſie ihm ſehr groſſen Schmertzen verurſachen würde. Inzwiſchen geſchahe es doch/ maſſen ſie ihm die Hand mit Gewalt ergriffe/ in welche ſie einen Nagel ſteckte/ der durch und durch gieng/ und ein Loch einer Erbſen groß/ durch welches man das Licht klar ſehen kunte/ machete/ welches ihn denn von einer vermeinten Entzükung zu einer rechten Todes-Angſt brachte. Im übrigen/ weil dieſes/ daß er nach empfangener Wunde ſpührete/ wie man ihm die Hand anrührete/ und mit einer Salben ſchmierete/ eine Sache war/ welche den München zu einem Argwohn/ daß er betrogen würde/ Anlaß geben könte; als wuſte es ſein Beichtwater ſo wohl zu machen/ daß er ihn überredete/ er hätte nichts dergleichen empfunden/ ſondern es wäre eine lauter Wirckung der Entzückung/ worinnen er damahls hätte ſeyn können/ geweſen.

Man möchte vielleicht gläuben/ daß nach einer ſo nach-

drücklichen Erſcheinung als dieſe/die ich erſt angemercket habe/geweſen/ Jetſer eine Erleichterung gehabt/ und die H. Jungfrau Maria ihm zum wenigſten einige Tage gegeben/ um ſich auff die Ermüdung einer Nacht wieder zu erholen; maſſen er in dieſer über den Schrecken/ welchen er über unterſchiedliche Sachen/ ſo er geſehen/ hätte einnemen können/ noch in die Hand eine ziemliche Wunde empfangen hätte. Aber weit gefehlet; Denn die folgende Nacht erſchiene ſie ihn wieder/ und brachte ihm einige Stücke Leinwad/welche die Krafft ſeinen Schaden zu lindern/ haben ſolten/ weil es von der wäre/ worein der HErr CHriſtus wäre eingewickelt worden. Ferner gab ſie ihm einen Tranck/ welcher ihm einen ſo tieffen Schlaff brachte/ daß ſie ihm die vier andern Mahlzeichen/ die noch fehlten/ anbringen kunte/ ohne daß er das geringſte empfunde. Und alſo/ weil die Mönche ſahen/ daß dieſe Erſcheinungen nicht genug ſeyn wolten/ ihr Vorhaben zu Ende zu bringen/ nahmen ſie ihre Zuflucht zur Zauberey. Der Prior zeigete ein Buch/ ſo mit dergleichen angefüllet/ und ſtellete ihnen zugleich für/ daß/ damit dieſe Hexereyen ihre Wirckung thäten/ müſte man GOtt verläugnen. Als nun geſchehen/ was er begehret/ gieng er ſeines Theils weiter/ und übergab ſich durch eine Handſchrifft/ die er mit ſeinem eigenem Blut unterzeichnet/ dem leidigen Satan. Indeſſen war der Tranck ein vermiſchtes Weſen/ welches der Prior, der nicht haben wolte/ daß jemand Wiſſenſchafft darum hätte/ heimlich gemacht/ und darein Brunnen-Waſſer/Chriſam/ Haar von denen Augbraunen eines Kindes/ Queckſilber/ etliche Körner Weyrauch/ ein weinig Wachs von einer Oſter-Kertze/ geweyhetes Saltz/ und Blut von einem ungetaufften Kinde. So bald es Jetſer eingenommen/ blieb er gantz ohne Empfindung/ und zu der Zeit geſchahe es/ daß man ihm die Mahl-

Mahlzeichen an ſeinem Leib machte / worvon ich erſt geredet habe / und geſagt / daß er es nicht davon empfunden. Aber / gleich wie er keinen Schmertzen wegen dieſer Mahlzeichen gefühlet / ſo iſt es im Gegentheil nicht zu glauben / was er vor Freude empfunden / als er ſie Morgens / da er erwacht / in ſeinen Leib eingedruckt geſehen; maſſeñ er nicht zweifelte / er würde dardurch ein lebendiges Bildnüß des Leibes unſers Heylandes worden ſey.

Anders Theils verlohren die Mönche keine Zeit / und ſtelleten ihn auff den groſſen Altar allem Volck vor die Augen / welches über ein ſo groſſes Wunderwerck beſtürtzt / nicht ermangelte in groſſer Menge zuzulauffen / und ſeine Augen an einem ſo heiligen Spectacul zu weiden. Die Mönche gaben ihm noch andere Träncke ein / welche ihm groſſe Convulſiones, oder ſtarcke Ohnmachten und grauſahme Verdrehungen der Glieder verurſachten. So bald er ſich von dieſen wieder erholet lieſſe ſich eine Stimme / die von dem Loch / von welchem ich geſagt / daß es noch zu ſehen / heraus kame / hören. Es gehet aber dieſes Loch in eine Zellen / welche meiſtentheils die Länge nach an die Kirchen-Maure angebauet iſt / auß welcher wenn ein Mönch redete / kan ſeine Stimme / welche auß einem Sprach-Rohr gieng / endlich zu dieſem Loch. Dieſes gieng in ein Marien-Bild / welches das Jeſus Kind auf ſeinen Armen hatte / und zwar ſolcher Geſtalt / daß die Stimme zwiſchen Mutter und Sohn ſchiene herauß zu kommen. Ein Mahler hatte auch dieſem Bild ſo natürliche Thränen angemahlet / daß niemand war / der ſich nicht dardurch betrigen laſſen / und ſie vor wahrhafftig gehalten hätte. Es dieneten die Thränen den JEſus-Kind zur Urſach ſeine Mutter zu fragen / was ſie doch ſo zu weinen antriebe / darauff dann die Jungfrau antworten kunt / es ſchmertzte ſie / daß man ſie einer Ehre / die

alle ihme zukäme/ theilhafftig machte / indem man/ wie es itzt geſchehe/ behaupte / daß ſie ohne Sünde empfangen wäre.

Alles dieſes geſchahe den Jetſer mehr und mehr zu betriegen/ aber es trug ſich das Wiederſpiel zu. Nemlich als der Mönch ſahe/ daß man die Sach allzu hoch triebe/ fieng er an einiges Mißtrauen zu ſchöpffen/ in welchem er nachmahls etwas weiter gieng / ſo gar/ daß/als er bey nahe hinter die Warheit gekommen / er ſie zu entdecken/ und den Orden zu verlaſſen / beſchloſſe.

Da er nun einsmahls dieſen Schluß gefaſt/ war es umbſonſt/ daß man ſich bemühete durch neue Erſcheinungen ihn wiederumb auff den alten Wahn zu bringen. Er hatte es gut im Sinn / einen Mönchen/ welcher zu ihm kam/ und wie er bereits gethan/ die Mutter GOttes / aber in einem anderen Zieraht/ nemlich mit einer Krone auff dem Haupt vorſtellete umbzubringen. Er kame auch eines Tages ohngefehr darzu / da die Mönche ſo deutlich von dem unternehmen / und glücklichen Außgang des handels redeten / daß er nicht mehr zweiffelte / er wäre alſo/ wie er ihn zu ſeyn ſich eingebildet / worvor er denn ein ſo groſſen Abſcheu ſchöpffete/ als man immer vor einer der abſcheulichen und mercklichſten Betrügeren/ die jemahl auff der Welt mögen ſeyn geſehen worden / haben kan. Inzwiſchen/ als die Mönche ſahen/ daß der Betrug/den ſie wider andere geſchmiedet/ und der auch biß dahero ſo glücklich für ſie fortgeführet worden / leicht wider ſie möchte gekehret werden ; bildeten ſie ſich ein/ ſie könten bey dieſer Gelegenheit nicht beſſer thun / als wann ſie dem Jetſer den Handel offenbahrten / und ſich bemüheten / ihn dahin zu vermögen/ daß er ihren liſtigen Anſchlag hülffe mit außführen. Derohalben beichteten ſie ihm denn alles frey heraus/ mit der Vermahnung/ er ſolte doch / was er ſo glücklich ange-

angefangen/ helffen zu Ende bringen; und ſtelleten ihme vor/ daß durch dieſes Mittel er den gröſten Ruhm von der Welt erhalten/ und der Vornehmſte ihres Ordens werden würde. Hiernnen erlangten ſie auch einen ſo glücklich Ausgang/ daß der Mönch ſich entſchloß/ den Betrug fortzuſetzen.

So gieng nun vor die Mönche alles wohl von ſtatten/ wenn ſie nur ein völliges Vertrauen auff den Jetſer geſetzt hätten/ weil ſie es von rechtswegen nicht haben kunten/ meinten ſie/ das einige Modell, welches ſie hätten/ ſich der Gefahr/ darinnen ſie ſich befünden/ zu entziehen/ wäre/ ihm bey gelegener Zeit aus dem Wege räumen. Und derohalben beſchloſſen ſie/ ihm mit Gifft zu vergeben/ welches aber Jetſer wohl gemercket/ daher alle Sorge angewendet/ genau auff das/ was ihm zu eſſen gegeben ward/ achtung zu geben. Und that er auch an dieſer Vorſichtigkeit ſehr wohl/ dann wann er/ zum Exempel/ von einem aus Gewürtze zu bereitetem Brod/ welches ihme einiges Tages verehret ward/ gegeſſen hätte/ wäre es um ihn geſchehen geweſen/ weil dieſes Brod gantz gewiß vergifftet ward; wie es denn auch gnugſam daraus erhellet/ daß nach dem Jetſer es einige Zeit auffgehoben/ endlich aber jungen Wölffen/ die man in dem Kloſter nehrete/ vorgeworffen/ ſie alle geſtorben. Was vor Behutſamkeit er aber immer anwendete/ ſich vor dem Gifft der Mönchen zu hüten/ ſo kundte er es doch ſo klug nicht angreiffen/ daß ſie zu fünff unterſchieden mahlen ihm nicht hätten beybringen ſollen. Aber ſeine Natur erwieſe ſich in ſolchem Fall ſo ſtarck/ daß er dadurch nicht das geringſte zu Schaden kam. Als dieſes die Münche gemerckt/ griffen ſie die Sache anderſt an/ beredeten ſich mit ihm/ und drungen in ihn/ GOtt zu verläugnen/ in der Einbildung/ wo er es thäte/ würden ihre Zaubereyen Gewalt über ihn haben/ aber hierein wolte er niemahls einwilligen. Dahero kam es/ daß ſie auffs

neue genöhtiget wurden wieder zu dem Gifft zu greiffen/ welches gleichwol dieſes mahl nicht beſſer/ als die vorige mahle von ſtatten gegangeu. Dann als ſie ihn gezwungen/ eine vegifftete Hoſtie zu nehmen/ gabe er dieſelbe gleich als er ſie hinunter geſchluckt/ wieder von ſich. Und dieſes war die Urſach/ daß die Mönche/ nachdeme ſie nicht mehr wuſten/ aus was vor Holtz ſie die Pfeile machen ſolten/ ſich aller Art Grauſamkeiten wider ihn gebrauchten. Sie peitſchten ihn mit eiſernen Ketten/ welche nachmahls ihn daran zulegen/ dienen muſten. Dieſe Straffe war faſt zu grob/ aber auch das letz-te/ ſo er von ihnen leiden müſſen. Dann um ſich darvon zu befragen/ ſchwure Jetſer mit grauſamen Verfluchungen/ nicht nur den Handel heimlich zu halten/ ſondern auch den-ſelben fortzuſetzen. Aber ſo bald er aus ihren Händen kom-men/ verzog er nicht lang/ aus dem Kloſter zu entſpringen/ und ſich der Obrigkeit Gewalt zu unterwerffen/ welcher er auch das gantze Geheimnüß entdecket hat.

Wie dieſe gottloſe That nicht von der Art war/ daß ſie ungeſtrafft bleiben kunte/ alſo ſchickte die Obrigkeit alſobald Leute/ umb ſich der vier Mönche/ die dieſes Werck geführet/ zu verſichern/ und ſie in das Gefäugnüß zu legen. Hierauff ſtellete ſie einen Gerichtlichen Proceß an/ da alles in Schriff-ten auffgezeichnet wurde/ welches man Anfangs an dem Bi-ſchoff von Loſannen nachmals nach Rom ſchickte. Inzwi-ſchen mag man wohl glauben/ daß alsdann die Franciſcaner die Hände auch nicht in den Schoß geleget/ ſondern nichts ge-ſparet/ umb es dahin zu bringen/ daß die Sache ſcharff unter-ſucht wurde. Und alſo wurden die Biſchöffe von Loſannen und Lion mit dem Provincial des Ordens ernennet/ daß ſie in dieſer Sache nachforſchen ſolten. So bald dieſes beſchloſſen verſammelten ſich dieſe drey verordnete Richter/ umb die auff-

getragene

getragene Verrichtung zu vollziehen. Anfangs meinten ſie der Handel müſſe alſo angefangen werden / daß Jetſer denen München vor das Gericht geſtellet / und wider ſie abgehöret würde / aber die Mönche wolten nicht / und erklärten ſich / daß ſie ihn nicht annehmen / welches denn verurſachte / daß man ihnen mit der Folter dräuete. Ob ſie nun wohl wieder dieſe auch auffs höchſte proteſtiret / halff es doch nichts / ſondern es wurde beſchloſſen / ob wohl wieder des Provincials Gutachten / daß ſie peinlich gefraget wurden. Einige ſtunden die Marter auß und zwar lang genug. Aber endlich bekannten dieſe und die andern alles / und erzehlten / wie alles von Anfang biß zu Ende ſich zugetragen. Hierauff begab man ſich zur Ruhe / und hatte die Sache eben ein gantzes Jahr gelegen / als ein Spaniſcher Biſchoff mit Vollmacht von Rom ankame / welcher ſie zu Ende brachte. Es war auch alles gar leicht zu vollziehen / indeme der Betrug vollkommen am Tag war. Alſo fuhr man gleich Anfangs fort die vier Mönche ihrer Priſterlichen Würde zu entſetzen / hierauff wurden ſie 8. Tage hernach / nemblich den letzten Maji im Jahr 1590. auff einer Wieſe / welche auff der andern Seite des Fluſſes / gerad gegen der groſſen Kirche über lieget / verbrannt. Man hat mich ſo wohl den Richt-Platz / als das Loch / wodurch die Stimme auß der Zellen in das Bilde gegangen gezeiget. Im übrigen wäre der Provincial ohne zweiffel wie die andern geſtrafft worden / wo er nicht geſtorben wäre / aber als er geſehen / daß er durch einen von ihnen bezüchtiget und angeklagt wurde / er hätte von aller Heimlichkeit Wiſſenſchafft gehabt / iſt er durchgegangen / und hat Gifft zu ſich genommen / zum wenigſten iſt er einige Tage hernach geſtorben / und hält jederman dafür es habe vom Gifft hergerühret. Gleich in Anfang merckte man wohl daß er die

Practicke helffen mitſpielen. Dann ob ihm wohl Jetſer alles erzehlet hatte/ wolte gemeldter Provincial doch dem/ was dieſer ſagte/ niemahls Glauben beymeſſen/ ſondern that im Gegentheil nichts anders/ als daß er ihm vom Gehorſam prediget.

Auß allem dem/ was ich geſagt habe/ könnt ihr/ mein Herr/ ſehen/ wie groß der Dominicaner Betrügerey geweſen. Gewißlich man hat niemahls eine abſcheulichere/ und die zugleich auff eine klugere Art wäre außgeführet worden/ geſehen. O Lieber/ was wurde wol geſchehen ſeyn/ wenn Jetſer kurtz zuvor/ ehe er ſie entdecket geſtorben/ wäre auff die Nachkömmlinge als ein warhafftige Geſchicht gekommen/ die uns eines der gröſten Wunderwerck von der Welt verſichert hätte. Und indeſſen wäre es doch/ wie ihr ſehet/ nichts weniger als dieſe geweſen. Dahero kan man nun/ daß der groſſen Menge Wunderwercke die täglich in der Römiſchen Kirche geſchehen/ nicht zu trauen/ weil ſie ſich nicht anders als dieſes hierzu tragen/ und nur einen glücklichern Fortgang haben.

CIX. Iſta, ex Actis Judicialibus, quæ Bernæ in hunc usque aſſervantur diem, excerpta, *D. Gilbertus Burnettus*, hodie Saliſburienſis in Anglia Epiſcopus, in perpetuam rei memoriam, ad noſtram non interituram redegit notitiam. Ignorare autem iſta Pontificios, aut hiſtoriæ fidem in diſcrimen vocare, tantum abeſt, ut *Nicolaus Baſilius* Monachus Hirſaugienſis, in Additionibus ad *Nauclerum*, quatuor Fratres Anno milleſimo quinquageſimo nono Bernæ crematos, *Archibæreticos* appellaverit. Nunc ad filum, Tragicis Bernenſium Monachorum, quodammodo interruptum ludis, pertexendum manum iterum applicamus, præeuntem ſigniferum è veſtigio ſequuturi.

Leonis X intentio litem de-

CX. *Leo X Pontifex*, inquit, *medicam manum huic malo admovere cupiens, litem determinandam cenſuit, eaq; gratia ad*

tia ad diverſos ſcribendum curavit. Molitus proculdubio iſtam *Determinationem* eſt Leo X, præcipitante *Concilio Lateranenſi*, quod anno 1512 ſub Julio II inchoatum atque anno 1517 ſub Leone X eſt terminatum. Nulla quidẽ ejus rei, in Seſſionibus XI & XII, quibus ſolis ille præfuit, injicitur mentio, nec injici potuit, ſiquidem intercedentes majoris momenti difficultates, litem determinandi Pontificis intentionem abruperunt irritamque reddiderunt. Nempè obtigiſſe memorat Hiſtoriographus noſter, *quod in civitate obſidione cincta, ſolet uſu venire, factiones uti deſinant, & contra communem hoſtẽ vires & conſilia in unum uti conferantur; atq; idem in his Fratrum dimicationibus accidiſſe* perhibet. *terminandi interrupta.*

CXI. Accidit igitur Leoni, Fratribusque dimicantibus, quod Cretenſibus, Hannibale ſtante ad portas, evenire conſuevit. Nempè *Syncretiſmum* fecerunt. Infame vocabulum illud, Deſiderio & ſtudio concordiæ Eccleſiaſticæ, perperam & inconvenienter hodie aptatum, haud temerè apud veteres alibi occurret, quàm in libro Plutarchi περὶ Φιλαδελφίας. *Cretenſes*, ait ibi, *crebris ſeditionibus & bellis civilibus agitati, adventantibus externis hoſtibus tranſigebant & congregabantur. Is enim erat, ut ipſi appellabant, Syncretiſmus.* Pulſis hoſtibus, & ceſſante metu atque periculo, ad ingenium, ſine dubio, redibant Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Crætenſium itaque genium, iſtæ Dominicanorum Franciſcanorumque redolevêre induciæ. In illorum autem magis quàm horum vergunt commendationem, iſta quæ ſubjunguntur. *Syncretiſmus Monaſticus.*

CXII. *Dominicani*, ait, *in Scriptura ſacra, doctrina Patrum, & veterum Scholaſticorum opinioni ſuæ fundamenta ponebant. Alteri,* Franciſcani, *quum ne apicem quidem unum Scripturæ, cauſæ ſuæ propugnandæ reperirent, admi-*

racula & conſenſum multitudinis confugiebant. Qui igitur ſecundum Franciſcanos litem dederunt Pontifices Romani, probarunt ſententiam opinionemq́; , cui probandæ & propugnandæ, ne unus quidem Scripturæ apex reperiri potuit. Hem egregiam deciſionem!

CXIII. Deinde comparationem ſuſcipit, *F. de Veline* dilemmatis, cum *F. Hieronymi Lombardelli* argumento, à conſenſu univerſali recentioris Eccleſiæ, accerſito. *Contra quos,* Franciſcanos inquit, *F. Johannes de Veline Dominicanus, hoc dilemmate pugnabat. D. Paulus inquiebat, & Patres, aut crediderunt iſtam veſtram Beatæ Virginis à communi mortalium lege exemtionem, aut non crediderunt. Si crediderunt, neq; tamen unquam niſi universè loquuti ſunt, nulla facta exceptionis hujus mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt, tunc veſtra opinio novitatem redolet. At F. Hieronymus Lombardellus Franciſcanus, affirmabat non minorem eſſe Eccleſiæ hujusce temporis authoritatem, quàm fuerit primitivæ: itaq; ſi Eccleſiæ Veteris conſenſu factum, ut Patres ſine exceptione tunc loquerentur, conſenſionem univerſalem, quæ hiſce temporibus celebratione feſtivitatis illius ſeſe prodit, ad eam à communi ſorte excipiendam debere nos invitare.* Poſterius autem ſi verum eſſet, conſenſus Eccleſiæ hodiernæ æquipolleret conſenſui Eccleſiæ primitivæ. Et conſenſus Eccleſiæ hodiernæ, cotraveniens conſenſui Eccleſiæ primitivæ, hujus conſenſui præjudicaverit. Imò conſenſum meliorum puriorumque ſeculorum, ſequiorum conſenſui cedere oporteret. Atque vix ulla foret novitas tàm recens, quæ univerſalis Eccleſiæ conſenſus tibicine fulciri & ſuſtineri nequeat. Iſtorum autem paradoxorum aliquid affirmare, hactenus auſus eſt nemo cui ſinciput ſanum. Taceo, deficere etiam in probanda

im-

immaculata B. Virginis conceptione, conſenſum Eccleſiæ hodiernæ univerſalem. Quantumvis enim, particularem Pontificiam Eccleſiam, Univerſalem eſſe tantiſper largiamur, neutiquam tamen univerſalis Eccleſiæ ſaltem Pontificiæ (ut nihil nunc dicam de particularibus Proteſtantium Chriſtianorum Eccleſiis) conſenſu probatum fuerit Dogma, cui numeroſiſſimus Ordo, qualis Dominicanorum eſt, uno ore contradixerit.

CXIV. Poſt illa, de agitata magnâ cum contentione circa immaculatam conceptionem lite, tantiſper donec ſurgens deferbuerit tempeſtas, ſuſpendenda, Syncretiſmum olentia conſilia à Paulo III. (cujus auſpiciis Concilium Tridentinum eſt apertum) ſuſcepta & ſuggeſta memorat. Nempè Legati Romam ubi nunciaſſent, *quæ de conceptione Mariæ excitata fuerit contentio*, illis *Româ reſponſum: huic contraverſiæ manum nullatenus admovendam, quæ inter Catholicos ſchisma poſſet excitare, ſed ut Patres ſibi invicem concilientur; & ut utrisq; ſatisfiat attendendum; inprimis verò Diploma Sixti IV. uti valeat vigeatq;, diligenter attendendum.* Ecce, amolitum ivit Pontifex, non quidem litis cauſam, ſed Patrum litigantium molitus eſt *conciliationem*, mutuamque, non obſtante diſſenſu & contradictione, tolerantiam. Talia verò pacifica conſilia, Syncretiſmi appellatione, hodie infamantur. Rectène an perperam, de eo, & ſecundum tranſigentium *intentionem*, & ex *objecto* ſeu materiâ litis, circa quam paciſcentes verſantur, judicium eſt faciendum. Si agentium nec intentio, nec ſubjecta materia de quâ agitur, cum Cretenſium vel intentione, vel cum horum Syncretiſmo ſubſtrata materiâ, nequicquam habet commune, malè fuerit facta inconvenientis Syncretiſmi nominis, ad Sanctæ Religionis negotia applicatio. Sed

Nova SYNCRETISMI progenies

Religionis negotia, cum illis quæ inter Cretenſes Syncretismum facientes,ſunt agitata,nequicquam habent communione: Ergò malè fuerit facta inconvenientis Syncretismi nominis, ad Religionis negotia applicatio. Haud immeritò igitur indignè ferendum, quod Deſiderio & Studio ſanciendæ ſpiritualis & Eccleſiaſticæ concordiæ inter Chriſtianos, infamis Syncretismi appellatio,eſt aptata. Chriſtianos, intellectum volumus tales, qui in nomen Patris, Filii & ſancti Spiritus ſunt baptizati, in fundamentis fidei Symbolo Apoſtolico, Nicæno & Athanaſiano expreſſis, & juxta ſententiam, primorum œcumenicorum Conciliorum intellectis conſentiunt, & nihil contra conſcientiam vel dicunt vel agunt; erroribus interim, qui fundamenta iſta non evertant, ſint impliciti. Tales, (omnibus aliis, non ſincero pectore, ſed ſecundum dici magis quàm eſſe Chriſtianis, excluſis) ajo, oportere eſſe eos, quorum errores, fundamentum fidei non evertentes, tantiſper donec exemti fuerint, ſic ſint tolerandi, ut dum eximere & evellere eos allaboramus, non averſemur, ſed cum illis, quibus exemtum imus,amicè potius,utpotè nullo hæreſeos ſtigmate notandis, agamus & converſemur. Tale verò pacis, proximi amore inflammatum deſiderium, nihil habet cum Syncretismo commune, nulla inter hunc & illud convenientia. Mutuam igitur Chriſtianorum circa Religionem diſſidentium tolerantiam commendantium *Intentionem*, horumve deſiderii fontem ſi intueamur, ex Dei & proximi amore, non ex odio alicujus hoſtis, metuve imminentis externi periculi, illud ita ſicut Syncretismus facit, erumpere, intelligunt omnes ſobrii, nullo erga proximum odio inebriati. Hoc porrò nullius tertii exitium ut Syncretismus, intendit: potiùs promovendæ Dei gloriæ, honoris Chriſti atq; Eccleſiæ proſperitatis gratiâ, omnium Chriſti redem-

redemtorum ſanguine, quærit ſalutem. Hoc, indiſſolubili nexu animos unire, extinguere inimicitias & diſſidia, non verò ſuſpendere, vel interrupta aliquando redintegrare nititur, ut Syncretismus. *Objectum* ſive *materiam circa quam* verſatus eſt Syncretismus, & circa quam Deſiderinm Studiumque illud, quod diximus, verſatur, ſi conſideremus, nulla utriusque eſt cognatio, ſed objecta ſunt diverſisſima. Deſiderium noſtrum, Chriſtianorum qui in aliquibus, fidem non quidem in eſſe fidei ſalvificæ conſtituentibus, eam tamen vel antecedentibus vel conſequentibus, disſident, ſpiritualem tolerantiam ceu objectum reſpicit. Syncretismus, talia dogmata non concernit, ſed civilia pro objecto habet disſidia, diſſidentiumq; deſiderat & quærit tolerantiam, non firmam & perpetuam, mutui odii intermisſionem duntaxat vel ſuſpenſionem, viriumque & armorum, ad reperimendos externos disſidentibus imminentes hoſtes, conjunctionem, duraturam quàm diu duraverit metus & periculum, in fumum atque ventos abituram, quàm primum ceſſaverit metus atque periculum. Quandoquidem igitur, inter utrosque pacificantes, intuentium oculis immanis ſeſe ingerit diſcrepantia, infamem Syncretismi (qui perfidorum capitum, in pernitiem tertii conjurantium malèfidum fœdus in ſinu gerit) nomenclaturam, DeſiderioStudioque ſpiritualis, circa Religionis negotia disſidentium tolerantiæ malè & perperam aptari, conſpicuum fit & evidens. Primus qui ſpurci Syncretismi nomen, Sanctæ Religionis negotio aptavit; *Scultetus*, ni fallor, fuiſſe deprehenditur. Rem ipſam iſtoc nomine ſignatam, improbarunt quidem rigidiores Theologi. Nomen tamen ipſum, non attenta appellationis inconvenientia, retinuere omnes: ſtudio, ut videtur, pium infamandi deſiderium. Sed iſta hâc occaſione incidenter.

CXV. De

CXV. De natâ verò inter Romano Catholicos lite, atque cùm Leonis X, tùm hujus poſt Hadrianum VI & Clementem VII ſucceſſoris, Pauli III intentione, ſecundum quam litem ſopitum iverunt, idem dicendum & ſtatuendum fuerit, ni pacis Conſultoribus æquiores velimus videri, quàm Pontificibus illis, qui de publicâ Eccleſiaſticâ tranquillitate, nihilo minus quàm Conſultores unquam alii, fuerunt ſolliciti. Et quidem tantò magis illud æquum & juſtum videbitur, quantò à Syncretiſticis motibus civilibus, motus circa Religionis aliquod negotium nati, diſcrepant magis. Sit verò ita, diſcrepent Cretenſium Romanorumque Præſulum molimina una in parte, conſpicua tamen in parte alia Papalium cum Syncretiſmo convenientia conſiliorum, harmoniam inter utrosq; apertè prodit. Diſcrepent enim quamvis motus civiles ab Eccleſiaſticis, Pontificum tamen *Intentioni* nihil non Syncretiſtici cœni adhæſerit. Etenim & Romanæ Curiæ intentionem, & memoratorum monachalium Ordinum *Reſervata*, ſi aliquanto attentius intueamur, aliquid à Syncretiſticis machinationibus conjurationibusque non alienum deprehendimus. Neutri videlicet horum, non magis Romanenſes quàm Cretenſes, inimicitiarum diſſidiorumve quæſivere internecionem, ſed horum ſuſpenſionem duntaxat intermiſſionemq; ſunt aucupati. De Romanenſibus, quod illi & nihil intenderint aliud, & eventum præviderint, nullum eſt dubium. *Innovata* enim *in Germania Religione*, eveniſſe ſcribit Servita Venetus, *quod in civitate obſidione cincta ſoleat uſu venire*: nempè, *ut factiones deſinant, & contra communem hoſtem vires & conſilia conferantur.* Hoc verò ipſum illud eſt, quod Cretenſibus in pari caſu uſu venit. Quod intenderunt hi, idem intenderunt illi, atq; idem utrorumq; intentio-

nis

nis fuit eventus. Sicut ceſſante metu, amotoq; periculo, ad ingenium, renovatis inteſtinis disſidiis rediêre Cretenſes, ita quoque redituros eſſe Romanenſes, renovaturosque dimicationes, ſicut eos rediiſſe & renovaſſe docuit experientia & eventus, non potuit non prævidere, longè in futurum proſpicientis Pontificis ſagacitas. Imò tanta fuit inimicitiarum vis, tantum theſin ab utraque parte defendendi ſtudium, ut quantumvis non ceſſaret periculum ſed vires eundo acquireret, reaſſumtæ tamen ſint, non levi animorum exacerbatione agitatæ concertationes. Hoc verò plus eſt quàm Syncretiſticum, Cretenſiumque κακοήθειαν non adæquat ſed ſuperat. Verùm nihil nunc de violatis prius quàm violare conſueverunt Cretenſes, induciis dicam, illud certè barbaris horum moribus erat convenientiſſimum, quod ſicut Cretenſes imminente hoſte externo, ad eum conſertis manibus reprimendum pellendumque coacti ſunt in malè fidum fœdus, ita quoque ſurgente hoſte, indulgentias aliosque inveteratos abuſus impugnante, inteſtinis diſſidiis colliſas manus conglomerarunt, atque in communem hoſtem, orthodoxæ veritatis vindicem, converterunt. Nempè curiæ Romanæ fores pulſante, Indulgentiarumque nundinatores, inde, ad reddendum horum villicationis rationes, evocante Luthero, panico perculſi terrore, convolarunt, atque in unius conjurarunt caput, ſicut mutuis odiis diſſidiisque diſtracti, convolare atque conjurare conſueverant Cretenſes, litium ſuſpenſionem imperante hoſte externo. Leo X propoſitum *determinandi litem* deponit, *ſcriptasq; eâ gratiâ ad diverſos* literas vel revocat, vel ſaltem non urget. Paulus III, in locum expetitæ & flagitatæ deciſionis, Decretum de natis circa immaculatam conceptionem *contentionibus deponendis*,

dis, & junctis viribus Lutheranis ſe opponendo, ſurrogat. Suffragati Paulo ſunt de hujus ore pendentes, hujus linguâ loquentes Legati, de reliquo muti Concilii moderatores. Status videlicet rationem, i. e. præſentem rerum faciem Syncretiſmum potius, quàm Determinationem talem, qualis litigantem partem illam quæ eſſet ſuccubitura, erat offenſura, poſtulare eſt viſa. Tales enim induciæ, quales cum Franciſcanis pangere Dominicanos voluit Pontifex, cum illis, quas appropinquante hoſte peregrino, accelerarunt Syncretiſmum facturi Cretenſes, ex amuſſi conveniunt. Ex adverſo, pium Deſiderium, Syncretiſmi nomenclaturâ deturpatum, non ſicut Pontificium Decretum, inducias, poſt temporis aliquod intervallum violandas, ſed inviolabilem tolerantiam Eccleſiaſticæ tranquillitati ſubſternit. Pontificum igitur ſtructæ induciæ, propiùs quàm Chriſtianæ Tolerantiæ deſiderium ſtudiumque, ad Syncretiſmum quum accedant, huic quidem cum injuria, illis verò non immeritò Syncretiſmi denominationem tribui, fit manifeſtum.

CXVI. Cæterùm in *Sixti IV Diploma*, quum reſolvantur omnia: hoc *uti valeat vigeatq; diligenter attendere* juſſerit Paulus III; atque proinde illius *Conſtitutiones, ſub pœnis in iis conſtitutis*, Synodus Tridentina non tantùm *innovaverit*, ſed normæ inſtar fuerint poſt ſequutis Romanis Patriarchis, juxta quam ſua dirigerent Decreta, ideò non obiter, ſed cum attentione expendendæ erunt iſtæ Sixti Conſtitutiones. Inſertæ illæ ſunt Corpori Juris Canonico, & comparent Extravagantium Communium Libro III, Tit. XII, in duo digeſtæ Capita. Prioris Capitis Inſcriptio, ejus contenta verbis exhibet iſtis: *Qui conceptionem immaculatæ virginis, devotè celebrabunt, in eodem Feſto, &*

Sixti IV Conſtitutiones.

ſto, & ejus octavis officio intererunt, tales tribuuntur Indulgentiæ, quales conſequuntur Chriſti fideles, in corporis Chriſti ſolennitate. Secundum conſtituti præmii pondus igitur, ſi æſtimanda fuerit ſolennitatis dignitas, Immaculatæ Conceptionis Feſtum, cum Feſtivitate corporis Chriſti, venerit in contentionem. Capite autem primo directè non exprimitur *Immaculata conceptio*, ſed potius de *Immaculatâ Virgine* prædicatur *mira conceptio*. Præmia autem conſtituuntur non tantùm Miſſificis, *Miſſas & alia officia* in Conceptionis Feſtivitate *dicentibus*, ſed etiam ad Feſtum celebrandum, promiſſis *indulgentiis & peccatorum remisſionibus invitantur*, omnes quotquot *ex utroq; ſexu intereſſe* ſategerint, & *quoties id fecerint.* *Præmia Feſtum celebrantibus deſtinata.*

CXVII. Juxta Capitis Secundi Inſcriptionem, *Excommunicationem ipſo facto incurrunt Prædicatores* aſſerentes *Divam virginem in peccato mortali fuiſſe conceptam, qui etiam dicunt quod Feſtum conceptionis ejus celebrantes graviter peccant. Et vult præſentem Conſtitutionem in locis populoſis publicari.* Capite I. *Immaculatam conceptionem*, ambiguâ *immaculatæ Virginis* phraſi involutam, ſecundum hoc caput, in terminis, uti loquuntur, adſtruit, quando *Immaculatæ conceptionis officii* diſertam facit mentionem, atque *motu proprio, non ad alicujus, ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam*, (quâ proteſtatione Franciſcanos, de quorum grege ipſe Sixtus erat, petitionis ſuſpicione liberare ſategit) *ſed de ſuâ merâ deliberatione, & certâ ſcientiâ, hujusmodi aſſertiones Prædicatorum & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent aut tenerent, eandem Dei genetricem, ab originalis peccati maculâ, in ſui conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore vel mortaliter peccare, aut hujusmodi* *Excommunicationis fulmen in diſſentientes detortum.*

 officium

Immaculatæ concept. reſiſtentes damnantur.

officium conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falſas & erroneas & à veritate penitus alienas: editosq́ deſuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, reprobat & damnat. Ac motu, ſcientiâ & auctoritate prædictâ ſtatuimus & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicunq́ alii cujuscunq́ ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero auſu temerario præſumpſerint, in eorum ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, bujuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrere ſtatuit, *à quâ ab alio quàm Romano Pontifice (niſi in mortis periculo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere.* Dic ſodes quæ validiores compedes, Pontificiâ infallibilitate faſcinatis impingi potuerit, quàm Sixtus impegit omnibus Immaculatam B. Virginis conceptionem in quæſtionem ſaltem vocantibus? Dic, an ad Feſtum nativitatis Domini & Servatoris noſtri celebrandum, tantis invitentur pollicitationibus, quantæ recenter inſtitutæ Feſtivitati Immaculatæ conceptionis vacantibus decernuntur? Dic, an in eos, qui alia ſummæ dignitatis Feſta profanant, tanto animadvertatur rigore, quantâ ſeveritate animadvertitur in omnes *utriusq́ ſexus, qui* Feſtivitati huic *intereſſe* neglexerint? Penetrans enim & inſtans eſt excommunicationis fulmen, à quâ *ab alio quàm* fulminante *Romano Pontifice nequeat abſolutionis beneficium obtineri.*

Inexpiabilis Excommunicationis pœna.

CXIIX. Ecquis verò crediderit de uno eodemque infallibili ore fluere, contradictionem involventia Decreta? B. Virginem cum originali peccato eſſe conceptam, & eandem cum originali peccato non eſſe conceptam, contradicto-

dictoria ſunt, quorum alterutrum ſaltem poteſt eſſe verum. Apoſtolicâ igitur auctoritate effecerit Sixtus, ut duo contradictoria ſimul ſint vera: quod ipſe ne quidem omnipotens Deus poteſt efficere, ſub cujus quippè potentiam, contradictionem implicantium verificatio, quàm diu circumſtantiæ in eodem relinquuntur ſtatu, non cadit. Si alterutra autem ſententia tantùm eſt, ſicut non poteſt non eſſe vera, & altera, quantumvis non ſit hæretica, non tamen poteſt non eſſe falſa, quo nixus fundamento, utramque tanquam veram ſuſcipiendi, liberam relinquere potuit poteſtatem; ſive ut *Bellarminus* loquitur, *libertatem opinandi permiſit*? Ita enim ille Lib. IV. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati Cap. XVII. *Tum Sixtus Pontifex, tum Concilium Tridentinum, libertatem opinandi, circa Conceptionem B. Virginis permiſerunt.* Sixtus quidem, ſententiam ſtatuentium, quod immaculatam conceptionem credentes, *alicujus hæreſis labe polluantur, vel mortaliter peccent*; aut Feſtum conceptionis illius celebrantes, vel ſuâ præſentiâ & cooperatione probantes, *alicujus peccati reatum incurrant*, *falſam & erroneam, & à veritate penitus alienam* declarans, ſub ſpecie veri defendendi indulget licentiam. Quo verò id ipſum nixus fundamento facit? Certè modo nullo Scripturæ, de quâ altum ubique ſilentium, ſed *meræ ſuæ deliberationi & certæ ſcientiæ* ad quam ſolam provocat. Et eſt illa propriæ ſcientiæ certitudo ſibi ita evidens, ut in contravenientes *excommunicationis pœnam* ſtatuere non dubitaverit. Excommunicationis, inquam, ſublimioris gradus pœnam, à *qua ab alio, quàm Rom. Pontifice nequeat abſolutionis beneficium obtineri.* Attamen iſti ſententiæ adverſanti & contradictoriè eidem oppoſitæ, non minus quàm priori patrocinaturus, ad eandem provocat infallibilem *ſcientiam*, per iſta quæ immediatè ſequuntur: *Item motu,*

ſcientiâ & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cènſuræ ſubjicit eos qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, *hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale.* Obtigit verò hîc Sixto, quod illis, qui Religionis negotia ſecundum ſolum ſagacis naſi olfactum, tractantes, ſepoſitâ Scripturâ, in ſolâ propriæ *ſcientiæ certitudine*, omnem probationis vim collocant; nempè ut ἀσύστατως loquantur. Et quis non miretur, infallibilis controverſiarum Judicis CERTAM SCIENTIAM, ſic fluctuare, ut violento turbine torta, modò in hanc modò in illam oppoſitorum illidat partem? Non quidem omnis error eſt hæreſis, & poſſunt errores non hæretici tolerari, quia à talium deciſione Deus ſalutem ſuſpenſam noluit: neque tamen tolerantia errorum, errore eximit aliquid quod ex ſe & ſuâ naturâ errori eſt obnoxium, nec eoſdem docendi, propagandi & diſſeminandi licentiam indulget. Sed quam Bellarminus loco citato, *tùm à Sixto Pontifice, tùm à Concilio Tridentino permiſſam* dicit *ſentiendi opinandiq; libertatem*, ille utramque ſententiam ſub ſpecie veri, tradendi docendique largitur poteſtatem. Indulſerit igitur contradictoriè ſibi invicem oppoſitas ſententias (quarum alterutra non poteſt non eſſe falſa & erronea) ſub ſpecie veri, tradendi docendiq; illaudabilem veritati repugnantem libertatem.

Cuſa Sixtum IV ad componendam litem irritantes.

CXIX. Motiva autem quæ induxerunt Sixtum Pontificem ut flexiloquâ Conſtitutione pacando diſſenſui conſultum iret, non ſunt ita recondita, ut in apricum deduci nequeant. Nempè ab unâ parte ſtabant Franciſcani, ab horum Ordinis quondam Generali, favorabilem flagitantes deciſionem. Ab alterâ, à validâ & potente Dominicanorum & Thomiſtarum urgebatur factione. Utriuſque itaque partis quam-

quamvis declinaret offenſam, neutri tamen, iſta adinventâ & conſtitutâ lege, ne (indulta opinandi libertate) pars una alteram in contrariam euntem ſententiam, hæreſeos damnaret, ſic ſatisfecit, ut utraque acquieſceret, atque Pontificem urgere deſineret. Et quantumvis Franciſcanis magis quàm Dominicanis ex animo faveret, publicè tamen favorem iſtum prodere non eſt auſus. Memorat *Bozovius*, impar Baronii continuator, Sixtum quum adhuc eſſet Franciſcanus horumque Ordinis Generalis, ſpem feciſſe ſuis amplam, ſe, ſi aliquando ad ſublimiora eſſet evectus, quæſtionem illam favorabiliter eſſe deciſurum. In ſedem autem elevatus Romanam, Franciſcanis ſuis quos diu ſpe lactaverit inani, voti & promiſſi admonentibus, reſpondiſſe perhibet, *Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus.* Honores igitur mutare non tantùm mores, ſed ipſum quandoque animum transſubſtantiare, ſuo damno experti ſunt Minoritæ. Fecit interim tamen Sixtus IV in ſuorum quondam ſodalium ſolatium, non quidem quantum potuit, ſed quantum licuit. Tulerunt vigilantes Dominicani, fredentes quamvis & fementes, ut jam tùm confirmato *Feſto conceptionis*, quod hi ſub titulo *Sanctificationis* celebrabant, cauſæ ſuæ ſic præjudicaretur: maximè eò, quod Minoritarum ſententiam, ceu *piam & probam* declaraſſet.

CXX. Sixti veſtigia legerunt, huic ſuccedentes tres Pontifices, *Alexander VI, Julius II & Leo X*, amplius Dominicanis creantes præjudicium, eò quod *Ordinem quendam Religioſum, in honorem immaculatæ conceptionis inſtitutum, confirmarunt & privilegiis ornarunt*, teſte Bellarmino loco paulò prius citato. Iſta verò Feſtorum confirmatio, Ordinumque inſtitutio quomodo cum *permiſſâ ſentiendi opinandiq;*

nandiq; libertate conveniat aut conciliari queat, equidem non aſſequor. Etenim permiſit & Sixtus IV, & hunc imitati Tridentini Patres permiſerunt, ut de quæſtione iſta tanquam *nondum à Romanâ Eccleſiâ & Apoſtolicâ Sede definitâ*, in utramque partem, ſine nota hæreſeos diſputaretur. Talis autem permiſſio, ſolam probabilitatem, minimè verò evidentem, quæſtionis in controverſiam vocatæ veritatem atque inde emanantem certitudinem ſupponit. Quod ſi verò quæſtio de Immaculatâ conceptione B. Virginis, eſt ſolùm probabilis, minimè verò certa, cur tres ordine ſibi ſuccedentes Pontifices, *Religioſum Ordinem* in honorem rei incertæ, inſtituerunt? Cur Sixtus IV, *in perpetuum valiturâ* Conſtitutione, *Feſtum diem*, ampliſſimis locupletatum Indulgentiis, ſi de rei veritate nondum conſtat, celebrari juſſit? Cur Concilium Tridentinum, iſtas Sixti *Conſtitutiones, ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, innovavit*?

Concilio Tritend. appenſa Appendix

CXXI. Sed Corollarii iſtius, quod *Seſſioni Quintæ*, inſtar caudæ cercopitheci appenderunt Tridentini, plicæ, prius quàm hinc abeamus, erunt nobis explicandæ. Annotandum igitur eſt, quod, quantumvis Seſſionis V, *Decreti de Peccato Originis* paragrapho V, heterodoxa aliqua ſint adſperſa, ſatis dextrè tamen declaraverit, quod Adami peccatum toti ejus *propagini* nocuerit, quod *non corporis tantùm pœnas in omne genus humanum*, ſed etiam *peccatum quod mors ſit animæ*, transfuderit: & quamvis præter alia eo facientia Scripturæ dicta, etiam claſſicum & univerſaliſſimum illud Pauli ad Rom. V, 12, citaverit Synodus, Appendiculâ tamen illâ, omne in antecedentibus extructum opus bonum, deſtruxit, eò ipſo quod *Declarat, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, beatam & immaculatam*

latam Virginem Mariam, Dei genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti IV, ſub pœnis in iis Conſtitutionibus contentis, quas innovat. Obteſtor Lectorem velit ille haud gravatim, Appendicem iſtam conferre cum illis, quæ è Seſſionis V Paragr. ultimo adduximus; velit eam ad univerſalia ibi citata, omnes omninò homines naturali modo natos, includentia horumque nullum excludentia Scripturæ dicta applicare, & candidè effari, ſintne iſta contradictioni obnoxia? Anne quod unâ manu largitur Seſſionis V^æ comma ultimum, alterâ manu adimat ejusdem Appendix? Etenim, quum ſecundum univerſales, omnes communi modo per viri fœminæque copulam genitos homines complectentes Scripturæ propoſitiones, *Adamum transfudiſſe peccatum* in OMNE *genus humanum* affirmaſſet Concilium, dictorum univerſalitatem, unius perſonæ, quam Scriptura non eximit, exemtione infringit, atque per aſſutam Appendicem limitat, imò deſtruit, quicquid paulo prius ſub Anathemate definierat. Quod ſi enim *non fuit Synodi intentionis, comprebendere boc decreto, ubi de Peccato Originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Dei genetricem*, ſed hanc ab univerſali regulâ exemtum ivit, quid de univerſalium Sacræ paginæ, propoſitionum veritate, quæ exemto uno aliquo capite, quod Scriptura non eximit, univerſales eſſe deſinunt, eſt futurum?

CXXII. De reliquo quod *obſervari* jubentur *Conſtitutiones Sixti Papæ IV*, nimis apertè prodit, in quam & Papa Sixtus & Concilium inclinaverit partem. Quod enim per Conſtitutiones illas, *Immaculatæ conceptionis Officium* probatur; quod ibidem ex immaculatæ conceptionis contradictione, non *levia ſcandula in mentibus fidelium nata*

eſſe perhibetur; quod contradicentium *auſus temeritatis*, eorundemque *aſſertiones perverſitatis* arguuntur & accuſantur; quod *reprobantur & damnantur*, ſicut Franciſcanis favet & velificatur, ita in grande Dominicanorum cedit præjudicium. Si quid tamen his relictum ſit ſolati, ſitum illud fuerit in eo, quod *ab hæreſis crimine* & *peccato mortali* abſolvuntur, atque permittitur illis de quæſtionis veritate diſſentiendi libertas.

CXXIII. Sed quod permiſerunt illi, hoc totum interdixit, Alexander VII. Pontifex: aut itaque illi errarunt permittendo, aut hic eravit interdicendo illud quod prius per prædeceſſores Pontifices, Tridentinumque Concilium erat indultum. Atque ita tympanum quod trivêre priores uno valido ictu perforavit Sixtus. Quisquis enim Sixti IV *Conſtitutiones ſeu Decreta*, ſub gravisſimarum pœnarum cenſurarumque comminatione, *ita interpretari prohibet, ut favorem per illos dictæ ſententiæ, & feſto ſeu cultui ſecundum illam exhibita fruſtrentur, & qui hanc ſententiam, feſtum ſeu cultum, in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam indefinibilitatis ejus examinandæ* facultatem adimit; & porrò interdicit, ne quis *S. Scripturam aut SS. Patres ſive Doctores gloſſetur vel interpretetur, deniq; alio quovis prætextu, ſeu occaſione ſcripto ſeu voce, loquatur, concionetur, tradat, diſputet, contra ea quicquam determinet, aut aſſerat; vel argumenta contra ea afferat, & inſoluta relinquat aut alio quovis excogitabili modo diſſerat* qui hoc, inquam, facit, ille prius indultam libertatem tollit, atq; hæc largientibus in os contradicit. Quâ propter, indulgentes Pontifices, & prohibens, apertâ colliduntur contradictione.

CXXIV. Verùm quum iſta ſatis diu poſt Concilium

lium Tridentinum ſint geſta, cum Paulo Veneto autem, ad usque Concilium illud deductum ſit hiſtoriæ filum, continuatio juxta temporum ſeriem, etiam illorum quæ poſt illud finitum à ſuccedentibus Præſulibus Romanis, in iſtoc Mariano negotio ſunt acta & conſtituta, conſideratio-nem poſtulant. Non autem habitam eſſe quæſtionem il-lam pro tali, quæ vel per Sixti IV Conſtitutionem, vel per Tridentinos Patres ſit definita & deciſâ, inde liquet, quod Reges Hiſpaniæ Philippus III & IV, à Pontificibus Paulo V & Gregorio XV, per ſplendidas Legationes de-finiri petierint. Sed Regibus Catholicis gratificandi promtitudinem, Schismatis periculum repreſſit. Lega-tiones iſtæ, dictæ exinde fuerunt *Legationes Dei genitri-cis*. Legationum autem poſtulatorum, Pontificumque re-ſponſionum hiſtoriam, prolixè deſcripſit *Lucas Waddin-gus* Minorita Hibernus, excuſam Antwerpiæ.

Per Conc. Trid. non habita in Hiſp quæſtio deciſſa

CXXV. Franciſcanorum verò opinio quum accep-tabilior eſſet Hiſpanis, quàm Dominicanorum, Regum determinationem inſtanter ſollicitantium deſideriis, quum in totum non potuerint ſatisfacere Pontifices, in tantum tamen, in quantum, cùm ob oculos verſans Schismatis peri-culum, tùm ſtudium Ordinis, de quo prodierant Pontifices, permitteret, petitioni detulerunt. Et quidem *Paulus V* prohibuit, *ne in ullis actionibus publicis B. Mariam conce-ptam fuiſſe in peccato Originis, aſſereretur*, anno 1616 publica-tâ Conſtitutione. Paulo V, 18 Januarii ſequentis anni vitâ functo, apud hujus ſucceſſorem, *Gregorium XV* inſtitit Hiſpaniæ Rex, repetito poſtulato priori. Ne igitur ſine aliquâ à ſeſe profectâ ſatisfactione dimiſiſſe Legationem, vel omninò expectationem Regis fruſtratus eſſe videre-tur, anteceſſoris ſui interdictum, ne adverſus conceptio-

nem à peccato immunem, publicè diſſeratur, ampliavit atque etiam ad privatas diſſertationes, Anno 1622, extendit. Dominicanis tamen idem Gregorius, publicè etiam affixo Programmate, concedit, *ut in quibuſcunq; privatis colloquiis ſeu conferentiis inter ſe duntaxat, & non inter alios aut cum aliis, de materiâ ejusdem conceptionis B. Virginis diſſerere aut tractare, libere & licitè poſſint & valeant.* Etſi itaque conſtituit Gregorius XV, ne quid ſermonibus & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod B. Virgo in Originali peccato fuerit concepta, *nec de hac opinione affirmativâ, aliquo modo agere ſeu tractare*, excipit tamen Dominicanos, & per hoc ipſum Decretum, Die XXIV Martii, anno cIↄ Iↄ c XXII emiſſum, *non intendit ſua ſanctitas*, ut habent Decreti verba, *reprobare hanc opinionem*, de B. Virgine in peccato concepta, *ne ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in iisdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur, præterquam quo ad in Pauli V & hoc ſuo Decreto diſpoſita.*

Natales Novi Dogmatis incidunt in annum 1661.

CXXVI. Usque ad Seculi igitur quod volvitur & inclinat, Annum LXI, relicta fuit controverſia iſta indeciſa, & opinandi, vel in affirmantem vel negantem partem deſcedendi æqua fuit poteſtas. Ante plures quàm quadraginta Annos, Romæ in Urbanum VIII dictum recordor, *Quod non fecerunt barbari, fecerunt Barbarini.* Paſſus autem eſt Urbanus iſtam Pasquini iniquam cenſuram, quod rotundi Panthei æneas trabes, ad meliores uſus, partim in Dei honorem, partim in tormenta bellica publicæ ſervientia ſecuritati, convertiſſet. Potiori autem jure mutilatum Pasquinum dicere mihi videor, *Quod non fecerunt Sixti, non Pii, non Pauli, non Gregorii, fecit Alexander VII.* Si peccatum fuerit ab Urbano, peccaverit fortè

in eo quod antiquiſſimum Romanæ urbis gentile monumentum aliqua ſui parte ſpoliaverit, quum antiquitatis reliquias non ſic prodigere debuiſſet. Quid verò de Alexandro dicendum, qui à longinquo in Romana Eccleſia, circa immaculatam B. Virginis conceptionem toleratam opinandi libertatem non aliquâ ſui parte, ſed integram ſecundum totum ſuum eſſe ſuſtulit, atque libertate, quâ per longum temporis tractum, gaviſa illa eſt, ſpoliavit? Urbanum non parum excuſat, converſio in meliores uſus. Alexandrum autem, converſio in pejus; libertatis in ſervitutem; deciſio non in meliorem ſed ſequiorem partem; ne ullus quidem veritatis honeſtive, minus multò aliquis indeclinabilis necesſitatis prætextus excuſare poteſt. Quæſtio enim à quâ Deus animarum ſalutem ſuſpenſam noluit, per plura ſecula indeciſa quum ſit relicta, porrò quoque citra ſalutis diſpendium, indeciſam relinquere fas fuiſſet. *Bellarminus* de Amiſſ. gratiæ & ſtatu pecc. Lib. IV, Cap. XV, reprehendit Baſileenſis Concilii Definitionem, quam *certam fidem* facere non potuiſſe perhibet. *Becanus* Cap. XXIIX de Incarnat. q. I. §. X Obſervat, *Martinum V* (dicere forte voluit Nicolaum V) *hanc Seſſionem XXVI* Concilii Baſileenſis, non approbaſſe. Longius autem procedit *Melchior Canus* Epiſcopus Canarienſis, Locorum ſuorum Lib. VI, Cap. III, Num. IX, ubi Concilium Baſileenſe, eo ipſo gravis erroris incuſat, quod illo ſuo Decreto rem difinierit, quæ definiri nec potuerit, nec debuerit. Secundum hunc igitur, Alexander VII rem definierit, quæ definiri nec potuit, nec debuit. Reverâ autem definiiſſe Alexandrum VII, disſimulent quamvis Jeſuitæ, miſeri tamen Dominicani & Thomiſtæ, in iſta cauſa ſuccubiiſſe atq; ad ſervitutem credendi illud quod falſum eſſe norunt, ſeſe redactos

detruſosque, gemunt, & tacita ab imo pectore ſuſpiria ducunt. Præter hos, etiam illi, qui extra Romanam Eccleſiam habitant, quàm primùm Alexandri VII *Innovationem Conſtitutionum & Decretorum, in FAVOREM ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis, in ſui creatione & in corpus infuſione, à peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum,* intuiti ſunt & legerunt, Pontificiæ dictaturæ verba ſatis expreſſa & perſpicua, non alio ſenſu, quàm eopſe quem latini idiomatis indoles gignit, accipere, atque id circo pro dogmate definito, quo Eccleſiam Pontificiam locupletaverit Alexander VII, habere atque æſtimare potuerunt. Condolent igitur, oppreſsis & ſuccumbentibus, minus craſsè quàm faciunt Franciſcani errantibus Dominicanis & Thomiſtis, ſimul ac gratulantur Eccleſiæ Romano-Pontificiæ, de novo quo aucta illa eſt credendorum articulo. Sed ut Alexandrina illa Definitio, ad omnium, etiam illorum quibus fortè viſa nondum eſt, redigatur, notitiam, non pigrabor adſcribere illam integram.

S.D.N.D. Alexandri divina providentiâ
Papæ VII.

Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione à peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.

ALEXANDER PAPA VII.

ad perpetuam rei memoriam.

SOLLICITUDO omnium Eccleſiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentiâ gerimus, in id

nos

nos anxiè tenet intentos & vigilantes, ut ſcandala quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur, ut exorta quàm celerrimè, & quàm diligentiſſime amoveantur: nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præſens afferunt labendi periculum. Quarum Nos pro noſtro paſtoralis officii debito, & damnum ſummoperè dolemus, & diſcrimine aſſiduè urimur.

I. Sanè vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem virginem Mariam pietas, ſentientum, ejus animam in primo inſtanti creationis, atq; infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus filii, humani generis Redemtoris, à macula peccati originalis præſervatam immunem, atq; in hoc ſenſu ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium.

Crevitq; horum numerus, atq; hujuſmodi cultus poſt editas à Fel. Rec. Sixto Papa IV. Prædeceſſore noſtro in ejus Commendationem Apoſtolicus Conſtitutiones quas ſacrum concilium Tridentinum innovavit, atq; obſervari mandavit.

Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum ordinem, & confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem indulgentias: ita ut accedentibus quoq; pleriſq; celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.

II. Et

II. *Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis; cui concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod nempè eadem Beatisſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala, jurgia, & diſſenſiones, rec. mem. Paulus Papa V. etiam Prædeceſſor noſter, vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam probibitionem piæ mem: Prædeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit: mandans inſuper in favorem ejusdem ſententiæ, ut in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino officio celebrandis tam publicè quàm privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicunque debeant.*

III. *Nihilominus, prout venerabiles fratres Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum capitulis datis ad Nos litteris expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione clarisſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum Regis Catbolici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos oratorem, venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas probibitiones tum privatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & Feſto ſecundum illam præſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; imò Eccleſiam Romanam buic ſenten-*

ſententiæ, & Cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Chriſti fideles, è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando; Vnde offenſiones, ſcandala, & jurgia quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri Prædeceſſores perdurant adhuc, & ex occaſione eorundem adverſantium majora his incommoda inpoſterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter ſuper his tam præfati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusq. regna Nobis pro oportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt.

IV. Nos conſiderantes, quod ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebrat, ac ſpeciale, & proprium ſuper hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. Prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volentesque huic laudabili pietati, & devotioni, & feſto ac cultui ſecundum illam exhibito in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo facere, nec non tueri pietatem ac devotionem hanc colendi ac celebrandi Beatiſſimam Virginem, præveniente ſcilicet Spiritus Sancti gratiâ, à peccato originali præſervatam; cupientesque in Chriſti grege unitatem Spiritus in vinculo pacis ſedatis offenſionibus & jurgiis; amotisq. ſcandalis, conſervare: ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum capitulis, ac Philippi Regis ejusque regno-

rum oblatam nobis inſtantiam, ac preces, conſtitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato oirginali præſervatam fuiſſe, nec non & in favorem feſti, & Cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & pœnis in eiſdem conſtitutionibus contentis obſervari mandamus.

V. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illos dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, & qui hanc eandem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam indefinibilitatis ejus examinandæ, ſive ſacram ſcripturam, aut ſanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi; denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea aſſerendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi

facul-

facultate, ac voce activa & paſſiva inquibuscunque electionibus eo ipſo absque alia declaratione privatos eſſe volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere absque alia declaratione.

A quibus pœnis non niſi à nobis ipſis, vel à noſtris Succeſſoribus Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint.

Nec non eosdem aliis pœnis noſtro & eorundem Romanorum Pontificum Succeſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per præſentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſivè Decreta.

VI. Ac libros in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut ſuprà, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones: conciones, tractatus, ſeu diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſuprà laudatum Decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto absque alia declaratione pro expreſſè prohibitis haberi volumus & mandamus.

Vetamus autem Sixti IV. conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam hæreſis crimen, aut peccatum

mortale incurrant : cùm à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica ſede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus : quin potiùs contrariam illam opionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliique prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes, huic noſtræ conſtitutioni ſuperiùs inflximus.

VII. Volentes quod contra hujus noſtræ conſtitutionis transgreſſores, etiam Regulares & cujusvis ordinis, inſtituti etiam ſocietatis Ieſu, & quomodolibet exemptos, & alias quascunque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, ut præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, aliique locorum ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant & inquirant, atque in eos ſtrictè animadvertant : Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgreſſores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impertimur, eosque, ut præfertur, procedere, & inquirere, & punire diſtrictè præcipimus & mandamus.

VIII. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus ac quibusvis indultis, & litteris Apoſtolicis quibusvis perſonis quantumcunque qualificatis, & in quacunque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali Epiſcopali,

pali, & quavis alia dignitate, & honore conſtitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeat quomodo libet conceſſis.

Quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de eis, ipſarumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per Generales, etiam id importantes, clauſulas, mentio habenda, aut alia exquiſita forma obſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrariis quibuſcunq;.

IX. Vt autem hæc noſtra conſtitutio, & præmiſſa omnia ad eorum omnium, quorum intereſt notitiam congruentiùs pervenire posſint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus & ſingulis locorum ordinariis, ac eorum Vicariis ſuffraganeis, & officialibus quibuſcunque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat & pertinet, quatenus hujuſmodi noſtram conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis, vel diſtrictus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportunè inſinuent & publicent, ac inſinuari & publicari faciant, ne quis inpoſterum quoquo modo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare.

X. Volumus, & ſimiliter eadem autoritate decernimus, & mandamus, quòd præſentes litteræ per aliquos ex noſtris curſoribus in Baſilicarum ſancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ Valvis, ac in acie Campi floræ de Vrbe de more publicentur & affigantur. Quæ affixio & publicatio ita omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, afficiat, & arctet: ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent: & quod illarum transſumptis, etiam impresſis manu alicujus Notarii ſubſcriptio, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus litteris adhiberetur, ſi oſtentæ vel exhibitæ forent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die IIX. Decemb. MDCLXI. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

S. Ugolinus.

ANno Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Indictione 13. die verò. II. menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri divina providentia Papæ VII. anno ſeptimo ſupraſcriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in Baſilicarum S. Joann. Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, & in acie Campi floræ, ut moris eſt per me Andream Caſtruvium prælibati ſanctiſſ. D. N. PP. Curſ.

Pro D. Mag. Curſ. Petrus Paulus
Deſiderius Curſ.

Romæ, ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ, M DC LXI.

Huc

Huc usq; *Alexander Papa VII, ad perpetuam rei* perperam & illaudabiliter geſtæ *memoriam.* Seriis verò votis expetita *memoriæ perpetuitas*, in tantò majus Pontificis ceſſura eſt probrum, quantò per hujus Definitionem poſiti termini probantur minus, etiam ab illis, qui aliàs ſummi Pontificis manu impoſita onera baiulant patienter. Immaculatæ autem conceptionis pondus, quum libertate gaudentes conſcientias gravius urgeat prematque, quàm ut ſuſtinere illud valeant, omni aliâ ope deſtituti, in ſollicitatione verborum, quæ mera logomachia eſt, aliquid quærunt levaminis. Eo videlicet usque Pontificum verba verſant atque volutant, donec admotis fidiculis ſenſum exterebrent, per quem lacerata aſſentiendi diſſentiendive facultas, quadantenus reſarcita, atque olim poſſeſſa *ſentiendi libertas* recuperata videretur. Huic retinendæ gratiâ, quum omnes ingenii intendant nervos, nos miſſis nunc aliis, illa ſola quæ ad evincendum faciunt, quod *Alexandrinâ*, ſecundum vulgarem opinionem, infallibili irrefragabilique *Definitione* ſit effectum, ut de Dogmate quæſtionis pro cujusque beneplacito ſentiendi, libertate ſublatâ, ſucceſſerit durum conſcientias ligans vinculum. In quo ubi obtinuero, omnes è Romanâ regione ſtantes, non ſine indignatione fatebuntur, quod ſollicitâ & providâ Pontificum curâ, ad Alexandrum usque, ſarta tectaque ſervata nobilem animum alens

Potior metallis libertas,

uno valido Definitoris ictu, ſit concuſſa, atque proſtrata procumbat. Tanta ſcilicet ab ipſis incunabulis cum lacte materno inſtillatæ præſumtionis vis eſt, ut adverſus infallibilis Controverſiarum judicis Decreta, mutire vel hiſcere non audeant ſub Pontificale jugum miſſi. Ecce verò jugi

iſtius

iſtius bajulos, usque adeò circumſpectos dicam an impudentes, ut vix aliquid ejus, quod Alexander Papa VII deſignavit atque clarâ voce eſt eloquutus, in illo ſtatu relinquant in quo ipſe Conſtituens aut voluit illa quæ ſanxit ſubſiſtere, aut aliter eſt locutus, aliter ſenſit. Sic enim nituntur in adverſum, ut quas de Conſtitutione ſeu Brevi, quod vocant, legimus, haud ambiguè, ſed perſpicuè concepta, claraque voce pronunciata effata, interpretentur aliter, quàm nativa vocum indoles permittit. Non mihi ſic oculos mentemque iners rapit ſtupor, ut non videant quod vident. Diuturnis lucubrationibus fatigatum lumen aciesque mihi quamvis caligent, non tamen ſic cœcutio, ut non videam, per Pontificále Breve, definire Alexandrum quæſtionem, non definitam unquam, ſed usque pro indefinibili habitam. Viſus ille mihi eſt porrò, quod Dogmati, quale haud potiori (quo usque illud innocuit) habitum eſt loco, quàm quo habentur adiaphora, in quæ vel conſentiendi vel à quibus diſſentiendi, ſemper æqua fuit poteſtas, citra dubitationem contradictionemve aſſentiendi impoſuerit neceſſitatem: atque imponendo, novum viſus eſt condidiſſe fidei articulum. Quæ omnia mihi non ſtertenti per ſomnium, ſed vigilanti noctesque ducenti inſomnes, eſſe viſa, nec videntem mens oculusve fefellerit, Reſponſionum, quas producturus ſum, teſtabitur examen. Etenim cum adverſæ partis Viris digniori loco poſitis, honeſtis & eruditis quandoque converſatus, inter ſermones ſerendum & pellucentes conceptionis maculas luſtrandum, expertus ſum, quod plus illi ſibi tribuant libertatis & poteſtatis, quàm Conſtitutionem indulſiſſe iisdemq; reliquiſſe ego aſſequi poteram. Nempè in favorem Immaculatæ conceptionis affirmativè ſolutam quæſtionem negandi;

negandi; iſta quæ Conſtitutio ſtruxit deſtruendi; apertè & palàm contradicendi; atque Decreta impugnandi licentiam. Quantò verò magis in Alexandri dictatus, iſta impingere mihi ſunt viſa, tantò contradixi acrius, oculis meis plus fidens, quàm Alexandri Pontificis præcipitantiam palliare conantibus. Ad illos igitur Prætores judicium deferendum duxi, qui integras in Univerſitatibus conſtituerent Facultates Theologicas, quod citra diſſimulationem, fucum & fraudem, veritati eſſent velificaturi. Colonienſis igitur Academiæ Theologos, fictis (quod nec infrequens eſt nec illicitum) nominibus compellavi, per literas eos requirens, quas hîc bonâ fide repeto.

Maximè Reverendi & Venerabiles Domini, in Chriſto Patres ſuſpiciendi.

NAta eſt inter Ordinis non infimi, ſincero pectore Catholicos, Diſputatio de quæſtione dudum in Eccleſiâ in utramque partem magnâ animorum contentione agitata : *Utrum Dogma Catholium de Immaculatâ conceptione B. Virginis Deiparæ ſit de fide, poſtquam ab Eccleſiâ ſedente Alexandro VII Sanctæ Romanæ Sedis beatiſſimæ recordationis Pontifice, affirmativè determinatum & deciſum, creditu ad ſalutem ſit neceſſarium, an potiùs impoſterum, citra ſalutis diſpendium iſta non credere, apertè negare, iis contradicere, Decreta impugnare poſſit aut debeat ille, qui verum veræ Catholicæ Eccleſiæ membrum eſſe & haberi velit?*

Itum eſt, in medium propoſitâ iſtâ Quæſtione, in diveſas

verſas partes. Harum una objecit: Si qui affirmare auſint, quod Dogma quæſtionis, latâ infallibilis Controverſiarum Judicis ſententiâ, nec de fide, nec ad ſalutem neceſſarium creditu ſit, & quod negatio atque impugnatio ejus ſit licita, illos S. Romanæ Sedis, non ab aliis quàm Hæreticis negatam infallibilitatem, in diſcrimen vocare ac labefactare: & conſequenter, pro veris veræ Catholicæ Eccleſiæ membris haberi, nec poſſint nec debeant.

Pars altera, aliqua inconvenientia, quæ nec ex decoro eſſent nec congruo, per conſequentias deducta, oppoſuit. Ego homo nunc quidem militaris, olim tamen Divinæ humanæque Sapientiæ ſtudiis deditus & cultus, diſputationi interfui, & Auditorem egi. Utroque verò horum Theſin acriter defendente, in Catholicæ Eccleſiæ alicujus Academiæ deciſionem demum & hic & ille compromiſit. Prior, ad Catholici Regis aliquam Univerſitatem, alter ad Chriſtianiſſimi Sorbonam provocavit. Verùm quum hanc in Romani Pontificis infallibilitatem minus eſſe æquam ſit notorium, intra Germaniæ limites ſubſiſtendum uterque duxit. Ego verò qui in celeberrima Colonienſi Academia, ſtudiorum meorum tyrocinia feci, auctor ſuaſorque fui, ut ejus Facultatem Theologicam conſultum irent. Placuit conſilium, atque me inſuper obteſtati ſunt, velim ego venerandam Facultatem illam ad reſpondendum requirere. Ad Vos igitur, Spectabilem Dn. Decanum, atque reliquos SS. Theologiæ Doctores & Profeſſores me converto, & obnixè rogatum venio, decenterque requiro, velitis haud gravatim, ſuperius, initio ſtatim, propoſitam atque rubricâ notatam Quæſtionem ſolvere, ſcrupulos eximere, veritatique perhibere teſtimonium. Facturi eſtis, fluctuantibus conſcientiis conſulentes

lentes, rem Deo gratam, meis Principalibus, mihique horum Mandatario, gratiſſimam.

Pro ſtudio & opera his inſertum aureum offero, quamvis nullus dubitem, Vos quo eſtis in Catholicos, Veſtram implorantes opem, propenſo animo, in Dei & Eccleſiæ Catholicæ honorem, etiam gratis, iſtam haud invitos præſtituros operam.

Mihi in Ducatus Metropoli hiberna ſunt adſignata: quum autem inter præſidiarios militiæ Præfectos, plures ſint mei nominis Nobiles, Hoſpitem meum Dn. Nicolaum Könich, Cellævinariæ curatorem ſive proviſorem requiſivi, ut ille haſce literas perferendas, ac ſub ſui nominis inſcriptione, reddendas, curare velit. Maturato autem opus eſt, ſiquidem futurum fortè eſt, ut hanc ſtationem deſerere, & cum alia mutare jubear.

Cæterùm unum adhuc eſt reliquum, de quo reverenter eſtis mihi compellandi. Ut videlicet hæc mea Requiſitio, ad me revertatur & redeat: intelligantque & videant mei Committentes, mihi demandatum negotium bona geſtum eſſe fide. Deſideratum Reſponſum, huic Requiſitioni, in formâ probante, haud inconvenienter poterit annecti. Ubi ad Rhenum appropinquaverint copiæ noſtræ, Vobis, Deo volente, me ſiſtam, atque debitas gratias coràm rependam. Interim ex animo precor, ut novus qui pridem illuxit annus, cedat eveniatque feliciter, ſitisque diu in Eccleſiæ commodum, ſuperſtites.

Venerandi Nominis Veſtri

cultor devotus
A à B. Eq. P.

Subjungo nunc quoq; per requiſitos Theologos Colonienſes datum Reſponſum.

Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

Q*Uæritur Imo, Utrum Dogma Catholicum de Immaculatâ Conceptione B. Virginis Deiparæ ſit de fide, & poſtquam ab Eccleſiâ ſedente Alexandro VII. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Sedis Beatiſſimæ Recordationis Pontifice, affirmativè determinatum & deciſum, Creditu ad ſalutem ſit neceſſarium?*

Reſpondetur non eſſe de fide, *nec ad Salutem Creditu neceſſarium, patet ex adjuncta Conſtitutione ſeu brevi Alexandri VII. §. 6. v. Vetamus autem &c.*

Quæritur Secundo : an deinceps citrà ſalutis diſpendium quis posſit non Credere *B. V. eſſe Immaculatè Conceptam?*

Item an Citrà ſalutis Diſpendium poſſit apertè negari *B. Virginem eſſe Immaculatè Conceptam, ejusq; immaculatæ Conceptioni* Contradicere, *& Decreta illa Pontificum* impugnare, *qui pro vero veræ Catholicæ Eccleſiæ membro haberi vult.*

Reſpondetur ad Imam partem quæſtionis hujus, poſſe *quem* nolle credere *immaculatam Conceptionem ſine diſpendio ſalutis, patet ex §. 6. ubi prohibet Pontifex, Contrariam immaculatæ Conceptioni opinionem tenentes damnare aut Hæreſis aut peccati mortalis, imò gravisſimis pœnis eos ſubjicit qui auſi fuiſſent taliter eos damnare.*

Reſpondetur ad 2dam quæſtionis partem, per ſe loquendo pecca-

peccaturum *quidem* graviter, *qui hæc auſus fuiſſet, ut patet ex §. v. brevis.*

Et Colligitur ex graviſſimis pœnis & Cenſuris, quæ ſcripto ſeu Voce impugnanti immaculatam Conceptionem iſtic decernuntur & non niſi peccantibus graviter decerni ſolent aut poſſunt, non tamen propterea deſinere eſſe Verum Eccleſiæ membrum, cum non per Hæreſin aut Schiſma ſe ab Eccleſia ſecernat.

Ita ſentiebat S. Facultas Theologica Almæ Univerſitatis hujus Colonienſ. hac die 13. Julii 1694.

Ad Mandatum ſpeciale Admodum RR. Eximiorm ac Ampliſſimorum DD. DDrum S. Facult. Theologicam in Colonia Regentium.

L. S.

Ego Albertus Schavvbergſ. Sacris Apoſtolica & Imperiali authoritatibus Publ. Juratus Not. almæque hujus Ubiorum Univerſitatis ac ſtudii Generalis Colonienſ. Pedellus Juratus ſubſcripſi. mpp.

Integra Alexandri VII Conſtitutio inſerta recitatur, quæ non procul hinc quum totidem ſit expreſſa verbis, hic re petere eam ſuperſedeo.

In hoc verò ipſo quod modo repræſentavi Colonienſium Reſponſo, tantò acquieſcere potui minus, quantò longius, ab Alexandri Diplomatis tenore atque perſpicuo verborum ſenſum, illud abit & abludit. Aliam igitur adhuc Romano Catholicam Academiam adire, ejusq; Theologos compellare conſtitui. Ad Herbipolenſes autem me converti, quod ante annos circiter quinquaginta, moderatos & diſcretos ibi invenerim Theologos, qui haud degeneres

ſuceeſſores reliquiſſe mihi videbantur. Prius itaque quàm Colonienſium Reſponſi ſuſcipiam examen, etiam horum in conſpectum ducendum mihi eſt Reſponſum, ut de unâ, non quidem Samiâ, ſed domeſticâ fideliâ, duos dealbare liceat parietes.

En nunc, Benevole Lector, Reſponſum ambientem Epiſtolam.

Maximè Reverendi & venerabiles Viri, in Chriſto Patres ſuſpiciendi.

SEmper equidem perſuaſus nec aliter doctus unquam fui, quàm quod Sacræ Romanæ Apoſtolicæ Sedis Sanctiſſimi Patriarchæ, de rebus ſanctæ Religionis & Chriſtianæ fidei Capita attinentibus, Decreta, Deciſiones, & Definitiones poſtquam promulgatæ atque ad omnium, quorum intereſt, notitiam redactæ fuerint, infallibilem obtinere auctoritatem, atque omnes ſincero pectore Catholicos, ad Divinam, formidinem oppoſiti excludentem fidem perhibendam, obligare debeant. Porrò verò, ſubſtratam Summi falli & fallere neſcii, Pontificis Definitionem, ſicut credendi imponit neceſſitatem, ita non credendi, negandi, contradicendi, impugnandive prohibere libertatem & licentiam, aut rectè credo ego, aut omnia me fallunt.

Eccum autem de Dominicanorum Familiâ Patrem quendam, apud nos in S. Lüdgeri Monaſterio hoſpitantem, atque communi Catholicorum in Pontificiam infallibilitatem

tem conſentientum ſententiæ, non ſine hujus vilipendio, obnitentem. Vos verò venerabiles Patres ne Monaſterii noſtri ſituationem ignoretis, celare non debeo, adhærere illud civitati, quæ Helmſtadium quamvis nuncupetur, adſcititio tamen Academiæ Juliæ, cui hoſpitium largitur, nomine magis quàm ſuo proprio, inclaruit. Nos interim ibi medios inter Hæreticos, publico Religionis exercitio gaudemus, atque relinquuntur nobis reditus, non tantùm ad honeſtè tolerandam vitam ſed etiam ad benefaciendum cùm pauperibus tùm Fratribus peregrinis, ſufficientes. Hoſpitio itaque excepimus iſtum cujus modo memini, Dominicanum, Patrem & Sacerdotem eruditum volubilisque ad diſputandum linguæ. Factum ſubinde eſt, ut hoſpite adhuc præſente, aliquis de vicinæ Academiæ Theologis (quippè qui moderatiores ſunt, quàm ut noſtram averſentur converſationem) nos inviſum accederet. Motæ ſunt (ſicut in eruditorum conſeſſu fieri conſuevit) variæ de rebus variis quæſtiones. Majori tamen cum animorum contentione agitata eſt illa, quæ circà Immaculatam conceptionem B. Virginis Deiparæ, dudum eſt nata, diu in ſuſpenſo relicta, tandem per Beatisſimæ memoriæ Pontificem maximum Alexandrum Septimum terminata, atque in adfirmantium favorem, infallibili Decreto deciſa. Equidem debiti obſequi memor, Summi Pontificis cauſam egi, Definitionisque defenſionem ſuſcepi. Ex adverſo hoſpes ille Dominicanus, cum præſente Lutherano Theologo potiùs, quàm cum fidei domeſticis facere, mihi eſt viſus. Nec immeritoita mihi eſt viſus, eò quod controverſiam illam modò credendorum numero eximendi; modò in alterutram partem non obſtante Pontificia Definitione, deſcendendi, modo incumbentem credendi neceſſitatem

negandi;

negandi; modo ipſi Pontificio Decreto controveniendi imò illud impugnandi licentiam prætendere non eſt verecundatus. Ceſſit Diſputatio iſta in noſtrum damnum; nec certe cedere melius potuit, ſiquidem iſtam hoſpitis noſtri præcipitantiam, Lutheranus ille Academiæ Juliæ Theologus, protinus in rem ſuam vertit, atque è conceſſis, Romani Pontificis infallibilitatem acrius impugnare cœpit. Altercatio iſta ſcandali plena non tantum offendit ſacri Ordinis noſtri Fratres, ſed anſam quoque Lutherano Theologo porrexit, ad malè judicandum de Catholicornm circa definita dogmata, diſſenſu. Imò malè vereor, prodituram propediem Diſputationem Academicam, quâ iſtud inter Catholicos certatum certamen & propaletur, & depromtis è Dominicani pharetra telis pontificis Romani, hîc loci in Hæreticâ Academiâ jam dudum per Calixtos indignè exagitata Infallibilitas, impetetur, atque exagitetur amplius. Ut igitur datum ſcandalum de Conventu noſtro tollatur, fluctuantium Fratrum conſcientiæ tranquillentur, atque infallibilitatis privilegio Divinitus donati ſummi in terris controverſiarum Judicis auctoritas ſarta tecta conſervetur, Vos, Academiæ Herbipolitanæ maximè Reverendos & Venerabiles Theologos, per veſtram obteſtor fidem: velitis haud gravatim, ad ſubjectas quæſtiones, juxta Sacræ Catholicæ Eccleſiæ univerſaliter recepta principia reſpondere: Primò ingenere: *Utrum verum veræ Catholicæ Eccleſiæ membrum, Dogmati tali quod ad credenda pertineat, autoritate inſuper infallibilis Summi Pontificis effato, ſit definitum, fidem apertè denegare, ei contradicere atque promulgata Decreta, absque mortalis peccati reatu impugnare poſſit aut non poſſit?* Deinde in ſpecie: *Utrum Dogma Catholicum de Immaculata conceptione B. Virginis Deiparæ,*

Deiparæ, poſtquam ab Eccleſiâ ſedente Alexandro iſtius nominis VII, Sanctæ Romanæ Sedis beatiſſimæ recordationis Pontifice affirmativè determinatum eſt & deciſum, inter credenda ſit referendum, an potius impoſterum, absq; mortalis peccati reatu, dogma illud non credere, palàm negare, ei contradicere, atque Decretum impugnare posſit aut non poſſit aliquis qui verum veræ Catholicæ Eccleſiæ membrum eſſe & haberi velit? Agite, Venerabiles Domini, requiſiti reſpondete ad interrogata directè, ut intelligam, erraveritne hoſpes ille noſter, an erraverim ipſe? Facturi eſtis rem Deo acceptam, Catholicæ Eccleſiæ ſalutarem, atq; præclarè non tantùm de me, ſed & de Fraternitate noſtrâ universâ merituri. De propenſo autem, erga Catholicos, Veſtram implorantes opem, animo, mihi polliceor, Vos in Dei & Eccleſiæ Catholicæ honorem, reſpondendi ſtudium & operam, haud difficulter gratis eſſe præſtituros. Et quidem tantò mihi de Vobis illud promitto magis, quantò noſtis rectiùs, me Monachum gregarium, nihil habere proprii, de quo poſſim eſſe liberalis. Interim Deum promitto remuneratorem, apud quem pro Veſtrâ incolumitate devotâ prece intercedere nunquam ſum deſiturus Valete.

Venerandi nominis Veſtri

Scribebam in Wehrdenſi Ord. S. Bened.
Abbatiæ Monaſterio S. Ludgeri propè
Helmſtadium.

devotus cultor.
P. A. P.

Succedat hiſce Herbipolenſium Theologorum

ad præmiſſam requiſitionem Reſponſum, his quæ ſequuntur conceptum verbis.

Admodum Reverende in Chriſto Pater

AD amantisſimas Admodùm Reverendæ Paternitatis veſtræ literas & gemina poſtulata paucis inſervio, & Reſp. I. Si R. Pater ille apud Vos hoſpitans, communi ſententiæ de infallibilitate Pontificis, cum ejus vilipendio obnixus & contrariatus eſt, omninò quoad hoc malè & ſcandaloſè proceſſit. Docuerunt equidem Catholicorum aliqui iiq; pauci, Alphonſus de Caſtro, Almainus, Gerſon cum aliquot Pariſienſibus Doctoribus (quibus non obſcurè favent propoſitiones conventûs Pariſienſis Anno 1682. 23. Martii editæ) quod quamvis Papa cum concilio œcumenico definiens ſit infallibilis in fidei dogmatis, ſi tamen ſe ſolo ſine concilio tali definiat è cathedra, falli poſſe, & quamvis aliqui Pontifices definirent, Papam etiam ſe ſolo è cathedra definientem falli non poſſe in dogmatis fidei, ajunt tamen Hi pauci auctores, idipſum non eſſe de fide, eò quod nullus Papa id cum concilio œcumenico definierit: definitionem autem ſine tali concilio, non eſſe infallibilem. Sed arguitur hæc paucorum ſententia, à cæterorum omnium doctorum Catholicorum torrente, utpote ſcandaloſa, erronea, & ut Bellarm. to. 4. lib. 4. ait : hæreſi proxima. *Sanè D. Petro ejusq; ſucceſſori dictum eſt Luc. 22. rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua & Tu converſus confirma fratres tuos : Petro hoc dicitur (non eccleſiæ quæ fratres non habet) Petrus igitur ceu Petra Eccleſiæ ejusq; ſucceſſor errare non poteſt in dogmatis fidei decidendis & ex cathedra*

publicè

publicè definiendis. Petri ejusq; ſucceſſoris munus eſt confirmare fratres in articulis fidei credendis, non autem confirmari à fratribus ſivè Epiſcopis in concilio œcumenico, poteſt errare œcumenicum ſine Papa id confirmante juxta illud 7. Synodi generalis, act. 6. non eſt legitimum decretum Generalis Concili, quod ſine Rom. Pontifice aut ejus Legato fit : e contra non poteſt errare Papa ſine concilio definiens è cathedra. Profectò ſæpe nequit cogi tale concilium, ut patet in tribus primis ſeculis & tamen tunc debuit eſſe infallibilis judex controverſiarum fidei; nec eſt credibile, Chriſtum dediſſe Papæ Infallibilitatem in definiendo, cum conditione tam difficili ac ſæpe moraliter impoſſibili, cogendi concilium. Deniq; , ut plura alia taceam, ſi Papa ſe ſolo definiens errare poſſet, poſſet Catholicus adhuc amplecti hanc propoſitionem v. g. ab Innoc. X. damnatam : Semipelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino paſſum. Quæ hinc ſcandala ? Quæ turpitudines ? quæ corruptelæ fœdarent Eccleſiam ?

Reſp. II. Si R. Pater ille apud vos Hoſpitans contra immac. Conceptionem B. M. V. diſputavit vel locutus eſt haud dubiè non tantum malè fecit, ſed etiam graves ab Alexandro VII. latas cenſuras incurrit, quos ille Pater, quia mihi deſcribitur tanquam vir eruditus, ignorare non potuit, certè non debuit. Si verò tantùm contendebat, illam de immac. Conceptione ſententiam non eſſe à Pontifice definitam, & Eccleſiæ (ceu dogma fidei credendum) propoſitam, rectè & verè dixit. Nec enim Alexander VII. nec ullus alius Papa definivit ex cathedra ceu dogma fidei Beatam Virginem eſſe immaculatè conceptam. Solummodo ſanxit Alexander VII, ut non liceat piam noſtram de immac. Conceptione ſententiam ejusq; cultum ac feſtum in diſputationem revocare, aut contra eam quoquo modo, directè vel indirectè

aut ſub quovis prætextu ſeu occaſione ſcriptò vel voce loqui, concionari, tractare, diſputare, idq; ſub gravibus cenſuris.

Atq; hæc ſunt quæ ad interrogata Admodum Reverendæ Paternitatis ſuæ ſtrictim & paucis reſpondere volui, ex conſenſu & Decreto ſacræ Facultatis noſtræ Theologicæ. Commendo me enixè in SS. Sacrificia & ſi quâ inre ſimili vel alia inſervire potero, ſum & ero

Admodum Reverendæ Paternitatis Veſtræ

Herbipoli 13. Novemb.
1694.

Paratisſimus in Chriſto Servus

Bruno Greber S. I.
S. Facult. Theol. p. t. Decanus

CXXVII. A Colonienſibus Theologis parum quum diſcrepent Herbipolitani, & uno ore loquatur utraque Facultas, quicquid reſponſi reddendum erit illis, idem ſibi capiant, atq; ad ſe pertinere credant, ſerius compellati Herbipoleos Theologi. Utrosque autem urget non inanis ſollicitudo, in ſtudium celandi aut minimùm palliandi, inconſultæ Conſtitutionis nævos, erumpens. Prævidentes igitur & intelligentes, quàm graviter unius capitis ruina concuſſura eſſet horum Eccleſiam univerſam, undequaque ad operas ferendum concurrere, nihil eſt mirum, ſicut nec iſtâ opitulandi promtitudo, iis quorum inter eſt, vitio verti poteſt. Etenim ſi quisque civis bonus, præſentem reipubli-

reipublicæ ſtatum amat , Clerus Romanus non poterit non præſentem Papalis reipublicæ ſtatum adamare. Status autem iſtius prora& puppis eſt, Pontificis infallibilitas. Hac ſtante, omne Papale ſtabit intereſſe, ruente, ruitura ſunt illi ſuperſtructa omnia. Paſſa autem eſſet Infallibiliſta notabile deliquium, ſi univerſa quæ Alexandrina tradit Conſtitutio, ſic acciperetur ſicut jacent & ſonant. Sic enim iſta conſpicuæ veritati reluctantur apertè, ut præpoſtera in ſequiorem partem ruens, erroribus gravida Conſtitutio, celebratam infallibilitatem gravi involatura eſſet ruinâ, ni à Conſtituentis dictantisque intentione alienus, inconvenientia ſi non tollens, ſaltem illa temperans & emolliens ſenſus affingatur. Inconvenientium turpitudinem Reſponſorum mox ſuſcipienda anatome, eſt detectura.

CXXIIX. Non ſine commiſeratione autem intueor meos, inter ſacrum & ſaxum ſudantes Conſultores. Ab unâ ſcilicet parte, Pontificia urgentur infallibilitate, quæ ſecundum horum principia, ſacroſancta atque ſuprema lex eſſe debebat: Ab alterâ parte ſtant, è malis, quæ Alexander enixus eſt ovis, excluſi mali pulli, in Eccleſiæ foro venum non exponendi, ſuffocandi potius inplumes quàm fovendi & alendi. Sed absque ulteriore ambage, propius accedendum ad rem ipſam; ſiquidem adeſt nunc inquirendi tempus, quæ & qualia ſint iſta capita à quibus Alexander Papa VII, per meos, nón obſtante veritatis evidentiâ, abſolvitur Conſultores. Ordine juxta interrogata & reſponſa incedere par eſt & conveniens.

CXXIX. Ad primam quæſtionem, utrum in diſquiſitionem, vocatum Dogma, *ſit de fide*, & conſequenter *ad ſalutem neceſſarium?* reſpondetur negativè quod *non ſit de fide, nec ad ſalutem neceſſarium* Dogma. Secundum rem &

veritatem eſſe reſponſum, lubens equidem agnoſco: Pontificis autem mentis intentioni & animi ejus ſententiæ illam quadrare, hoc eſt quod nego. Non enim quæritur quid orthodoxum rectumve ſit, ſed quid promulgatâ Conſtitutione ſanciverit Pontifex? Huic tribuunt qnod eum voluiſſe & feciſſe vellent, atque ut incautos, ita eum voluiſſe perſuadeant, ad Conſtitutionis §. VI provocant lectoremq; remittunt. Habent autem §. iſtius VI verba ita. *Vetamus autem Sixti IV Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes; videlicet glorioſam Virginem Mariam, cum Originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen aut mortale peccatum incurrant, cum à Romanâ Eccleſiâ & ab Apoſtolicâ Sede nondum fuerit hoc deciſum, pro ut nos minimè decidere volumus aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem, hæreſis aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes præter pœnas quibus eos ſubjicit Sixtus IV, aliiq; prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes, huic noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs inflixìmus.* Per iſtâ ſubſtratâ, probè infertur: Propter quam opinionem retentam, homo hæreſis crimen aut mortale peccatum non incurrit, illa opinio nec eſt de fide, nec ad ſalutem creditu neceſſaria. Hactenus benè: rectè ſic inferri iterum affirmo; Sed jus quod Colonienſes in Conſtitutionem iſtam ſibi tribuunt, nihilo minùs mihi quàm illis competit. Sicut illi probationes inde petunt, ita ex eodem quoque fonte haurire mihi licet. Haud equidem opinor negaturos Colonienſes cum Herbipolitanis, per omne quàm latè illud patet Diploma, S. Spiritum infallibilitatis ſparſiſſe radios. Non è ſolo autem, hæreſin intentandi interdicto, de interdicentis judicandum intentione. Potius ſancientis intentio

tio ibi eſt quærenda, ubi ex inſtituto de eâ agit eandemque declarare nititur. Facit autem hoc ipſum ſtatim poſt introitum. Poſtquam enim cauſas ad decernendum irritantes moventesque expoſuiſſet, atque *Philippum Hiſpaniarum Regem ejusq; Regna pro oportuno remedio* (Definitione videlicet terminante litem, quod jam dudum ſplendidis Romam deſtinatis Legationibus, flagitaverat Hiſpania univerſa) *inſtanter ſibi ſupplicantia* oſtentaſſet, §. IV, de Pietate & devotione colendi & *celebrandi Beatiſſimam Virginem*, animi ſui ſententiam, atque agitatam mentis intentionem ſic declarat; quod *nimirum cupiat in Chriſti grege UNITATEM SPIRITUS in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus & jurgiis, amotisq; ſcandalis ſervare.* Dogma igitur de præſervatione Beatæ Virginis in ſui conceptione à peccato, tale oportet eſſe Dogma, quod ad *Unitatem Spiritus in vinculo pacis ſervandam* ſeu retinendam pertineat: & porrò tale Dogma, circa quod offenſiones, ſeditiones & jurgia, quàm diu ſedata non fuerint, tàm diu in Chriſti grege *Unitas Spiritus* in vinculo pacis conſervari nequeat. *Alex. VII intentio è §. IV. eruitur.*

CXXX. Quinam verò qualesve Articuli, quæ qualiave ſunt Dogmata, in quibus UNITAS SPIRITUS EST CONSERVANDA, ſi non ſunt illa, quæ ipſam ſalvificam fidem attinent, & ad ſalutem cognitu credituque habentur neceſſaria. UNITAS SPIRTUS non eſt alia quàm unitas fidei ſalvificæ, ſive quòd idem eſt, unanimis in fidem ſalvificam conſenſus. In iſta videlicet *Fidei unitate, fideles conſervat Spiritus Sanctus.* Iſtâ fide actu debent eſſe præditi, atque in ipſa illa fide actu inter ſe communicant, cuncti quotquot ſunt toto orbe Chriſtiani, locorum quamvis diſtantiâ à ſe invicem remotiſſimi. Et quia in iſtâ unitate fidei, Spiritus Sanctus fideles in univerſum omnes con-

ſervat

ſervat, ideò univerſaliter in Eccleſia recepta & ſemper audita vox eſt, per quam celebratur Deus quod *Spiritus Sanctus per diverſitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fidei* (ad quam Alexander Papa VII Immaculatæ conceptionis Articulum in ſuæ intentionis declaratione reductum ivit) *congregaverit.* Hymnus iſte ad vernaculum redactus idioma ſic effertur; die gantze Chriſtenheit auff Erden/ hält in einem Sinne gar eben.

CXXXI. Quænam verò eſt fides illa in cujus unitate Spiritus Sanctus gentes congregavit? Certè non poterit eſſe alia præter ipſam illam quam Spiritus Sanctus operatur. Fides enim Dei eſt donum, quod mediante Scripturâ, quæ operantis S. Spiritus gratiâ nunquam deſtituitur, eam legentibus, audientibus, ruminantibus confertur. Ipſa illa fides, quam operatur S. Spiritus, & in cujus unitate per diverſitatem linguarum cunctarum gentes congregavit, à viris Apoſtolicis in Symbolum, ceu aliquod credendorum compendium, eſt redacta. Quænam verò doctrinæ ſeu Dogmati, de Immaculata B. V. conceptione, *in cujus fide*, Pontifex Alexander VII, *Chriſti gregem conſervari cupit* (ſunt ipſiſſima ejus verba) cum Symbolo Apoſtolico (non niſi vetuſta, excluſis omnibus novis, Dogmata recipiente) communio? Quantumvis autem novitius ille Articulus in Symbolo non exſtet, extat tamen in Alexandrinâ Conſtitutione, ſecundum quam Pontifex *cupit in Chriſti grege, unitatem Spiritus*, circa Articulum de quo integer §. IV tractat, *in vinculo pacis conſervare*: qua propter ejuſdem Conſtitutionis vigore, recenter natum Articulum ad eos pertinere oportet Articulos, in quorum fide, *unitas Spiritus conſervatur*, ſive quod eodem recidit, *in cujus fidei unitate, Spiritus Sanctus cunctas per di-*

verſitatem linguarum gentes congregat. Tales verò Articuli ſunt *de fide*, & *ad ſalutem creditu neceſſarii.* Quandoquidem igitur de Immaculata B. V. conceptione Articulus, tenore & rigore IV Paragraphi, ad iſtos pertinet Articulos, in quorum fide, *unitate Spiritus conſervamur*; de Immaculatâ conceptione Articulum, talem oportet eſſe Articulum, quales ſunt *de fide*, & *ad ſalutem creditu neceſſarii* Articuli: quod probandum erat.

CXXXII. Eant nunc Domini Colonienſes & prætendere pergant, ex Alexandrinâ *patere* Conſtitutione, quod Articulus quæſtionis, *non ſit de fide, nec ad ſalutem creditu neceſſarius.* Comitentur hos, Domini Herbipolitani, quos in eadem cum illis ſententia eſſe, *Bruno Greberus S. S. Facultatis Theologicæ Decanus*, & ſuo & Collegarum nomine eſt profeſſus. Agnoſcant iidem, enormiter erraſſe Pontificem, quando muſteum melioribus ſeculis ignoratum Dogma, ad eorum redegit ordinem, quo collocantur iſta, in quorum fide, *unitate Spiritus conſervantur* gentes Chriſti nomen profeſſæ. Fateantur ſe vidiſſe Alexandri Papæ VII intentionem, ſed quod viderint diſſimulaſſe, ut exulceratæ cauſæ emplaſtrum applicarent, atque adſperſa probra de Eccleſiæ foribus detergerent. Probroſa enim & ſcandali plena res eſt, novos, ſicut Alexander fecit, condere fidei Articulos, inter credenda ad ſalutem neceſſaria referre, quæ antiquitus credita non ſunt.

CXXXIII. Nempè ſtante iſta Pontificis ſententia, ſanxerit ille quod non ſanxerunt, ejus in Papatu prædeceſſores; non Concilium Tridentinum, fidei Pontificæ norma. Et aucta fuiſſet horum Eccleſia, novo fidei Articulo, Apoſtolis horumque diſcipulis ignorato. E quo porrò ſequitur, aut omnes illos ſervatos fuiſſe, ignorato aliquo *Novo fide Art. aucta Eccl.*

 creden-

credendorum articulo, aut ignorantes periiſſe: quorum alterutrum adſtruere abſurdum imò impium eſt. Eſt enim ad ſalutem cognitu creditùque neceſſariorum indoles & natura, ut credantur virtute internæ gratiæ, quæ ſicut in nullius mortalium manu eſt, arbitrio & poteſtate, ſed eam conferre ſolius eſt Dei per Verbum operantis, ita quoque in nullius eſt poteſtate, Articulum aliquem fidei condere, & ad credendum injungere. Conditum autem eſſe, ante annos circiter triginta quatuor, novum aliquem fidei articulum, quamvis illi, quos ineptæ Conſtitutionis piget pœnitetque, agnoſcere detrectent, plenis tamen buccis, ſonorâ ad Franciſcanorum aures accommodata vox, proclamat. Malus quidem, inveteratus tamen mos eſt, amplificare credenda, horumque regulam eo dilatare usque, donec omne illud, quod ad palatum eſt & arridet, complectatur. Bone Deus! quid meliorum puriorumque ſeculorum Patres eſſent dicturi, ſi horum aliquibus redivivis, in Eccleſiæ theatrum iterum ingredi daretur? Dicite queſo, utrum è Doctoribus diſcipuli facti, novis olim ignoratis Dogmatibus addiſcendis ſint vacaturi, an potius diſcendorum mole territi, gradum revocaturi, atque ſimplici ſuâ fide involuti, ad priſtinam quietem redium acceleraturi? Sed muros Iliacos peccatur intra & extra.

CXXXIV. Venio nunc ad alteram quæſtionem, atque data ad illam Reſponſa. Benè digeſſerunt Domini Colonienſes Theologi quæſtionem illam in duo membra, ut tanto reſponderent diſtinctius. De priori igitur prius. *Quæritur*, ajunt, *ſecundo*: an *deinceps citra ſalutis diſpendium, quis poſſit non credere, B. V. eſſe immaculatè conceptam*? Reſpondetur *ad primam partem quæſtionis illius, poſſe quem NOLLE CREDERE immaculatam conceptionem*

ſine

ſine diſpendio ſalutis, patet ex paragr. VI, ubi probibet Pontifex contrariam immaculatæ conceptioni oppoſitam opinionem tenentes damnare, aut Hæreſis aut peccati mortalis: imò graviſſimis pœnis eos ſubjicit, qui auſi fuerint taliter eos damnare. Ita Domini Colonienſes Theologi.

CXXXV. Procedit autem Reſponſum, Paragraphum VI fundamenti loco iterum ſubſternens, è falsâ hypotheſi: nimirum quod Pontifex, in quæſtione verſans Dogma, habuerit pro tali, quod *non ſit de fide*, ſed indifferenter ſe habeat ad credenda, poſſit credi, & poſſit non credi, citra ſalutis jacturam. Aſt falſam eſſe dictam hypotheſin, quum ſupra evidenter ſit demonſtratum, ecquid mirum è perforato cortice excludi arroſum nucleum? Et fieri vix poteſt quin poſito uno inconveniente ſequantur plura. Incoveniens eſſe ajo, Immaculam conceptionem *poſſe quem nolle credere*; non quidem ideò quod ſit credenda, ſed quod non credendi libertas inconvenienter ex eâ deducatur Conſtitutione, quæ eam *non credere* prohibet. Etenim ſi litem dirimens Pontifex, habuit Dogma illud eo loco, quo illa ponuntur, in quorum fide, *unitas fidei conſervatur* (ſicut habuiſſe eum è §. IV deduximus) huic *oppoſitam opinionem retinendi* licentiam indulgere ideò non potuit, quia illa in quorum fide, *unitas Spiritus conſervatur*, creditu ſunt neceſſaria neceſſitate medii: quæ verò ſic ſunt neceſſaria illa ſimpliciter ſunt neceſſaria, circa quæ nulla relinquitur credendi vel non credendi libertas: adeò ut non credentem nulla excuſet ignorantia, ne inſuperabilis quidem & invincibilis, nec excuſatio undecunque illa petatur inveniat locum. Sicut nec talem licentiam, citato §. IV, indulget Pontifex. Saltem Immaculatæ conceptioni contrariam ſententiam tenentes, *Hære-*

Colonienſ. Reſp. examen.

Neceſſaria neceſſitate medii, ſimpliciter neceſſaria

ſis aut peccati mortalis, damnare ſub graviſſimis pœnis prohibet. Non autem ille qui opinionem aliquam, hæreſeos aut peccati mortalis non damnat, eandem credendi aut profitendi facit poteſtatem. Res exemplo adducto futura eſt manifeſta. Sententiam per quam VII, nec plura nec pauciora ſtatuuntur propriè dicta Sacramenta, vel hæreſeos vel peccati mortalis nemo noſtrum damnat: atteſtante Apologia Aug. Confeſſ. cujus hanc in rem verba ita habent: *Nemo vir prudens, de numero aut vocabulo* Sacramenti, *magnopere rixabitur.* Nec tamen cuiquam noſtratium, Sacramentorum, propriè talium, ſacra, ſic ampliandi, in ſacrum ſeptenarium numerum condeſcendendi, eumque tuendi & propugnandi cuiquam facimus poteſtatem. Sic quoque Pontifex, quantumvis Immaculatæ conceptioni contravenientem opinionem, nec hæreſeos nec peccati mortalis damnet, eo tamen ipſo non permittit cuipiam ſuorum, ut credere & profiteri eam pergat; vel ut *credere eam nolit*, multò minùs ut illam quam *credere non vult* vellicet aut pungat; ſiquidem affirmanti ſententiæ tantopere favet, ut in eam impingentem dubitationem, procul remotam velit, dubitantibus pœnas intentet, gradus inter Eccleſiaſticas ſublimioris; per ea quæ Bullæ Paragrapho IV ſtatuuntur, & ſic ſunt concepta.

Exemplũ à Sacramẽtorum numero.

CXXXVI. *Et inſuper omnes & ſingulos*, ait ibi, *qui præfatas Conſtitutiones ſeu Decreta, ita pergent interpretari, ut favores per illas dictæ ſententiæ, ſeu Feſto & cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eandem ſententiam, Feſtum ſeu cultum, in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè vel indirectè, aut quovis prætextu, etiam indefinibilitatis ejus examinandæ, ſive S. Scripturam aut S. Patres, ſive Doctores gloſſandi vel interpretandi, de-*

di, deniq; alio quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo auſi fuerint, præter pœnas & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV contentas, quibus illos ſubjicere volumus & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publicè legendi ſive docendi, interpretandi facultate, ac voce activa & paſſiva, in quibuscunq; electionibus eo ipſo absq; alia declaratione, à quibus pœnis, non niſi à nobis ipſis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, abſolvi aut ſuper iis diſpenſari poſſint : & quæ ſequuntur. Sic ſcilicet comparata eſt, non credendi quod B. V. immaculatè ſit concepta, laudata permiſſio. Euge verò bellam, in non credentes negantesve immaculatam conceptionem condeſcendentis Pontificis indulgentiam & liberalitatem, quam nemo ſobrius ibi conſtituto mercetur precio. Dabimus aliud minus exoſum exemplum, de quo nulla nobis cum Adverſariis intercedit controverſia. Græcæ Religionis Chriſtiani, contradicentibus omnibus aliis ſtatuunt, S. Spiritum à ſolo Patre procedere. Quamvis verò illi errent, non tamen crediderim Pontificios, qui aliàs ſatis temerè ad hæreſin immerentibus tribuendam proſiliunt, univerſam Eccleſiam Orientalem Hæreſeos eâ propter damnaturos. Nec tamen magis illi quàm nosmet ipſi, permiſſuri ſunt, ut in Occidentali Eccleſia, Proceſſio S. Spiritus à ſolo Patre, credatur, aſſeratur aut propugnetur. Iſta igitur diſſenſus, citra Hæreſeos criminis accuſationem, tolerantia, nullam inducit licentiam aut libertatem Dogma erroneum credendi, probandi vel ſcripto vel voce aſſerendi. Ad eundem quoque modum Pontifex, quantumvis Immaculatæ

Exemplũ à proceſſione Sp. S. à ſolo Patre.

conceptioni contravenientem ſententiam tenentes, Hæreſeos impietatisve damnare prohibeat; iſta tamen prohibitio non largitur facultatem, negantem ſententiam impunè credendi, probandi, vel ſcripto vel voce aſſerendi: ſiquidem Alexandrina Conſtitutio, ſub tàm gravium comminatione pœnarum etiam hoc prohibet, ut non potuerit prohiberi gravius ſeveriusve: per illa quæ è Conſtitutionis §. IV modò ſunt adducta.

Colonienſium Th. cum Pontifice colliſio.

CXXXVII. Sed videamus, an illud quod Alexander Pontifex ſtatuit, cum eo quod Domini Colonienſes reſponderunt, ſubſiſtere & conciliari queat. Si verum eſt quod hi dicunt, *Poſſe aliquem nolle credere immaculatam conceptionem, ſine diſpendio ſalutis*, referenda conceptio illa fuerit inter adiaphora Dogmata. Quod ſi verò, Immaculatæ Conceptionis dogma, ἀδιαφόρων numero, per eâ quæ Alexandrina Conſtitutio ſancit, eximi demonſtravero, eadem operâ Colonienſes Dominos Theologos colliſionis cum Pontifice, convicero, eò quod aliter illi ſentiant, quàm Conſtitutionis verba patiuntur & permittunt.

Nullum dogma ad credenda indifferẽter ſe habere.

CXXXIIX. In anteceſſum autem in memoriam revocandum eſt aliquid quod nemo ignorat: nempè nullum non Chriſtianæ Religionis ad credenda pertinens dogma, vel indifferenter vel non indifferenter ad credenda ſe habere. Priora indifferentia, non tanto ſtringuntur rigore, ut ſine ſalutis jacturâ ignorari nequeant, adeò ut non credens damnationem neceſſariò & inevitabiliter incurrat.

Juxta fidem emergentes annatæ quæſt.

Referri talia poſſunt inter annatas juxta fidem emergentes quæſtiones, credendorum appendices. Poſteriora non indifferenter in ordine ad credenda ſeſe habentia, fidei fundamentum attinent, cum credendí conjuncta neceſſitate, ignorari non debent, credendorum numero eximi non poſſunt,

poſſunt, ſed incumbit illa credendi neceſſitas. Atque talia *fidem conſtituentia* dicuntur. *Fidem cõſtituẽtia.*

CXXXIX. Inter hæc & illa non dantur medii ordinis Dogmata: ſiquidem contradictionem implicat, unum idemque Dogma, cum neceſſitate credendi eſſe conjunctum, & cum tali neceſſitate non eſſe conjunctum. Quapropter omnia quotquot ſunt Chriſtianæ fidei & Religionis Dogmata ad alterutram horum claſſem ſunt reducenda.

CXL. Juxta Colonienſium Dnn. Theologorum Reſponſum, illud de quo ſuſcepta eſt diſquiſitio Dogma, ad indifferenter ſe habentia, non neceſſariò credenda, fuerit reducendum. Juxta Alexandrinam Conſtitutionem, ad neceſſariò credenda, non in differenter ſe habentia reducendum eſſe, ita probatur. Dogma, cujus credendi neceſſitas, ſub graviſſimarũ ſublimioris gradus pœnarum comminatione imperatur, illud non poteſt eſſe indifferens Dogma. De immaculata B. V. conceptione Dogmatis credendi neceſſitas, ſub graviſſimarum ſublimioris gradus pœnarum comminatione, per Papalem Conſtitutionem imperatur. Ergò de Immaculata B. V. conceptione dogma, non eſt indifferens dogma. Si non eſt indifferens, cum credendi neceſſitate conjunctum eſſe oportet: ſi hoc, falſum eſſe oportet quod Dn. Colonienſes ad primæ quæſtionis partem primam dederunt Reſponſum, nempè *Poſſe quem nolle credere Immac. conceptionem ſine diſpendio ſalutis*. Fundant tamen illi ſuæ ſententiæ veritatem, quod ſcilicet dogma quæſtionis, credendorum numero eximatur, in unâ & ſolâ Pontificis declaratione, quod *Contrariam opinionem tenentes, Hæreſis aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes*, graviſſimas intentet pœnas. Verùm Dogmatis tàm ſublimi loco poſiti, quo hoc ipſum poſuit Alexander, naturæ repugnat, quod ſic canoniſato Dogmati *Colon. Th. Reſp. Pontifici repugnat.*

contra-

contradictoriè oppoſitum Dogma, *tenentes*, *hæreſis crimen non incurrant*, aut procul ab omni *impietate* ſint remoti. Etenim quodcunque Dogma, adiaphororum numero eximitur, eo ipſo quod eximitur, inter dogmata creditu neceſſaria refertur: ſiquidem omne Dogma non adiaphorum ſeu non indifferens, cum credendi neceſſitate eſt conjunctum. Sed Dogma de Immaculatâ B.V. conceptione Alexander VII adiaphororum numero exemit, eò quod *quoquo modo directè vel indirectè, aut quocunq; prætextu*, &c. ſub graviſſimarum pœnarum comminatione parataque executione, deſciſſere aut adverſus illud mutire prohibet. Ergo Dogma de immaculatâ B. V. conceptione, Alexander VII inter Dogmata creditu neceſſaria redegit. Porrò: Quicunque adverſus creditu neceſſarium Dogma nituntur, eique fidem perhibere detractant, Hæreſeos crimen incurrunt, & mortaliter peccant. Atqui illi omnes, qui immaculatæ conceptionis dogmati repugnant, eique fidem perhibere detrectant, adverſus aliquod creditu neceſſarium Dogma nituntur. Ergo omnes *illi*, qui adverſus immaculatæ conceptionis Dogma nituntur eique fidem prohibere detrectant, Hæreſeos crimen incurrunt, & mortaliter peccant. Atque ſic per legitimas conſequentias, ex ipsâ Pontificiâ Conſtitutione deducitur & demonſtratur, aliter ſtatuiſſe Pontificem conſtituentem, & aliter ſtatuere conſultos per me Theologos. Non enim movetur quæſtio de eo, an Immaculatæ conceptionis Dogma ſit creditu neceſſarium Dogma, (tale enim cum Conſultoribus meis & ipſe eſſe nego) ſed de eo quæritur, an per Alexandrinam Conſtitutionem & Breve, in creditu neceſſariorum dogmatum numerum ſit redactum? Reſponſum igitur non improbo, potiùs cum Reſpondentibus

facio

facio, horumque ſententiam omninò, iſta quidem in parte, probo. Quod autem non tàm veri amore, quàm Pontificis in ſequiorem partem ruentis præcipitatiam obumbrandi & tegendi ſtudio fecerunt quod fecerunt, non magis, qnàm temerarios ipſius Alexandri, adiaphoris credendi neceſſitatem imponentes auſus, probo. Nimirum ut ſunt temerarii, ita quoque intolerabiles, quos ilias malorum & omnis illa ataxia, cujus turpitudo ſuperius Num. CXXXIII, eſt detecta, comitatur.

De illis qui vel pertinaciam opponunt vel dubia conſcientia agunt.

CXLI. Cæterùm quid ſibi vult τὸ NOLLE: quod videlicet ajunt: *Poſſe quem NOLLE credere immaculatam conceptionem, ſine ſalutis diſpendio.* Qui *non vult credere*, is vel pertinaciam opponit, vel dubiâ facit, quod facit, conſcientiâ. Si prius, quia in alterutram oppoſitorum partem, negantem ſcilicet, deſcendit, negationi perfractè & pertinaciter inhæret, conſcientiæ vim facit, atque id circo peccat. Quiſquis verò pertinaciam opponit, apud talem S. Spiritus non operatur, ſed ſic pertinaciter reſiſtentem deſerit, gratiam ſubtrahit, eaque dignari non vult. Irreſiſtibilem autem non largitur, nec ad largiendum eſt obligatus. Vel ille, qui *non vult* credere, de veritate Dogmatis dubitat: eò verò quod *non volendo* illud quod ad credendum proponitur, credere, omittit aliquid de quo, an omitti debeat certus non eſt, atque ideò dubia conſcientia in oppoſitam prolapſus partem, non minus peccat quàm eſſet peccaturus, ſi pertinaciter reſiſtere non deſierit. Haud poteſt itaq; cuiquam indulgeri, ut NOLIT credere: quia τὸ NOLLE credere, cum electione ejus, quod non vult credere, oppoſiti eſt conjunctum.

CXLII. Inſerenda hic mihi nonnulla ſunt, de Dubiâ & erroneâ conſcientâ, non quidem quod iſta Dun. Colonienſes

nienſes Theologos, (quorum peritiam Theologicam æſtimare quàm in diſcrimen vocare aut ſugillare malo) ignorare ſuſpicer, ſed in gratiam Studioſæ juventutis noſtræ, ad cujus factura ſunt ædificationem.

De Dubiâ Conſcientiâ. CXLIII. Quantò quiſque Dogmatis falſitatem magis habet perſpectam, nihilo tamen minus tanquam verum reluctante conſcientiâ probat, tantò majori ſalutis periculo (quantumvis illud non ſit de neceſſitate credendi, nec ab illo Deus ſalutem ſuſpenſam voluerit) ſeſe exponit. Quod ſi verò de ejus veritate hæſitaverit, atque de eadem dubitaverit, in alterutram partem deſcendere non debet; quia dubiâ conſcientiâ eligens aliquid quod nondũ remoto dubio, eligendum non erat, faciens quod faciendum non erat, peccat. Quàm diu enim intellectus, cujus officium eſt judicare, de Dogmate (exempli gratiâ, Immaculatæ conceptionis B. V. ut ad præſens negotium fiat applicatio) utrum verum illud ſit & orthodoxum, falſumve & heterodoxum, ambigit dubiusque pendet, tàm diu nec ei aſſentiri, nec ab eodem diſſentire, aut ei NOLLE credere debet; ſtatuendum potiùs ſe nihil certi de iſtoc dogmate ſcire, nec decernere poſſe, quid ſit faciendum, utrum in affirmantem negantemve partem eundum. Porrò verò, ille qui ad iſtum modum dubiâ conſcientiâ agit, dogmati, de quo ſermo, vel adſtipulatur, vel illud ceu erroneum damnat, longius progreditur, quàm certus eſt ſibi licere, atque ideò peccat: & quia ſe periculo peccandi exponit, & quia peccatum non averſatur: Qui enim agit quod benè an perperam fiat ignorat, æquè in malum ac bonum propendet, & num rectè vel pravè operetur, num Deum ſic vel aliter agendo offendat nec ne, perinde æſtimat. Tale verò Divinæ offenſæ vilipendium, à peccato non eſt immune.

CXLIV. Di-

CXLIV. Diſcrepat quidem *dubia* conſcientia ab *Erronea*; convenit tamen utraque in eo, quod ſicut ille qui contra erroneæ conſcientiæ dictamen agit peccat, ita quoque peccet qui cum conſcientia dubia egerit. In dubiis autem, actionibus præſertim ex ſe indifferentibus, non eſt corripiendus ad exſequendum gradus, ſed lentè potiùs feſtinandum; & quod in præſenti determinare non licet, longius in futurum differendum. *Dilatio* autem, cum *omiſſione* ejus quod faciendum erat, quum ſit conjuncta, poteſt circa ipſam quoque *omiſſionem* dubitatio emergere, an ne æquè graviter omittendo quàm committendo, & faciendo aliquid quod ſine peccato fieri nequit, peccetur? ſive quod eodē recidit; utrum procraſtinator, qui operis alicujus v.gr. *Feſti* celebrationem differendo, omittit, non minus peccet, quàm ille qui accelerando ſuſcipit & exſequitur? Ad dubium illud eximendum, opus eſt ſollicitâ ipſius operis, circa cujus executionem nata eſt dubitatio, conſideratione; natura ejus, qualitas & conditio, cum omnibus ſuis circumſtantiis accuratè eſt expendenda. Sunt enim actionum humanarum aliquæ ſic qualificatæ, ejusque naturæ & conditionis, ut non patiantur moram, & ſine peccato differri nequeant. In tali caſu homo in peccati neceſſitatem arctatur. Si enim nondum exemta dubitatione, ſive in hanc, ſive in illam deſcendat partem, peccaverit. Res ad certam applicata theſin, magis futura eſt perſpicua.

Dubia & Erronea Conſcientia in quantum differant conveniantve.

CXLV. Faciamus aliquem Bellarmini auditorem, per magiſtrum ſuum edoctum eſſe, quod immaculata B. Virginis conceptio, *nullo expreſſo Dei Verbo posſit probari.* Ex inde verò ſubortum ei eſſe dubium, an celebratio Feſti in honorem rei incertæ, quæ expreſſo Dei Verbo nec probata ſit, nec probari poſſit, Deo placeat? Ex iſtâ verò

dubitatione, alia naſcatur dubitatio: nempè, an celebrationi ſe ſuducens, eamque omittens, æquè peccet quàm alius, qui eam ſuâ juvat ope, atque ad celebrandum una cum aliis accurrit? Sic angente conſcientia, in peccandi adigitur neceſſitatem, ſed non niſi ex dubia hypotheſi. Dubitatio igitur fuerit eximenda; quæ ut eximatur, poſſibilis impendenda opera. Ad eximendum autem dubium fecerit, ſi diſpexerit, an Feſti natura, conditio & circumſtantiæ ſic ſint comparatæ, ut ejus celebratio ſuſpendi aut differi ſine peccato nequeat. Si itaque vel proprio aſſequatur ingenii acumine, vel à doctioribus ſit edoctus, quod Feſti celebratio à Chriſti usque & Apoſtolorum temporibus per complura ſecula, usque ad ejus inaugurationem absque peccato omiſſa & dilata, ulteriorem patiatur dilationem, exemtum fuerit dubium de conjuncto cum dilatione peccato, & tunc ſic conſulti & edocti dubia conſcientia, mutabitur in certam, vel minimùm in *probabiliorem.*

De dubia & probabili Conſcientia.

CXLVI. Quali qui regitur, ſi (adhibitis obviis ad veritatem inquirendam idoneis mediis) omni adfectatæ & culpabilis ignorantiæ culpâ vacat, atque probabiliorem certioremque ſcientiam, indipiſci & habere nequit, non peccat. Non peccaverit itaque, quisquis Feſti in conſcientiæ foro non legitimati, celebrationem diſtulerit, ſuſpenderit eique ſe ſubduxerit. Etenim Feſti *iſtius* naturam, conditionem, ejus natales aliasque concurrentes circumſtantias intuitus, deprehendet eſſe illud in honorem rei incertæ inſtitutum: quia fatente Bellarmino, *Non ſit expectandum, ut expreſſum Dei Verbum* illud celebrantes *adferant aut certam aliquam Eccleſiæ definitionem* rei ipſius, in cujus honorem & memoriam Feſtum ſit inſtitutum. In natales ejus ſi inquiſiverit, deprehenſurus

eſt,

eſt, eſſe illud *Novum: Eccleſiæ definitionem*, per Alexandrum VII factam, eſſe *Novam*, & talem, quæ ab eruditioribus Pontificiis Doctoribus (inter quos Bellarminus non immeritò referendus) non ſit *expectanda*: Deprehenſurus eſt, à Chriſti ejusque Apoſtolorum ætate, usque ad Feſti inaugurationem, ſine peccato eſſe intermiſſum. Iſtis ita ſicuti diximus probè expenſis, *Dubia conſcientia*, quæ prius dubitantem anguſtaverat, mutabitur vel in *Certam*, vel in *Probabiliorem*. Etenim probabilius eſt, aliquid per complura ſecula citra peccatum dilatum & intermiſſum, adhuc porrò citra peccatum differri & intermitti potius quàm obiri & peragi poſſe.

CXLVII. Porrò accurata dubiorum conſideratio, diſtinctionem ſuggerit inter dubium proximè & remotè practicum. Prius, *Proximè practicum*, præſentia reſpicit: quando nimirum dubitatur, num hîc & nunc liceat. Poſterius, *Remote practicum* dicitur etiam *theoreticè practicum*. Atque hoc iterum vel *Juris* vel *Rei* eſt dubium. *Dubium Juris* dicitur quando in conceptu univerſali in genere dubitatur, an licitum ſit; ex. gr. uſuram accipere, militare vel vim vi repellere. *Dubium Rei* dicitur, quando de actionis rectitudine, neque in genere neque in ſpecie dubitatur, ſed licita eſſe quidem creditur, intercedens autem aliqua circumſtantia, dubitationis ſcrupulum incutit. De quo Dubio Rei, mox plenius. Cum *Dubio Juris*, non poteſt non conjunctum eſſe dubium proximè practicum, de exercitio actionis ſingularis. Qui enim in univerſum de actionis rectitudine, an planè & ſimpliciter ſit licita dubitat, ille non poteſt non dubitare an hic & nunc liceat. Aſt non vice verſâ: qui enim dubio proximè practico laborat, an hic & nunc liceat, poteſt non dubitare quod alio liceat

Dubium proximè practicū.

Remotè & theoreticè practicum.

Dubium Juris.

tempore aut loco. Sic Maccabæi dubitantes an die Sabbati vim vi repellere eſſet licitum, alio tempore licere, non dubitabant.

Dubium Rei. CXLIIX. Venio ad *Dubium Rei.* Tale eſt, quando de actione ſive generatim ſive ſpecialiter ſumtâ, non dubitatur. Sic, quamvis nullum ſit dubium quod liceat belligerare, atque illatam vim, quovis loco & tempore vi repellere; poteſt tamen circumſtantia intercedere, quæ de re extra dubium aliàs poſita, ſcrupulum incutiat: Nempè poteſt de belli quod geritur juſtitiâ dubitatio ſuboriri. Non obſtante tamen ſuborto de belli juſtitiâ injuſtitiave dubio, ſubditus qui militare ſibi eſſe licitum intellexerit, ſub univerſali conceptu rei licitæ, de ſpeciali actione ſubſumere & concludere poteſt, quod hîc & nunc ſibi liceat. Poteſt, inquam, ſubſtrata hypotheſi, quod Regi aut Principi militiam imperanti, ſubditus ad obſequendum ſit obligatus, ſtatuere, quod hîc & nunc ſibi ſit militandum, ſiquidem deliberatio verſetur circa rem non illicitam. Emergens interim de juſtitia belli dubitatio, avocare aut retrahere à militandi propoſito haud poterit; quia in juſtitiam belli inquirere, cauſæve merita examinare, non eſt cujusvis ſubditi militisve gregarii muneris. Relicturus potius eſt belli juſtificationem, digniori loco poſitis, ipſi cum primis Regi. In hujus videlicet caput, omnis, ſi quæ ſubſit injuſtitia devolvetur. Sicut enim ſubditus neceſſitate parendi conſtringitur, ita Rex militiam imperans, conſtringitur neceſſiate, juſto Judici in ſupremo ſeculi die, de juſtitiâ belli fuſoque humano ſanguine reddendi rationem.

Applicatio. CXLIX. Faciamus nunc ad præſens negotium atque incruentum inter Franciſcanos Dominicanosque decertatum certamen, applicationem. Sit Romanus Pontifex

inſtar Regis,cujus mandatis & decretis,omnibus regni Pontificii ſubditis, ſic ſit parendum, ſicuti Regi militiam imperanti eſt prendum. Juſſerit ille Feſtum Immaculatæ conceptionis celebrari. Parendum fuerit omnibus, Pontificem eo loco ponentes quo ponuntur ſummæ Majeſtates. Quisquis in tantam ſublimitatem evectum Pontificem adoraverit, ille ſub univerſali conceptu rei licitæ, eſt pariturus atque Pontifici obſequuturus. Quantumvis verò de Feſti convenientiâ vel inconvenientiâ emergat dubitatio, à celebrandi propoſito avocare aut retrahere tamen non debet, ſubortum dubium: quia gregarii monachi, vel laici, quamvis digniori loco poſiti, muneris non eſt, in novæ feſtivitatis convenientiam inquirere, aut rationes, ad tale Feſtum inaugurandum ſuadentes cogentesve, examinare. Potius iſtorum omnium juſtificationem, illi eſt relicturus, qui ad reddendum villicationis ſuæ rationem, coram ſupremo Chriſti tribunali, cum omni ſuo Clero, erit ſiſtendus.

CL. Sed imperium ſibi arrogat Jupiter Romanus, non tantùm in ſibi ſubjectorum actiones, verùm etiam in *Fidem*, ipſam, pro arbitrio dirigendam, an potiùs in ſervitutem redigendam; in *conſcientias*, pro ut viſum fuerit, gravandas, angendas, excruciandasque. Uſurpati iſtius imperii documentum dedit, Alexander VII Pontifex, quando ante duos ſupra triginta circiter annos, de perhibendâ Immaculatæ Virginis Deiparæ conceptione fide, Conſtitutionem & Decretum promulgavit. Dicturi fortè ſunt; non gravari iſtoc Decreto, conſcientias, nec fidei vim fieri, ſiquidem utrique conſultum ſit itum iſta hypotheſi: *Quod Pontifici quidvis imperanti, non obſtante dubitatione de juſtitiâ aut veritate cauſæ, ſit parendum, ſiquidem nemini, cujuscunque ille ſit ſtatus, gradus, ordinis aut dignitatis, vel Eccleſiaſti-*

cleſiaſticæ vel ſecularis, in juſtitiam veritatemve iſtam inquirere, illorumve ſuſcipere examen, ſit integrum. Allegaturi pro iſtâ ſuâ ſententiâ ſunt, quod allegare conſueverunt illi, qui argumento ad hominem, ex adverſæ partis conceſſis deducunt & probant quod probandum erat. Nempè, ſi vera ſunt, quæ de Rege militiam imperante, & de ſubdito, ſub univerſali conceptu rei licitæ, non obſtante de juſtitiâ belli dubio, in militiam conſentiente, & de facto militante, paulo prius ſunt dicta, prætenſuri ſunt; vera etiam eſſe oportere iſta, quæ ad eundem modum, eadem veriſimilitudine, eodemque jure, de Papâ Romano dicuntur, quippe cui tantundem in Eccleſiæ ſuæ membra competat juris & poteſtatis, quantum Regi in ſubditos competere poſſit.

CLI. Non diſputabo nunc de uſurpata Pontificis in quoscunque, etiam in ſummarum Majeſtatum perſonas harum Regna & regiones poteſtate, hoc ſaltem diſſimulare nequeo, aliam rerum quæ civilia, in humano commercio poſita poteſtatique humanæ ſubſtrata negotia attinent, iterum aliam credendorum habendam rationem. Diverſitatis ratio ſatis eſt conſpicua, ſita in eo, quod credendorum notitia, ſicut non ab indicio hominis; ſed à Dei & manifeſtantis & certam divinamque fidem operantis, revelatione pendet, ita quoque nullius hominis ſubeſt poteſtati aut imperio: quod ſicut nulla humana potentia efficere poteſt, ut quod revelatum eſt nunquam, tamen ſit revelatum; ita nec imperare poteſt, ut aliquid quod revelatum non eſt, Divinæ revelationis inſtar habeatur, atque inter credenda referatur. Si quis facere præſumſerit, *Credendorum Regulam* novo Dogmate adauctam inſufficientiæ arguiſſe videbitur. Quæ verò Credendorum Regula ab antiquo fuit ſufficiens, illam vel etiamnum ſufficientem

eſſe, vel priſcos puriorum ſeculorum Chriſtianos, aliquo credendorum articulo caruiſſe, atque ſufficiente credendorum regula deſtitutos fuiſſe oportet. Immaculata igitur B. Virginis conceptio quia, admittentibus ipſis Pontificiis, *nullo expreſſo Dei Verbo poteſt probari*, & ideò revelata non eſt, nulla Pontificis definitione effici poteſt, ut conceptio iſta, quæ per Verbum Dei revelata non eſt, tamen ſit revelata: minùs multò idem ille imperare poteſt, ut conceptioni illi fidem perhibeamus talem, qualem Divinitus per Dei Verbum revelata Chriſtianæ fidei & Religionis dogmata exigunt, i. e. certam, immotam & planè Divinam, quam nulla ſubeat dubitatio. Credendorum autem notitia, quum è duplici primario nempè & ſecundario, priori ſubordinato cognoſcendi principio hauſta emergat; credendum illud quod in quæſtione verſatur, aut eſt ex utroque Principio cognoſcibile, & cognitum tàm diu fuit, quamdiu principia illa cognoſcendi principii locum inter Chriſtianos obtinuerunt; aut utrumque principium, ad cognoſcendum credenda, inſufficiens eſſe oportet. Sed prioris, Scripturæ Sacræ, ſufficientiam, agnovit ipſe *Bellarminus*, quippè qui Lib. IV, de Verbo Dei Cap. XI faſſus, quod *illa omnia ſcripta ſint ab Apoſtolis, quæ ſunt omnibus neceſſaria; & quæ ipſi palàm omnibus vulgo prædicaverint*, nempè *ea, quæ illis* NECESSARIA *vel* UTILIA *fuerint*. De Beatæ Virginis immaculatâ conceptione Dogma igitur, quia nec *ſcriptum eſt ab Apoſtolis*, nec *palàm omnibus vulgo prædicatum*, cognitu credituque ne *utile* quidem, ne dum *neceſſarium* eſſe oportet. Addo *Gregorii XIII* teſtimonium, Bellarmini ſuffragio tantò majus, quantò major Papa ipſe eſt Cardinale. Ille Epiſtolâ Philippo II Hiſpaniæ Regi inſcriptâ; atque

Regulæ credendorum ſufficientia.

Duplex credendorum cognoſcendi Principium.

S. Script. ſufficientia agnita.

Bibliis Regiis præmiſsâ, de Scripturæ ſufficientiâ ita ſcripſit: *His libris omnia noſtræ* (Chriſtianæ) *religionis & divinitatis myſteria explicantur.* Aut igitur immaculatæ conceptionis dogma myſteriumve, libris illis explicabitur, aut non erit *Chriſtianæ religionis & divinitatis myſterium,* ſive fidei dogma; ſiquidem fidei dogmatum, divinitatisque myſteriorum par eſt ratio, niſi quod neceſſitatis gradu differunt. Sed immaculatæ conceptionis dogma libris illis non explicatur. Ergo immaculatæ conceptionis dogma, non eſt Chriſtianæ fidei dogma. Si non eſt, qui Alexander VII, intempeſtivâ ſuâ definitione efficere potuit, ut immaculata conceptio eſſet, quod non eſt?

Principio cognoſc. ſecund. nō probantur alia quàm in Scrip. fūdata dogmata.

CLII. Alterum ſecundarium primario ſubordinatum cognoſcendi principium, primævæ puriorum meliorumque ſeculorum Eccleſiæ univerſalem & unanimem conſenſum eſſe, non quidem negamus; illud ſaltem negamus, quod per principum ſecundarium cognoſcantur & innoteſcant Dogmata quæ in primario non ſint expreſſa, vel per legitimam conſequentiam inde non deducantur. Immaculatæ igitur conceptionis dogma, ſi agnoſcentibus ipſis Pontificiis, in primario principio non eſt expreſſum, nec per legitimam conſequentiam inde deducitur, fruſtra illud in ſecundario quæſiverint principio. Hujus ſcilicet naturæ repugnat, per hoc aliquid ad credenda pertinens manifeſtari, quod non manifeſtet Scriptura. Hæc enim eſt *Lucerna pedibus noſtris* Pſalmo 119, eſt *Lumen ſplendens in obſcuro* II. Pet. I, quod nullo indiget ſecundario lumine, quo accenſo, primarii luminis umbra obumbratum dogma illuceſcat.

CLIII. Nihilo tamen minus Pontificii multos antiquos probatosq; Patres, in ſententiæ iſtius conſortium, iſtis

quamvis

quamvis invitis & reluctantibus, trahunt rapiuntque. In caſſum autem è conſarcinatis tantorum virorum, malè detortis & peius ad B. Mariam detortis effatis, aliquem Eccleſiæ conſenſum exterebrare allaborant. Sed mirari ſubit perſpicaciores hodie cum Franciſcanis eſſe Jeſuitas, quàm olim fuerunt Scholaſticorum primarii. Si enim conſenſus iſte in Patrum ſcriptis fuiſſet conſpicuus, cœci fuiſſent Scholaſtici DD. qui anxiè conſenſum iſtum inveſtigantes, in Patrum ſibi familiarium ſcriptis, eum non inveniſſent. Non inveniſſe *Nicolaum de Orbellis*, inde liquet, quod de diſſenſu certior quàm de conſenſu, in tertii ſentent. Diſtinctionem III Quæſt. I ſcripſit, *Fuiſſe antiquiorum Doctorum communiorem opinionem, QUOD SIT* i. e. quod concepta ſit in Originali Peccato. Et *Melchior Canus* Lib. I, diſertè de *Omnibus Sanctis, qui in ejus mentionem inciderint,* affirmat, quod *uno ore aſſerant, B. Virginem in Peccato Originali conceptam.* Et iterum lib. VII. Cap. III, ubi negaſſet è Scripturis dogma illud conſtare, addit, *nec verò, dici poteſt per traditionem Apoſtolicam id in Eccleſiam deſcendiſſe, quum hujusmodi traditiones, non per alios quàm per Epiſcopos & ſanctos autores. Apoſtolis ſuccedentes, ad nos usq; pervenerint. At conſtat priſcos illos Scriptores non id à Majoribus accepiſſe.* Aſſocio hiſce duobus tertium, ut in ore trium domeſticorum teſtium, illa ſubſiſtat veritas. *Johannes de Turrecrematâ,* de Conſecrat. Diſtinctione IV ad Canonem *firmiſſime* Quæſt. III, ubi è Bonaventurâ adduxiſſet hunc dicendi modum eſſe communiorem, addit; *Planè verum dicit hîc clariſſimus Doctor, quod hæc communior ſit inter DD. qui clariſſimi in Theologiâ floruerunt, quod apertiſſimum erit, ſi quis voluerit excellentiorum Doctorum, tàm ſcribentium ſuper Sententias quàm exponentium S. Scripturam,*

Conſenſu Eccſiæ deſtitutum Immac. concept. dogma.

dicta perquirere, reperiet quaſi omnes hoc tenere, nempè quod in peccato ſit concepta B. Virgo.

E neutro principio probabilis. Im. conceptio.

CLIV. Iſte itaque Articulus de quo ſuſcepta eſt hæc diſquiſitio, quum fatentibus ipſis DD. Pontificiis, ex neutro, Articulos fidei cognoſcendi Principio, probari poſſit; Articulum iſtum, aut non eſſe oportet ad credenda pertinentem Articulum, aut affirmantibus quod ſit, admittendum, utrumque Principium non eſſe ad cognoſcendum credenda, ſufficiens Principium. An verò inſufficientiam ſupplere poſſit aut debeat Pontifex, ſub judice lis eſt, nec conceſſæ iſtius poteſtatis tabulas produxit Alexander VII nec producturus eſt unquam. Unde verò ille indeptus eſt poteſtatem, etiam extra Concilium definiendi aliquid, quod ante ipſum in nullo definitum eſt Concilio, ſemper potiùs habitum pro tali quod haut ſit definiendum? *Innocentius III*, magni nominis Papa, Regi Francorum ſcripſit. *Verum, ſi ſuper hoc absq; generalis deliberatione Concilii, determinare aliquid conaremus, præter Divinam offenſam & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan & ordinis & officii nobis periculum immineret; cùm contra promiſſam veritatis ſententiam, noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.* Quid, ſi mutuatis ab Innocentio III verbis, Alexander in iſtum compelletur modum? Papa Alexander, qui *ſuper hoc*, an B. Virgo immaculatè ſit concepta? *absq; generalis deliberatione Concilii, determinare aliquid es conatus, præter Divinam offenſam & mundandam infamiam, quam incurriſti, & ordinis & officii periculo* Te expoſuiſti: *cùm contra promiſſam veritatis ſententiam, Tua non posſit auctoritas diſpenſare.* Ignoſcet igitur bonus Alexander quod nos, qui Papas homines eſſe & falli poſſe ſcimus, definienti fidem perhibere non poſſumus prius, quàm proba-

Pontif. extra Cōcilium Definit.

verit,

verit, à ſeſe definitum thema, & in S. Scripturâ & antiquitate eſſe fundatum, idoneisque inde deductis argumentis illud evicerit.

CLV. Sed Romanus Pontifex. de omnium in ejus ſervitutem redactorum, conſenſu ſecurus, reliquorum de Romanæ Eccleſiæ communione pulſorum conſenſum, non eſt requiſiturus, eorundem diſſenſum ne flocci quidem facturus. Miſſis igitur in libertatem datis, quo ſint ſervitutem ſervientes ſervilem loco, videamus. Hos inter ſunt quàm plurimi qui Alexandrum VII, in ſequiorem, apertè falſam partem præpoſterâ ſuâ definitione iviſſe, tàm certò ſciunt, quàm ſuos norunt digitos. Si enim & majorum, & propriâ induſtriâ, adhibita ſummo veritatem inveſtigandi ſtudio, exploratæ doctrinæ, altas agunt radices, in Dominicanorum pectore egiſſe oportet altiſſimas. Intercedens autem illimitata Pontificia auctoritate munitum edictum quamvis acre contradicendi ſtudium fregerit, internum tamen conſcientiæ de veritatis certitudine teſtificantis robur, frangere non potuit. In fidei enim negotio, quamvis contradictiones atque agitatæ non ſine infirmorum ſcandalo contentiones, inhibeantur, conſenſus tamen & approbatio, alicujus, quamvis non veræ ſed apparentis ſaltem heterodoxiæ, adverſus conſcientiæ dictamen imperari non poteſt. Sed utrumque fecit Alexander Romanus Pontifex. Aſt, quid feciſſe dico Alexandrum, qui nihil fecit amplius, quàm ante ipſum fecerunt ejus *præceſſores Sixtus IV, Paulus V. & Gregorius XV.* Horum videlicet *Conſtitutiones & Decreta*, ut habent diſſerta Diplomatis verba, INNOVAVIT. Qui verò *innovat*, ille non *inſtaurat*, ſed *reſtaurat*. Sed quæ Alexandrum adegit neceſſitas, extra Concilium innovandi, quod jam dudum ante ipſum, inno- *Illimitata Pontificis auctoritas.*

Alex. VII Conſtitut. plus eſt quàm innovatio.

verat Concilium Tridentinum? Præſefert quidem Diplomatis inſcriptio, *Innovationem Conſtitutionum & Decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis, in ſui creatione & in corpus infuſione à peccato Originali præſervatam fuiſſe editorum.* At plus eſt Alexandrina iſta Conſtitutio quàm *innovatio*; plus illa habet in receſſu quàm nuda habet *innovatio*. Nempè permiſſam per nominatos Prædeceſſores, opinandi & in alterutram partem deſcendendi libertatem ſuſtulit Alexander. Uno verbo: Definivit Alexander VII, quod nec Sixtus IV, nec Paulus V, nec Gregorius XV, definire ſunt auſi. Hoccine verò eſt, *innovare* Prædeceſſorum Conſtitutiones & Decreta, an plus eſt quàm *innovatio?* Amplius certè eſſe, haud diffiteri potuerunt illi qui priorum Conſtitutionum effectum ſeu eventum contenderint, cum eventu illo, quem Alexandrinæ Conſtitutionis eventus excepit. Effecit videlicet ſuâ Definitione Alexander, ut quod prius per hujus & prædeceſſores, & per ipſum etiam Concilium Tridentinum liberum fuit, deinceps non eſſet liberum.

Catecheta Hildeſienſis.

CLVI. Memini quod, cum anno hujus ſeculi LXXVI Caſſelis Hildeſiam veniſſem, ibique in Dominica Quaſi modo geniti ſubſtitiſſem, Eccleſias urbis ex curioſitate viſitaverim. Ubi autem horis pomeridianis ad Jeſuiticæ Societatis templum veniſſem, Catechetam inveni, juventutem quæ ex ephebis nondum exceſſerat, de immaculatâ B. Virginis conceptione, ſic informantem: Fuiſſe olim quidem liberum vel in affirmantem vel negantem partem deſcendere; poſteaquam autem negantem damnaverit, affirmantem canonizaverit Eccleſia, credendum nunc eſſe quod crede jubeat Eccleſia, nec credi aliter, ſine peccati mortalis reatu poſſe. Ita ſcilicet ſub Eccleſiæ ſimulacro, occultandus eſt Papa: ita glaucoma teneros objiciendum ob oculos, ne

videant

videant iniquitatem. Illius igitur, quod per memoratos Pontifices, per ipſum Concilium Tridentinum, in medio & arbitrio relictum fuit, credendi, ſub mortalis peccati reatu, neceſſitas, per Alexandri VII *renovatam* Conſtitutionem, eſt impoſita. Hoccine verò eſt anteceſſorum non neceſſitantia Decreta *innovare*, an potius in priorum locum nova, ab illis diſcrepantia ſurrogare?

CLVII. Aut erraverit igitur Sixtus IV, Paulus V, & Gregorius XV, immò erraverit univerſum Concilium Tridentinum, aut Alexandrum VII erraſſe oportet. Etenim, modo dicti tres Pontifices, quin & ipſum univerſale ſacro-ſanctum (ut loqui amant in Papatu) Concilium Tridentinum cenſuerunt, quæſtionem iſtam, non eſſe definiendam, atq; ab hæreſi & errore in fide liberos fecerant eos qui alterutram illius partem ſuſtinerent. Quapropter erravit aut Alexander definiendo, quod ejus prædeceſſores atque ipſa Tridentina Synodus, definiri non debere judicaverant: aut errarunt illi, qui Eccleſiam tàm diu in ſuſpenſo reliquerunt, imò illud ipſum quod Alexander & definibilè eſſe & definiendum duxit, atque de facto definivit, definiri non debere cenſuerunt. Nunc autem, quid de contradictoriè ſic colliſorum, ut alteruetr eorum non potuerit non erraſſe infallibilitate futurum? Ecquid *innovat* priores Conſtitutiones, qui ſurrogat talem per quam priſtina fidei libertas, in credendi convertatur ſervitutem? Hoccine plus eſt quàm innovare priora? *Pontificiũ contradictio.*

CLIIX. Vides Benevole Lector, in quantas difficultates Alexander VII ſemet, omnemq; ſuam Eccleſiam, inconſultâ definitione ſuâ præcipitaverit. Vides in quantas conſcientias, illatâ illis vi, arctaverit anguſtias, quantam harum exercuerit carnificinam. Etenim per hujus, iratis Diis protruſam Conſtitutionem, eo res eſt redacta, ut illi, *Alex. VII in Eccleſiã & cõſcientias injurius.*

quibus

quibus *in virtute ſanctæ* (cœcæ) *obedientiæ*, præcipienti Pontifici eſt obtemperandum, aliquid quod apertè falſum eſſe norunt, ceu verum agnoſcere, pro vero, reluctante quamvis conſcientia, habere, atque inſuper quovis loco & tempore & quâcunque ferente occaſione approbare divinæque veritatis inſtar amplecti teneantur.

CLIX. Aſt omnem iſtam demonſtratam Definitionis iniquitatem & quicquid ex illâ emergit ſervitutis, magnis clamoribus ceu malè in veritatem dictum, exceptura eſt pars adverſa, quippè quæ nullam agnoſcit Alexandri Definitionem, inhibentem aliter quàm ille conſtituit ſentiendi libertatem, aut contradicendi tollentem licentiam. Provocaturi è veſtigio ſunt, ad ipſam Pontificis Conſtitutionem, per quam ille *Sixti IV, Pauli V & Gregorii XV Conſtitutiones & Decreta renovet*, atq; *ſub comminatione pœnarum iisdem Conſtitutionibus contentarum obſervari mandet*. Quum autem memoratæ Conſtitutiones, *opinandi libertatem* reliquerint, Alexandrum VII iſtas *renovantem* atque *obſervari mandanem*, non potuiſſe non reliquiſſe, inſtantiſſimè urſuri ſunt illi, qui in hoc unum, ut extortam ſibi opinandi *libertatem* vindicent atque recuperent, extremo nituntur conatu. Provocaturi porrò ſunt ad ipſius Alexandri Proteſtationem, de ejus *intentione* controverſiam *minimè decidendi*. Sed fucum vendit Pontifex, illud *obſervari mandans*, cui mandato tota Conſtitutio, quanta quanta illa eſt, contraria tradit. Eſt igitur omnis iſta proteſtatio & facto contraria, | & ſibi contrarius eſt Alexander VII, quando illorum quos diximus Pontificum Conſtitutiones *non tantùm renovat*, ſed de novo illas ſuſpenſas paxillo, appensâ, ab iſtis nunquam tentatâ, totius controverſiæ in partem ſequiorem deciſione amplificat, & illud ipſum quod in-

Proteſtatio facto cõtraria ſibiq; ipſi contrario Pontifex.

dulgente

dulgente & benignâ manu, conceſſit Sixtus IV, atque huic ſuccedentes Pontifices plures conceſſerunt, tantò horridiori rigore, atq; duriori ſeveritatis animadverſione, Alexander VII per integram Bullam prohibet, quantò magis in ſuorum partem inclinat Franciſcanorum. O quàm libenter, iſtam Pontificiæ Infallibilitatis, plus quàm duodecim digitorum ecclipſin, tectam occultatamque vellent illi, qui ſapiunt & intelligunt, quantum Alexander Eccleſiæ Romanæ ejusque Præſulum extremo conatu aſſertæ, per hunc verò proditæ Infallibilitati creaverit præjudicium. Agnoſcere nolentes, ſed confidenter dicam an temerè negantes, quod libertati relictam controverſiam, Alexander Papa VII, non deciderit aut definire non intenderit, ad ipſam Pontificiam Bullam

Cui frons turgida cornubus,

feritura omnes quotquot credere noluerint, quod credit Eccleſia i. e. Pontifex Romanus, manu prenſos duco, ductosque obteſtor, velint illi omnis iſtius Papalis machinæ, non ſuperficiem aut exteriorem ſaltem corticem intueri, ſed reconditis ejus rimatis receſſibus, profari; Sitne Dogma cujus obſervatio ſub graviſſimis, Eccleſiaſticas ferè omnes tranſcendentibus pœnis injungitur, & viciſſim, neglectus & negatio ſub non levioribus prohibetur, tale Dogma quod non ſic ſtrictè ſit definitum & determinatum, ut adhuc *opinandi* relicta ſit *libertas*? Dicant, quorſum integer V Alexandrinæ Conſtitutionis Paragraphus tendat, ſi non ad immaculatam B. V. conceptionem Canoniſandam tendit? Dicant, an oſtentata *opinandi libertas* relinquatur illis, quibus Dogma illud *quoquo modo, directè vel indirectè, aut quovis prætextu, etiam indefinibilitatis in diſputationem revocare*, ſub tremendis prohibetur pœnis?

Suſcepta per Alexandrum P. Definitionis demonſtratio.

Dicant, quâ *opinandi* i.e. diſſentiendi *libertate* gaudeant, aut quâ apparente ſaltem veriſimilitudine pro nondum definito Dogmate illud habere poſſint, de quo *quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tradere, diſputare* minaciter prohibetur: *contra quod quicquam determinare, vel argumenta contra illud afferre & inſoluta relinquere, aut alio quovis excogitabili modo diſſerere*, nemini mortalium fas ſit aut integrum? Hoc verò ſi non eſt definire, Definitione quidem tali, per quam ſententia Immaculatam B. V. conceptionem adſtruens, approbetur, ratificetur & ſaltem non canoniſetur, neſcio equidem quid pro definito, rato & approbato ſit habendum. Definitionem intellectam autem volo, non ſecundum Logicorum præcepta regulárem ſeu formalem, ſed talem, per quam Dogma in quæſtionem vocatum, habeatur pro tali, quod extra dubium ſit poſitum omniq; contradictionis diſcrimini exemptum. Certè habet illud pro ſic definito Hiſpaniarum Rex Catholicus; quippe qui in impetrata tandem Definitione, poſt tot anteceſſorum, Regum in caſſum euntes ſollicitationes, acquieſcit, nullas poſt hac eâ propter Romam deſtinaturus Legationes. Habent illud pro ſic definito, & non poſſunt non habere omnes, quorum oculos, conſtituentis & definientis Pontificis mentem intentionemque pervertendi & in contrarium torquendi ſtudium, non faſcinat.

CLX. Sed quàm primùm gravidam oculis glaucomam extremo deterſerint pollice, intuituri Dogma illud ſunt, ut infallibili Pontificia auctoritate ſic authentiſatum, ut nulla ulteriori indigeat Definione, ſiquidem Pontificis, *ſic volo ſic jubeo*, pro omni ſtat & ratione & definitione. Ecquis enim non pro ratificato, authentiſato & canoniſato, atq; ideò pro plus quàm definito habuerit ac receperit Dogma,

adverſus

adverſus quod nullus valeat *prætextus*, undecunque, ſi vel maximè ab ipſius *Sacræ Scripturæ interpretatione* & ſenſu accerſitus? Nempè & Divinitus revelato Verbo, & Sanctis Patribus inſultat idem qui antea Paragraphus V, quo definiente Pontificis ſententiâ, Immaculatæ conceptionis Dogma, ipſius *Sacræ Scripturæ atq; Sanctorum Patrum examini*, usque adeò ſubducitur & eximitur, ut neque hanc, neque illos *gloſſandi vel interpretandi* relinquatur facultas; per expreſſa Bullæ verba, quæ jam tùm plus vice ſimplici deſcripta, iterum exſcribere ſuperſedemus. Neque etiam juvare aut excuſare poteſt Pontificem, quod Proteſtatione Paragrapho VI inſertâ, animi ſententiam ſic declarat: qud Dogma illud *nunc minimè decidere velit aut intendat.* Eſt enim iterum Proteſtatio iſta manifeſtiſſimo facto contraria: per iſta quæ demonſtrata ſunt, & demonſtrabuntur amplius.

CLXI. Proh Deum atque hominum fidem! qualia ſunt ipſius Divini Verbi auctoritatem tranſcendentia Dogmata, ſunt ne fidei aut his potiora dogmata? Hactenus Fidei Articuli ſecundum Scripturam ſunt æſtimati. De Immaculatâ autem B. V. conceptione Articulus, ſecundum Scripturam non eſt æſtimandus, quia notanter diſertis verbis *Sacræ Scripturæ examini* eximitur. Plus igitur privilegii habere oportet quàm habet *S. Paulus*, cujus doctrinam ad S. Scripturam revocarunt *Berroenſes*, atque propter adhibitum illud ſtudium laudantur. Sed dicturi fortè ſunt, iniquum & impudens eſſe poſtulatum, ejus Dogmatis, de quo *ne unus quidem apex in Scriptura extat*, è Scripturâ tamen ductam flagitare probationem. Atque ita certè eſt: Franciſcani enim quamvis utriusque fœderis Scripturam perrepſerint & tamen *ne apicem quidem unum Scripturæ, cauſæ*

Immac. conceptio S. Script. examini eximitur.

ſuæ probandæ reperire quum potuerint, *ad miracula, & conſenſum multitudinis eo, confugiſſe* ſcripſit Paulus Venetus, cujus verba ſupra Num. CXII ſunt adducta. Veruntamen alii, qui de Articulis fidem attinentibns ſermocinantes, absque Scripturâ loqui erubeſcunt, *è typis & figuris*, difficiles conſequentias torquent quidem, aſt imbecilliores illas eſſe, quàm ut ad credendum, quod Deus unum caput communi omnium reliquorum hominum ſorti, exemtum voluerit, quenquam poſſint inducere, non procul ab initio, ſuſcepto argumentorum iſtorum examine demonſtravimus, ubi malè quadrantibus typis & figuris utentes, ſatis conſpicuæ imbecillitatis ſunt admoniti.

CLXII. Verùm enim verò, quod è Scripturâ *probari non poteſt* Dogma, & propter Papæ, Scripturæ examini illud eximentis, prohibitionem *probari non debet*, ejus quoque Definitio ab eadem Scripturâ non quidem eſt expectanda, neque tamen, non ideò, quod Scriptura non definierit, ſed potiùs eâ propter, quod *Romana Eccleſia & Sedes Apoſtolica non definierit*, pro indefinito Dogmate eſt habendum. *Apoſtolicæ* itaque *Sedi*, aliquam præ Scripturâ competere oportet prærogativam, quippè cujus ſit definire quod S. Scriptura nec definierit, nec, utpote ab eâ alienum & procul remotum, definire potuerit. Et, ſi vel maximè Sedem Apoſtolicam, controverſiam in alterutram partem non definiiſſe largiamur, aliquid tamen, quod non eſt Apoſtolicum, Alexander Sedem Apoſtolicam tenens, ad credendum propoſuerit. Immaculatam nempè conceptionem, quam non credere, & quam in diſputationem aut diſcrimen vocare, ſub graviſſimarum pœnarum comminatione prohibet. Quo itaque jure & quâ veriſimilitudine, *Sedes* Romana dicatur *Apoſtolica*, atque pro tali in

Alex. VII aliquid quod non eſt Apoſtolicum ad credendũ propoſuit.

Papa-

Papatu habeatur illa quæ tradit, docet, & ad credendum, intentatis intolerabilibus pœnis proponit & obtrudit, aliquid quod Apoſtoli non tradiderunt, cujus fidem ſub nullius neque æternæ neque temporalis pœnæ comminatione injunxerunt, judicent Pontificiorum primarii, quos vel Scripturam Sacram, vel ſanctos Patres adduxiſſe, tantum abeſt, ut neque per hos, neque per illam probari poſſe, fateantur. Judicet ipſe Bellarminus, qui non reperit in Scripturis, earum auctoritate niti vel defendi poſſe, quod B. Virgo immaculatè ſit concepta. Verba ejus Lib. IV, de amiſſione gratiæ Cap. XV, §. *Quod attinet* &c. ita habent. *Non eſt expectandum, ut expreſſum Dei Verbum afferamus, aut certam aliquam Eccleſiæ definitionem*, per quam videlicet *probemus* B. Virginem ſingulari Dei privilegio à peccato Orinali eſſe præſervatam, atque vel ab hoc vel actualibus immunem præſtitam peccatis.

Incompetens Sedi Romanæ Apoſtolicæ Sedis denominatio.

CLXIII. Alterum, priori ſubordinatum, ex iſto deductum Dogmata Theologica cognoſcendi Principium, eſt univerſalis primitivæ puriorum Seculorum Eccleſiæ conſenſus. Ille ex parte, juxta Oecumenicorum Conciliorum traditionem, ſive è ſuperſtitibus SS. Patrum ſcriptis, innoteſcit. Sed ne hi quidem, juxta Pontificalis Brevis dictatus, ſunt audiendi: ſiquidem ſecundum illud, *neq; Sacram Scripturam neq; Patres ſive Doctores gloriandi vel interpretandi* relinquitur aut indulgetur facultas. Patrum autem illorum plures in negantem quàm affirmantem deſcendiſſe partem, agnoverunt *Nicolaus de Orbellis*, III. Sent. Diſt. III, quæſtione I. *Gabriel Biel*, in III Sent. Diſtinct. III, quæſt. ad Artic. II. *Johannes de Turrecrematâ*, Diſt. IV ad Can. Firmiſſimè, Quæſt. III. *Johannes Baptiſta Montanus* Libr. I Partenices. *Melchior Canus*, Lib. VII Loc,

Deſtituitur novũ Dogma primit. Eccleſ. conſenſu.

Theolog. cap. I. *Salmero* Diſput. LI, in Cap. V ad Roman. ut nunc prætercam *Suareſium*, *Eſtium* & plures alios, qui veterum Doctorum multitudinem, ſententiæ affirmanti adverſari fatentur. Definierit igitur, Immaculatæ conceptionis Dogmate ad credendum propoſito, atq; non credentibus ſive *credere nolentibus*, ſed in dubium & diſcrimen vocantibus, graviſſimis intentatis pœnis, *Romana Eccleſia Sedesq; Apoſtolica*, eam tenente illique inſidente Alexandro Papa VII, tale Dogma, quod quia Apoſtolicæ Scripturæ auctoritate deſtituitur, non eſt Apoſtolicum nec tale eſſe poteſt. Item: quod Dogma, quia univerſaliter non eſt receptum, *Catholicum* non eſt nec eſſe poteſt. Euge verò egregiam *Catholicam & Apoſtolicam Sedem*, Dogma quod nec Catholicum nec Apoſtolicum eſt, nec unquam fuit, nec in æternum eſt futurum, ſub *Excommunicationis aliisq; gravioribus pœnis* obtrudentem. Sic ſcilicet, non juxta principalem, nec ſecundariam credendorum normam, ſed juxta *Romanæ Eccleſiæ Sedisq; Apoſtolicæ Definitionem* credenda dirigere & metiri decet. Sedis igitur iſtius Definitio, ad inſtar regulæ credendorum, ſi non primariæ, minimùm ſubordinatæ & ſecundariæ fuerit habenda. Si hoc, non deficere debebat Sedes illa Apoſtolica ab eo, quod verè eſt Catholicum & Apoſtolicum.

Latior ſtrictiorq; ejus, quod Apoſtolicum dicitur, acceptio.

CLXIV. *Apoſtolicum* verò, vel in latiore vel ſtrictiore ſignificatione dicitur tale; ſemel quoad ſolum ſenſum, quomodo omne ſcriptum Theologicum, Apoſtolicum ſcriptum dici poteſt, eò quòd in doctrina Apoſtolica declaranda occupatur. Deinde etiam Apoſtolicum eſt & dicitur, opus ſcriptumve aliquod, quod non quoad ſolum ſenſum, ſed etiam quoad ipſa verba eſt Apoſtolicum. Ita verò Apoſtolicum eſt, quod non aliis quàm ab ipſis Apoſto-

Apoſtolis uſurpatis gaudet verbis. Atque in iſto gradu Apoſtolica ſunt Novi fœderis ſcripta, atque in quascunque linguas vulgares translati codices. Tandem ſummi gradus Apoſtolicum eſt, quod quoad ſenſum, quoad verba, & quoad idioma eſt tale. Atque ita Apoſtolica dicuntur Evangeliſtarum Apoſtolorumque effata, Græco idiomate concepta: totum ſcilicet Novi Teſtamenti in Originali lingua volumen. Apoſtolicum igitur fuerit atque pro tali habendum, quicquid ſive hoc ſive illo, ſive in remotiori infimiq; gradus modo, tradiderunt & docuerunt, vel Apoſtoli ipſi, vel viri Apoſtolici, horum ſucceſſores & imitatores. Sed B. Virginem immaculatè eſſe conceptam, neque Apoſtoli ipſi, neque Viri Apoſtolici, horum ſucceſſores & imitatores tradiderunt vel docuerunt. Ergo B. Virginem immaculatè eſſe conceptam, neque hoc neque illo, neque in remotiori infimi gradus modo eſt Apoſtolicum. *Summi gradus Apoſtolicum.*

CLXV. Pergimus ad alterum Quæſtionis membrum, his conceptum verbis: *An citra ſalutis diſpendium poſſit aliquis apertè negare, B. Virginem Immaculatè conceptam, ejusq; immaculatæ conceptioni contradicere, & decreta illa Pontificum impugnare, qui pro vero veræ Catholicæ Eccleſiæ membro haberi velit?* *Alterum Quæſtionis membrum.*

Ad iſta Colonienſis Univerſitatis Domini Theologi, ſequentem in modum.

Reſpondetur ad ſecundam quæſtionis partem, per ſe loquendo peccaturum quidem graviter, qui hæc auſus fuiſſet, ut patet ex §. V. Brevis. Et colligitur ex graviſſimis pœnis & cenſuris, quæ ſcripto ſeu voce impugnanti immaculatam conceptionem iſtic decernuntur, & non niſi peccantibus graviter decerni

decerni ſolent aut poſſunt, non tamen propterea deſinere eſſe verum Eccleſiæ membrum cum non per Hæreſin aut Schiſma ſe ab Eccleſiâ ſecernat.

Audiantur nunc etiam Domini Herbipolitani per os Theologicæ Facultatis Decani loquentes & reſpondentes.

Reſpondetur Secundo: Si R. Pater ille apud vos hoſpitans contra Immaculatam conceptionem B. M. V. diſputavit & locutus eſt, haud dubiè non tantum malè fecit, ſed etiam graves ab Alexandro VII latas cenſuras incurrit, quas ille Pater, quia mihi deſcribitur tanquam vir eruditus (noverat ſcilicet & Patres & Fratres ignorantiæ in Monachorum familiis non eſſe aves raras) *ignorare non potuit, certè non debuit.*

CLXVI. Secundum utriusque Facultatis Theologicæ, hîc repetita Reſponſa, & *malè fecerit* & *graviter peccaverit*, qui adverſus Immaculatam conceptionem *diſputando aut loquendo*, eidem contradixerit. Qui verò contrariam opinionem (quod B. Virgo non ſit immaculatè concepta) retinent, illi huic oppoſitæ opinioni, quod ſit, contradicunt, ſive ut Herbipolitani efferunt, *contra immaculatam conceptionem B. M. V. diſputant & loquuntur.* Illud autem ipſum qui faciunt, *malè faciunt & graviter peccant*, ſic ſcilicet ſtatuentibus Reſponſis. Verùm enim verò quid dicendum judicandumve de tali, qui *malè faciendi* & *graviter peccandi* licentiam atque libertatem indulget, publicatisque inſuper Bullis intimat? Anne illud faciens, *malè facti* & *gravis peccati* efficiens eſt cauſa auctorque? Sed Alexander Papa VII is eſt, qui, ſtatuente ita & volente parte adversâ, licentiam atque libertatem talem indulſit.

ſit. Publicâ videlicet promulgatâ Bullâ, *malè faciendi* & *graviter peccandi* licentiam intimavit, quando contrariam opinionem, per quam maleficium ſeu *grave peccatum* (ſtatuentibus, ſic Reſponſis) committitur, *retinere* eâque retentâ *malè facere graviterq́, peccare* permiſit. Inde verò ſequi, quod Alexander Papa VII, *malè facti* & *gravis peccati* cauſa ſit efficiens, iſtiusque auctor peccati, quis non videt?

CLXVII. Ecce verò adhuc aliam Reſponſorum cum Pontifice, colliſionem. Quicunque *quempiam aſſerere vetat*, quod *contrariam opinionem tenentes* (ſunt ipſa IV Paragraphi Pontificii Diplomatis verba) *videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen aut peccatum mortale incurrant*, ille eo ipſo quod illud aſſerere vetat, omnes qui originale peccatum B. Virginis conceptioni tribuunt, ab Hæreſi & peccato mortali abſolvit, & conſequenter *malè* eos *facere*, atque *graviter* i. e. mortaliter *peccare* negat. Sed Alexender Papa VII is eſt qui hoc facit. Ergo idem Pontifex, peccatum originis B. Virginis conceptioni tribuentes, *malè facere* atque *graviter* i. e. mortaliter *peccare* negat. Aſt quod negat Pontifex, duarum Facultatum manu data mihi Reſponſa, in terminis affirmant. Concilient nunc cum Pontificis negatione, Reſponſorum affirmativam, (quod ſcilicet illud, quod Pontifex facere permittit facientes, *malè faciant* & *graviter peccent*) concilient, inquam, contradictiones iſtas qui poſſunt; me non poſſe, ingenuè equidem fateor. Contradictorie enim oppoſitæ propoſitiones, quarum una affirmat, altera negat, ſimul veræ eſſe non poſſunt, ſed alterutram earum falſam eſſe oportet. Falſa utique fuerit vel Pontificis negans, vel Reſponſorum affir-

Reſponſorum cum Alex. VII colliſio.

mans propoſitio. Sed Pontificiæ negantis propoſitionis falſitatem, hujus infallibilitatis privilegium haud admiſerit, quâ propter Reſponſorum propoſitionem affirmantem, quod in quæſtione verſans Dogma *negans* ei ſive *contradicens*, *graviter peccet*, falſam eſſe oportet. Porrò verò iſtius evicta falſitate, oppoſitæ veritas eâdem evicta fuerit operâ: quod nempè Dogma illud *negans* ei ſive *contradicens*, non venialiter, ſed *graviter* i. e. mortaliter *peccet*, atque ſic graviter peccans, in Dogma quod non poſſit non eſſe *de Fide*, impingat.

Pontifex ſibi ipſi apertè contrarius. CLXIIX. Atque ſic apertè & cum Pontifice pugnant Reſponſa, & repugnat Pontifex ſibi ipſi, dum idem quod modo largâ manu concedit & indulget, mox ſub graviſſimarum comminatione pœnarum, prohibet. Quod unâ manu largitur, alterâ eripit, atque pœnarum fulmina fibrans, extorquet. Per integrum igitur Diploma ſibi ipſi quum apertè ſit contrarius, mirari ſubit, quomodo de uno eodemque infallibi ore, ſibi adverſantia & ſe mutuò deſtruentia fluxerint. Sicut Alexander Magnus, Gordium nodum enſe acuto ſolvit, ita minutus hic Alexander, acuato infallibilitatis enſe, Gordios nodos in quos B. Virginis flectitur conceptio, ſolvere debuiſſet. At flexiloquâ & bilingui ſuâ Conſtitutione, nodos eum ſolvere, tantum abeſt, ut magis magisq; intricet. Sed quorſum tricæ iſtæ, quorſum flexiloquia tendunt? Quorſum tot facto contrariæ Proteſtationes? Quorſum *ab Hæreſi abſolutio*, conjuncta cum talium pœnarum comminatione, quales Hæreticos manet, atque Hæreticè errantibus, exicialiter & mortaliter peccantibus ſunt deſtinatæ? Quorſum benigna *mortalis peccati* averſio, quorſum ejuſdem remotio à ſubjecto, in quod *Satisfactiones* congeruntur, non aliis quàm mortaliter peccantibus

bus injungi ſolitæ? Quorſum *dirum excommunicationis fulmen*, detortum in illos qui faciunt, quod facientibus, nec Hæreſin nec mortale peccatum, excommunicans Bulla tribuit? Quorſum tot contradictoriè collidentes oppoſitiones? quorſum iſta, inquam, omnia, ſi non ad Franciſcanis blandiendum eorundemque velificandum opinioni, & fucum vendendum Dominicanis? Sic ſcilicet gratificandum fuit illis, ne nimis contumelioſè Dominicanorum violaretur exiſtimatio. His igitur perſvadendum erat, non turbari eos in diſſentiendi à Franciſcanis, aliterve quàm hi tenent tenendi poſſeſſione, quia aliter ſentientes, *nec hæreſis nec peccati mortalis damnentur.* At non ſic obœſæ naris ſunt Dominicani, ut non olfaciant, relictam in ſpeciem aliter ſentiendi poteſtatem, ſic limitari, ſic intra dentium ſepimenta arctari, ut aliter ſenientium voces in primoribus labiis fractæ ſuppreſsâ linguâ palatu, intra ægras claudantur fauces. Iſta in anteceſſum dicta ſunto, nunc propius ad Reſponſorum accedendum examen.

CLXIX. *Graviter peccare* & *malè facere* eum, qui immaculatam conceptionem *apertè negare* præſumſerit, & Colonienſes & Herbipolenſes Theologi manu largiuntur utraque. *Peccati* autem quod *grave* eſſe perhibetur, pondus, ſecundum pœnarum ab Alexandro in Brevi decretarum pondus, ponderandum eſſe æſtimandumque ſic ſatis rectè, ſecundum falſa horum principia, quod aliqua ex ſe & ſuâ naturâ ſint venialiâ, ſtatuitur: nec minus rectè inde infertur, quod Immaculatam conceptionem *apertè negantis* peccatum, grande & *grave* eſſe oporteat, quia pœnæ tales, *non niſi peccantibus graviter* i. e. mortaliter, *decerni ſoleant aut debeant.* Conſequentiæ vis fundatur in juſtitia diſtributiva, quod pœna proportionem ſervare & tenere *Negationis exaggeratio.*

debeat ad deliſtum: Sicut enim ſecundum juſtitiam diſtributivam præmia diſtribuuntur, ita quoque ſecundum eandem juſtitiam pœnas diſtribuere fas eſt & æquum. Non autem ſunt confundenda peccata ipſa cum horum pœnis. Non illa ex pondere rei ſeu materiâ, ſed ex Legislatoris violatæ juſtitiæ majeſtate æſtimanda ſunt & metienda. Secundum pœnæ autem pondus, propter proportionis neceſſitatem, de peccati pondere, judicium eſt faciendũ & vice versâ, hujus pondus, juxta peccati gravitatem eſt ponderandum: hoc verò Legislatoris dignitati non præjudicat, quippè quæ omne ſuperponderat pondus, cujusque intuitu leviſſimum imbecillitatis peccatum, ſic ingraveſcit, ut mortalium adæquent pondus. Interim ut omnis evitetur confuſio, atque diſtinctior ſingulorum emergat notitia, præmittenda ſunt aliqua, quæ & diverſa, in quibus ſtandum eſt, Fora, repræſentent, & accidentalem peccatorum differentiam, atque his proportionatas pœnas, ſimul ac juxta priſcæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem injungi ſolitas Satisfactiones ducant in conſpectum.

Peccatorũ diſtinctio non ſecundum genus ſed gradus.

CLXX. Peccata quidem quantum attinet, controverſiæ quales inter nos & Pontificios agitantur, illa non eximuntur. Admittimus ſanè etiam nos inter *Actualia peccata* diſcrimen aliquod & differentiam, non quidem ſecundum *genus*, ſed ſecundum *gradus*: ſiquidem omnia etiam leviſſima, in ſe ſpectata ſunt mortalia, & nullum ex ſe & ſuâ naturâ ſic eſt veniale, ut æternam damnationem non mereatur. Ratio eſt (ut prætercam nunc alias) quod venialiter peccans legem ſine dubio transgreditur. Intelligi enim haud poteſt, quomodo aut quâ ratione, peccatum dici, aut pro tali haberi mereatur, ſi non ſit contra legem Dei, ſeu transgreſſio & violatio legis Divinæ. Vi

autem

autem Pacti Legalis, *Maledictus eſt omnis, qui non permanſerit in omnibus iis, quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea* Galat. III, 10. Quia igitur venialiter peccans non manet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, & iſta omnia non facit, *maledictionis* illud fulmen non poteſt non venialiter ſaltem peccantes ferire. Ne tamen ſic peccantes maledictio feriat, de eo Divina proſpexit φιλανθρωπία & benignitas, per quam illa quæ ex ſe & ſuâ naturâ mortalia ſunt, propter Chriſti meritum, in eum credentibus non imputantur ad mortem. Sicut autem meritum & ſatisfactio Chriſti imputationem ad mortem à credentibus removet, ita quoque eadem ſatisfactio efficit, quod peccata illa quæ venialium nomine veniunt, nihilo quàm mortalia ſint meliora, ſiquidem infinitæ mortalibus peccatis deſtinatæ pœnæ, etiam ab illis quæ venialia audiunt, interpoſita inter illa & Dei iram, infiniti valoris ſatisfactione, ſint remotæ & abolitæ. Etenim pro omnibus peccatis, quocunque nomine illa tandem veniant, Chriſtus mundi Servator, infiniti valoris precium Deo Patri exſolvens, ſatisfecit. Quod ſi verò pro omnibus ſatisfecit, etiam pro venialibus. Quâ propter illa, quæ venialia dicuntur, non minus quàm mortalia infinitas oportet mereri pœnas: non quidem quod peccatis infinita inhæreat malitia, ſed quod per ea infinita Divina violetur juſtitia. Porrò: Si peccata æternam damnationem ideò merentur, quod bonum illud infinitum, omnipotentem Deum offendunt, etiam illa quæ venialia dicuntur, æternam merebuntur damnationem. Quicquid enim contra legem Dei eſt, hoc incurrit damnationem. Gal. III, 10. Peccata quæ venialia vocantur, contra legem Dei ſunt (quia venialiter peccans aliquem Deo debitæ dilectionis actum ſubtrahit, & inordinatè confert in rem creatam.) Ergo peccata quæ venialia dicuntur, damnatio-

nem incurrunt. Ex effectu autem atque ſic à poſteriori ducto argumento, è pœnæ pondere & magnitudine, de peccati quoque pondere & magnitudine judicium qui faciunt, illi *diverſa peccatorum genera* ſupponunt: nempè aliquod peccati genus eſſe *veniale*, quod æternam damnationem non mereatur: aliud peccati genus eſſe *mortale*, quod illicò & confeſtim æternam incurrat damnationem. Sed differunt, ſicut ſupra eſt dictum, Actualia peccata, non quidem ſecundum *genus* ſed ſecundum *gradus*. Colligere hoc licet ex pœnarum differentiâ, quod quia illæ quæ fori ſunt Divini & pœnæ propriè dictæ, non *genere* ſed *gradu* ſaltem differant, ideò pœnæ quoque (propter ſervandam inter peccata & pœnas proportionem) non aliter differre poſſint quàm hæ differunt, nimirum, non ſecundum *genus*, ſed ſecundum *gradus*. Etenim quemadmodum ſe habent pœnæ, ita quoque ſe habere debent peccata; ſiquidem nec majorem nec minorem debito pœnam eſſe convenit. Aſt pœnæ propriè ita dictæ, non differunt ſecundum diverſitatem generis, ſed graduum. Ergò etiam peccata differre aliter non poterunt. Ergò non ſunt diverſi generis, ſed cuncta mortalia, quamavis alia aliis graviora. Et quia æternæ inferni pœnæ gradu quoque differunt; aliqua diverſi quamvis gradus, mortalia tamen peccata, eadem quidem æternâ inferni pœnâ, attamen non eadem pœnæ gravitate, afficientur.

CLXXI. Veritatem hanc pauci è Pontificiis agnoſcunt, quippè qui communiter his contraria docent. Orthodoxa autem mihi hîc ideò fuit declaranda ſententia, ne tunc, quando ex horum propriis principiis, ad hominem ductis argumentis, illi mihi erunt convincendi, in ſuſpicionem apud noſtrates incidam, quod cum parte adverſa & ipſe faciam.

CLXXII. Di-

CLXXII. Diſtinctionem igitur inter mortalia & venialia peccata à parte Pontificia ſtantibus, haud quaquàm extortum imus, ſed ultrò eam admittimus: hoc ſaltem negamus, quod ita aliqua ſint venalia, ut ex ſe & ſuâ naturâ æternam damnationem non mereantur. Nec caret venialiũ denominatio fundamento. Non enim ſunt ſed dicuntur talia, vel ratione *Perſonæ*, vel ex accidentario *eventu*. Illa, quia perſona quæ eſt in ſtatu gratiæ, ſic peccans, non agit contra conſcientiam, non ex propoſito vel deliberati conſilii electione, ſed ex inadvertentiâ, & citra plenum conſenſum approbationemq; voluntatis agit quod agit. Exemplo res futura eſt magis conſpicua: ſi qua dubitatio vel motus pravus ſuboriatur in animo, homo tamen ei non aſſentiatur, vel non perficiat & exſequatur ad quod impellitur, tunc peccat quidem ſed non mortaliter: non quidem quod peccatum illud ex ſe & ſuâ naturâ non ſit mortale, ſed quod ob infinitam Dei miſericordiam, propter Chriſtum ejusque meritum, in quem ſic peccantem credere ſupponimus, non imputetur ad peccatum, nec conſequenter ad mortem. Poſſet equidem Deus, ſi ſecundum primævi Pacti rigorem nobiscum agere vellet, ad iſtum modum legem transgredientibus non tantùm iraſci, ſed penitus ex filiorum ſuorum numero excludere: attamen veram ac vivam in Chriſtum Fidem intuitus, ejusmodi infirmitatis peccata nobis non imputat, eâ propter de ſtatu gratiæ non deturbat, infirmitati potiùs noſtræ quaſi condeſcendens, quod aliàs exigere poterat, exactam nempè & accuratam Legis impletionem, quaſi non exigit, pro infinitâ potius ſuâ bonitate acquieſcit, ſi illi qui in filios & hæredes adoptati rebelles motus (quales *Tertullianus* lib. de Pudicitiâ *Delicta quotidianæ incurſationis* vocat) ſic reprimant, ne regnare eos

Peccat. veniale ratione Perſonæ.

Rom. VI, 21. eos patiantur; *ſi non faciant peccatum*, ei operam non dent, juſtitiam magis & ſanctimoniam ſectentur quàm carnis indulgeant cupiditatibus. Hæc enim vis eſt Pacti ſeu Fœderis Evangelici, ut ſub eo homines, utut *peccatum adhuc habeant*, modò in Chriſtum credant, & *non faciant peccata*, modo credentes ex propoſito ac ſtudiosè non peccent, maneant in gratiâ ac ſervari queant. Atque iſta eſt denominationis ratio, propter quam peccatum dicitur *Veniale ratione Perſonæ*: quia nempè perſonæ, quæ eſt in fœdere Evangelico, atque nullum fidei facit naufragium, peccatum non imputatur; juxta illud ad Rom. IIX, 1. *Nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulant.*

1. Joh. III, 9.

Peccat. veniales ex eventu.

CLXXIII. Deinde, *Peccata Venialia* dicuntur *ex accidentario eventu.* Tale eſt, quod ſecundum ſeſe maximè quidem eſt mortale, ſed quia ille qui admiſit, agnoſcit, veram & ſeriam agit pœnitentiam, veniam & remiſſionem impetrat & obtinet, veniale dicitur. Neque tamen hoc ex ſe & ſuâ naturâ EST, ſed potius FIT veniale, quando evenit & contingit, ut ſic graviter peccans, agnoſcat, pœniteat & deprecetur, atque inter Dei iram & peccata ſua, interpoſito merito & ſatisfactione Chriſti, Deo reconcilietur atque remiſſionem conſequatur. Et quia nullum peccatum tàm eſt grande (excepto uno & ſolo in Spiritum Sanctum peccato, quod cum finali impœnitentiâ ſit conjunctum) quin ſeriò pœnitens remiſſionem conſequatur, omnia cujuscunque gradus peccata, fieri poſſunt venialia, unde *ex eventu* dicuntur *venialia.* Quandoquidem autem futura contingentia ſunt incerta, & Spiritus Sanctus pœnitentiam operans, neminem, gratiam irreſiſtibilem largiendo, cogit aut neceſſitat, procraſtinantem, atque pœ-

nitentiam

nitentiam de die in diem differentem, ſubita mors ſæpè præveniat, ideò eventus eſt accidentarius, atque talia peccata, ex *accidentorio eventû* dicuntur venialia.

CLXXIV. *Mortalia Peccata*, quæ mortem animæ æternam, à quocunque perpetrentur, illico afferunt, & ſicut *Auguſtinus* Sermone XXIX de Verbis Apoſtoli loquitur, *uno ictu perimunt*, quænam & qualia ſint, omnium rectiſſimè nos docet S. Paulus Galatas V, 9. I. Corinth. VI, 9: Epheſ. V, 3, 4, 5: Coloſſenſes III, 5, 8, 9. Atque ex iſtis ſic expoſitis facilè intelligitur, quo ſenſu venialia admittamus peccata: & quod illa à mortalibus lethiferis non alio quàm eo, quo diximus reſpectu, differant. *Peccata Mortalia.*

CLXXV. Porrò verò *Fora*, quæ peccans ſortitur in conſiderationem vocanda veniunt. Sunt autem illa varia & diverſa. Etenim qui grandi & *gravi* delicto (quale immaculatam B. V. conceptionem negans, vel ullo modo in diſcrimen aut diſputationem vocans committere ſtatuitur) Deum, Eccleſiam, Rempublicam & proximum offendit, totidem ſortitur fora, quot delicto perpetrato offenſi ſunt vel ſcandaliſati. Nec ſatisfactio uni præſtita præjudicat aliis, quin hoc vel illud ſibi debitam exigat. Verbi gratia: Occiderit aliquis filium familias, & cum parentibus in gratiam redierit, atque ab iis veniam impetraverit: id non efficit, ut in homicidam, Eccleſiæ & Reipublicæ jus ſuum non maneat integrum. Conciliatus ſit Deo, per veram pœnitentiam; hoc ipſum tamen non efficit, quin à civili Magiſtratu capite plecti poſſit. Si condonent parentes, pœnam quoque mitiget Magiſtratus, & per veram pœnitentiam, à Deo remiſſionem impetraverit; nihilominus, propter offenſionem & datum publicè ſcandalum, & ut de ſeriâ ejus pœnitentiâ eò certius conſtare poſſit, Ec- *Varia peccatorum Fora.*

„ cleſiæ per publicam pœnitentiam, ſatisfacere, & quam diu
„ præſtarentur, à communione abſtinere olim tenebatur. Sunt illa totidem B. Parentis mei verba, quæ leguntur in Altera Appendice Reſponſi, Dn. Erneſto Ser^mo Haſſiæ Landgravio redditi.

Applicato CLXXVI. Vertamus nunc è Paternis collecta reliquiis, in rem noſtram, atq; ad præſens adhibeamus negotiũ. Offenderit igitur aliquis, graviter in B. V. peccando Deum, Magiſtratum utrumq; & Eccleſiaſticum & Civilem, ſimul ac dato ſcandalo, proximum, quapropter in totidem ſit ſatisfaciendum Foris. Sed prius de peccato ipſo ejusque pondere, deinde de Satisfactionibus. Repræſentant autem *De peccati pondere.* Reſponſa peccatum in Mariam, ceu grande & *grave peccatum:* ſiquidem *graviter peccare* ſtatuunt illum, qui immaculatæ B. V. conceptioni ſub quocunque prætextu litem moverit aut illam impugnaverit ſive ei contradixerit. Quisquis verò *grave peccatum* committit, eum non venialiter ſed mortaliter peccare oportet: quia venialia peccata (etiam ſecundum ipſorum Pontificiorum hypotheſes) non ſunt gravia, ſed ſecundum univerſaliter receptam horum doctrinam, ſic levia, ut juxta Divinæ juſtitiæ rigorem, veniam, nullâ quamvis intercedente Divinâ miſericordiâ, non mortem mereantur. Subſtrata verò & ſtante iſta hypotheſi, malè fuerit reſponſum; ſiquidem neganti ſententiæ (quod videlicet Immaculatam B. V. conceptionem negantes *mortaliter non peccent*, & quod Dogma illud *non ſit de fide*) oppoſita affirmans ejusdemque veritas, non animadvertentibus quamvis Reſponſorum architectis, (quod nimirum Immaculatam B. V. conceptionem negantes, & *mortaliter peccent*, & quod Dogma illud *ſit de fide)* è propriis Reſponſi verbis, per legitimam conſequentiam deuditur, argumento tali: Qui-

Quicunque *graviter peccat*, non venialiter peccat: quia venialia peccata non ſunt gravia ſed levia.

Quicunque Immaculatæ conceptionis Dogma *non credit*, ille *graviter*, atteſtantibus Reſponſis, *peccat*.

Ergo, quicunque Immaculatæ conceptionis Dogma non credit, non venialiter peccat.

Porrò:

Quicunque non venialiter peccat, eum *mortaliter peccare* oportet: quia omne peccatum actuale, vel veniale eſt vel mortale, nec datur inter utraque medium ſeu tertii generis peccatum quod nec mortale ſit nec veniale.

Atqui Immaculatæ conceptionis dogma negans, mortaliter peccat: quia non leviter ſed graviter peccat.

Ergo quicunque Immaculatæ conceptionis Dogma negat, eum *mortaliter peccare* oportet: quod probandum erat.

Ulterius:

Omne credenda attinens Dogma quod negantem graviter atque ideò mortaliter peccare facit, *de fide* eſſe oportet.

Sed de Immaculatâ conceptione credenda attinens Dogma negantem *graviter* (atteſtantibus Reſponſis) atque ideò mortaliter *peccare* facit.

Ergo de Immaculatâ conceptione, credenda attinens Dogma *de fide* eſſe oportet: quod æque ac prius probandum erat.

Aut itaque concedere oportet, de Immaculatâ conceptione Dogma negantem *mortaliter peccare*, & conſequenter eſſe illud *de fide*: aut admittendum quod venialia peccata non ſint levia, & quod venialiter peccans non leviter ſed graviter & mortaliter peccet.

CLXXVII. Si dixerint, venialia peccata, quia non ſint ſecundum Bellarminum *contra* ſed *præter legem*, &

juxta *Eſtium legi imperfectè repugnent*, non quidem in ſummo, ſed in inferiori gradu eſſe gravia : atque ſic graviſſimorum intuitu, vel comparatione ad illa, levia cenſeri poſſe : hoc, inquam, ſi dixerint, contradictionem involvens eſſe dicturos. Nempè ſic forent & gravia & non gravia : quia mediocriter ſaltem grave, tamen eſt & manet grave, minimè verò in ſe ſpectatum, eſt vel fit leve. Et ſi venialia peccata mediocriter ſunt gravia, quare pro horum levitate tàm vehementer & contentiosè dimicant? Etenim Deo debitæ dilectioni, profanè & non leviter deterere, quàm aſſertam venialium levitatem deſerere malunt. Plus enim quàm leve & planè profanum eſt, quod objicientibus nobis; *non levia poſſe eſſe venialia peccata, quia venialiter peccantes actum aliquem dilectionis Deo debitum ſubtrahant, atq; inordinatè convertant in rem creatam*, Reſpondent, Præceptum dilectionis *Dei*, *quum ſit affirmativum, non obligare pro omni tempore*; quaſi verò unquam deſit objectum, in quod ferri debeat dilectio. Nec melioris coloris eſt *alterum*, quod *quoties aliquis peccat, non ſubtrahat actum dilectionis Deo debitum* : quum tamen ſubtrahat eatenus & actum & potentiam, à quâ prodit talis actus dilectioni Deo debitæ repugnans. Debebat enim *Deum diligere ex toto corde ſuo, & ex totâ animâ ſuâ, & ex totis viribus ſuis* : Marc. XII, 30. Omnes itaque cogitationes, omnes actus, qui à corde noſtro & viribus noſtris prodeunt, debentur Deo, & dilectioni ejus impendendi ſunt : nimirum ſic impensè ne iis adverſemur. Præcepta enim affirmativa, vel maximè ad hoc obligant, ne fiat aliquid, ei, quod præcipitur, contrarium. Qui verò quocunque modo peccat, is aliquem actum cordis ſui, vel animæ ſuæ, vel cogitationum ſuarum, vel quarumcunque virium dilectioni Dei ſubtrahit

Videatur Joh. Mulmanni Jeſuitæ Monaſt. tract. de Purg.

ſubtrahit, & actum tali dilectioni incongruum vel repugnantem edit & exercet.

CLXXIIX. Sed excidiſſet propè *tertium*, quod cum prioribus copulant, abſurdum: nempè venialiter peccantem *non agere contra legem, ſed præter legem*, ſicut *Bellarminus* Lib. V de Juſtif. Cap. XIV & XVII nomine omnium prodidit: quod durius dictum emolliiſſe viſus ſibi eſt *Guilielmus Eſtius*, dicendo quod *imperfectè legi* peccata venialia *repugnent*: cujus paradoxi paulo prius Num. præced. factum eſt indicium, atq; Tractatu de Vario Hominis Statu, Sectione XI Num. XXX, plenius expoſuimus, diſtinctionis hujus nullum in S. Scriptura extare veſtigium, atque à ſanioribus Pontificiis Doctoribus etiam impugnari, in medium ducto *Gabr. Vaſqueſio*, demonſtravimus. Non nobis qui capere non poſſumus, quomodo veniale peccatum aliquam habeat peccati rationem, aut peccatum dici mereatur, ſi non ſit contra legem, ſed Pſeudo-Pietiſtis perſuaſum eant, eum qui venialiter peccat, non pecatum, ſed opus indifferens operari, habituriq; eos ſunt obſequentiſſimos, utpote *maledictionis* quâ Paulus Galat. III, 10, *omnes qui non permanſerint in omnibus iis quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciant illa*, inſectatur vel comitatur, oblitos.

CLXXIX. Nolumus nunc etiam operosè confutare *quartum*, quod Chriſtum Matth. V, 22, ceu elevantem & exinanientem peccata venialia oſtentare audent, eò quod levioribus peccatis leviores decreverit pœnas. Commemorari autem ibi tria pœnarum genera ajunt: *Judicium*, *Concilium* & *Gehennam ignis*. Veruntamen fallunt & falluntur ipſi, quando tria iſta modo commemorata, ceu diverſa pectorum genera venditant, quum tamen ibi non *generum* ſed *graduum* differentia indigitetur. Perver-

Judiciũ, Cõcilium & Gehenna, pœnæ ſunt, non genere ſed gradu differentes.

ſæ iſti expoſitioni, oppoſuimus loco citato, dextram *Maldonati* atque *Barradii* interpretationem: quorum ille *Diſtinguntur hic*, ait, *pœnarum gradus, ſed non genus. Nam utrobiq; capitalem ſed in Judicio leviorem, in Concilio graviorem Judices* pœnam conſtituebant; *quemadmodum graviores ad Concilium quàm ad Judicium cauſæ deferebantur.* Hic Sebaſtianus Barradius tomo ſecundo commentariorum in Concordiam & hiſtoriã Evangeliſticam libro VII cap. XVII: *Gravius eſt*, inquit, *iraſci & proferre Ruca, quam iraſci tantummodò. Ideò illi peccato gravius judicium proponitur, quàm huic. In tertio gradu, quia peccatum crevit, peccato graviori tribuitur gravior gehennæ pœna. Dices: Ergo reliquis duobus non tribuitur hæc pœna. Reſpondetur: Tres hos, gradus ſupplicii, pœnam ſignificare gehennalem, cuilibet letifero crimini* (ſed letiferum non poteſt aliud eſſe niſi mortale, ad veniale peccatum neutiquam trahendum, ſiquidem illud mortalium i. e. letiferorum numero eximitur) *deſtinatam, ſed quia iracundiæ genera diſparia ſunt, etiam diſpariter ſignificata ſupplicia.* Iſta Barradius, ſecundum quem manent, ut peccatorum ita etiam pœnarum differentiæ quædam & gradus; nec ſequitur quod hinc ineptè colligit, & Tullianis verbis exprimit idem qui ſupra Jeſuita Mülmannus, *non minus delinquere mortaliter eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem ſuffocaverit.* Adduximus ibi etiam *Maldonatum*, ſatis dextrum verborum Chriſti interpretem, cujus hanc in rem verba iſtic ex parte ſaltem recitata, hîc quoque repeti atque integra exſcribi merentur. Ita verò ille ad verba; *Reus erit Judicio: Reus erit mortis æternæ, quam Judicium vocat, ut convenienter loquatur Judæorum conſuetudini.* Ad verba, *Reus erit Concilio: Per Concilium capitalem pœnam, quæ in*

eo ſtatui ſolebat, intelligit : per civilem autem capitis pœnam, ſempiternam animæ mortem intelligit. Dubitabit aliquis, quomodo per Judicium, & per Concilium, capitalem pœnam intelligat, quum manifeſtum ſit, tres pœnarum gradus velle diſtinguere. Reſpondeo; gradus quidem diſtinguere non genus. Nam utrobiq; capitalem, ſed in Judicio leviorem in Concilio graviorem Judices pœnam conſtituebant : quemadmodum graviores ad Concilium quàm ad Judicium cauſæ deferebantur. Scitum eſt quatuor apud Judæos pœnarum fuiſſe genera, Strangulationem, Gladium, Lapidationem & Combuſtionem, ut in libro Sanhedrin notatum eſt. Sic enim Chriſtus eum qui iraſcitur, & eum qui fratrem ſuum levem, & eum qui ſtultum appellat, eadem infernì pœnâ, non eadem pœnæ gravitate dignum docet. Fuerunt illa aliquanto prolixius deducenda, ut appareret, & quàm nullo, venialium peccatorum elevatio & extenuatio, nitatur fundamento, & quod pro illorum vili levitate dimicantes, cauſæ quam agunt Reſponſa, plus noceant quàm proſint. Nocent videlicet per hoc, quod omni pondere levata peccata, inter *gravia*, (qualia tamen illa quæ in immaculatam conceptionem illidunt eſſe fatentur) nullo trahi poſſint prætextu. Cauſa autem quam agunt, eſt Alexandri VII Pontificis, qnem à reatu conditi *novi Fidei Articuli* liberatum velint, & ut liberent difficili allaborant ſtudio. Liberare autem, nullâ ad elabendum patente rimâ, haud poterunt, niſi ipſum illud quod Pontifex tectè quamvis maximè tamen artificioſè ſtabilire intendit (nempè Dogma quæſtionis & *de fide* eſſe, & *ad ſalutem creditu neceſſarium*,) eum intendiſſe negaverint. Tollenda igitur erat ſub graviſſimis pœnis impoſita credendi neceſſitas; quæ tamen tolli non poterat, niſi prius demonſtratâ ſeveri præcepti relaxatione, atque

per

per hanc indultâ & permiſsâ credendi & non credendi licentiâ. Hanc quum nullibi invenirent gentium, longè illa è remotioribus Conſtitutionis receſſibus erat accerſenda: nempe inde, quod contrariam ſententiam tenentes, *Hæreſis aut peccati mortalis damnare*, affirmantis ſententiæ asſertores prohibeantur. Quod verò inde? Per hanc ſcilicet à mortalibus peccatis exemtionem, etiam illos, qui Dogma quæſtionis non credunt eique contradicunt, à peccato mortali abſolvi perhibent. Porrò, ſi non credentes & contradicentes *mortaliter* non peccant, *venialiter* eos oportere peccare, quia non detur aliud à duobus illis diſcretum actuale peccatum. Si verò immaculatam conceptionem non credens, illud negans eique contradicens, non mortaliter ſed venialiter tantùm peccet, ſalvam futuram Pontificis rem credunt, ſiquidem veniale peccatum usque adeò ſit leve, ut Dogma in quod illud impingit, non poſſit eſſe fidei doctrinam attinens & creditu neceſſarium Dogma. Atque ſic per conſequentiarum anfractus, è culpâ novi conditi fidei articuli, erutus viſus eſt Alexander Papa VII.

CLXXX. Ex adverſo demonſtratum dedimus, quod conſulti Theologi eadem operâ, quâ illos, qui B. Virginem immaculatè conceptam eſſe, vel non credunt, vel negant, *graviter peccare* concedunt, concedere quoque & fateri, velint nolintve teneantur, quod & non credentes & negantes, non venialiter ſed mortaliter peccent, quia venialia peccata, juxta eorundem hypotheſes, non ſunt gravia ſed levia. Circa credenda autem ſi quæ ſuboriatur dubitatio, & aberraverit aliquis, atque errando graviter, i.e. non venialiter ſed mortaliter peccaverit, Dogma in quod ille vel non credendo vel abnegando impingit, non poſſe

non

non eſſe *de fide*, agnituri ſunt omnes magis ingenui, quàm ut argumentorum vim ſophiſmatibus infringere ſint præſumturi.

CLXXXI. Utiliter quoque acceptamus quod juxta Reſponſorum horumque Auctorum & compilatorum beneplacitum & approbationem, de peccati mole, ſecundum pœnæ graviter mitiusve præmens pondus, judicium ſit formandum, atque ſicut ex ungue leo, ſic ex pœnæ qualitate, peccati noſcenda qualitas. In iſtam ſcilicet ſententiam Colonienſes Dnn. Theologi, deſcendunt, in Reſponſo ad motæ quæſtionis partem ſecundam: quod interrogativo & redditivo juxta ſe poſito, futurum eſt conſpicuum. Quæſtionis ſumma huc redit: *An deinceps*, poſt promulgatum videlicet Pontificis Diploma, *citra ſalutis diſpendium quis poſſit* NON CREDERE *B. V. eſſe immaculatè conceptam*? Itèm: *An citra ſalutis diſpendium, apertè poſſit* NEGARI, *B. V. immaculatè eſſe conceptam, ejusq́ immaculatæ conceptioni* CONTRADICERE, *& Decreta Pontificum* IMPUGNARE liceat? Ad iſta Dn. Colonienſes: *Reſpondetur ad ſecundam quæſtionis partem, per ſe loquendo* PECCATURUM *quidem* GRAVITER, *qui hoc auſus fuiſſet, ut patet ex* §. *V Brevis*: *& colligitur ex graviſſimis Pœnis & Cenſuris, quæ ſcripto ſeu voce impugnanti Immaculatam conceptionem iſtic decernuntur, & non niſi peccantibus graviter, decerni ſolent aut poſſunt.* A Colonienſibus non diſſentiunt Herbipoleos Dnn. Theologi, quippè qui ſic Reſpondent: *Si R. Pater ille apud vos hoſpitans, contra Immaculatam conceptionem B. M. V.* DISPUTAVIT *vel* LOCUTUS *eſt. haud dubiè non tantùm* MALE FECIT; *ſed etiam graves ab Alexandro VII latas cenſuras incurrit, quas ille Pater, quia mihi deſcribitur tanquam vir eruditus, ignorare non potuit, certè non debuit.*

Ex proportione pœnæ ad peccata de horum pondere faciendũ judiciũ.

Omne grave peccatum mortale.

CLXXXII. Ex iſtis plus ſatis apparet, quod, ad reſpondendum requiſitos Theologos ſi audiamus, MALE FECERIT atque GRAVITER PECCAVERIT, quicunque Immaculatam B. V. conceptionem *Negare*, Dogmati huic *Contradicere*, adverſus illud *Diſputare* vel *loqui*, atque Pontificum, litem dirimentium Decreta *Impugnare auſus fuerit*. Cæterùm quum & *malefacta* & *gravia peccata* gradus admittant, atque alia aliis & peiora ſint & graviora, inveſtigandum in quem tandem, Immaculatam conceptionem violans *grave peccatum* exſurgat malitiæ gradum, quàm *malefactum* malefacientis conſcientiam vulneret profundè, quàm gravem vulnus halet odorem? Inveſtigandi viam Reſponſa commonſtrant: Prius quidem, quando illud *ex graviſſimis pœnis & cenſuris, quæ ſcripto vel voce impugnanti immaculatam conceptionem iſtic*, in Alexandrina Conſtitutione, *colligi* perhibet, atque addit; quod tàm graves pœnæ & cenſuræ, *non niſi peccantibus graviter, decerni ſoleant & poſſint*. Quàm graviter igitur peccent Immaculatam conceptionem *ſcripto ſeu voce impugnantes*, & quantæ molis ſit, Dogma illud *abnegans*, *impugnans* ſive ei *contradicens* peccatum, ſecundum pœnarum iſta facientibus deſtinatarum gravitatem quum ſit æſtimandum ſtatuendumque, proximum nunc erit, ut in pœnarum, ſic *graviter peccantibus* decretarum, deorſum ad exuſti Purgatorii fauces ducens pondus inquiramus. Iſtas verò quibus Feſtivitatis cultuſque obſervantia eſt ſancita, in profanantis reverſuras caput, non occultat ſed minaciter plus vice ſimplici detonat fulminans Alexander. Non memorabimus nunc omnes per quas refractarii trahuntur pœnas, graviores ſaltem, pectora ſonorò concutientes tonitru, vocabimus in conſiderationem. Nolo equidem

Graviores Dogma negantibus decreta pœna.

dem illas exaggerare, ſiquidem omne quod inſitâ mole laborat ac pondere urgetur gravi, nullâ aggravantis indiget exaggeratione. In iſto autem grandium graviſſimorumque ordine, quibus ſtipatus incedit Alexander, eminent, *Pœnæ Interdicti, Suſpenſionis, Excommunicationis, Perpetuæ inhabilitatis* ac *privationis vocis activæ & paſſivæ in quibuscunque electionibus*, atque tandem *Privationis ab ingreſſu Eccleſiæ.*

CLXXXIII. Exſecutores quibus iſtis *pœnis coercendi & puniendi* Pontificiâ auctoritate *libera facultas* conceditur, præter plures alios in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutos, potiſſimùm & præcipuè *Hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores* cum plenâ poteſtate inquirendi, adverſus inquiſitos procedendi, eosdem puniendi, ordinantur & conſtituuntur. Horum verò pœnali animadverſioni, nulla eximitur dignitas, quæ infra Pontificalem ſit dignitatem, ne *Cardinalatus* quidem, ut taceam nunc alias locum obtinentes amplum & eminentem dignitates, prætereamque privilegiorum & indultorum ab aliis Epiſcopis Romanis certis *qualificatis* perſonis conceſſorum annullationem: hoc ſaltem dico, & haud inconvenienter dixiſſe mihi videor, quod *Hærticæ pravitatis Inquiſitorum* proprium objectum, non poſſit eſſe aliud quàm pravitas Hærctica, & quod objectum cum nullâ Hæreticâ pravitate conjunctum, non poſſit eſſe. Hæreticæ pravitatis Inquiſitorum officio proportionatum objectum. Dogmati igitur de Immaculatâ conceptione, vel aliquid Hæreticæ pravitatis adhæſerit, vel ad Hæreticæ pravitatis Inquiſitores non pertinuerit, Sed dogma illud pertinet ad Hæreticæ pravitatis Inquiſitores, utpote Pontificis maximi maximâ

Hæret. pravitatis inquiſitores.

auctoritate illis demandatum. Ergo Dogmati Immaculatæ conceptionis aliquid Hæreticæ pravitatis adhærere oportet. Idque parti vel affirmanti (quod illi haud conceſſerint) ergo neganti. Unde porro ſequitur, neganti ſententiæ aliquid Hæreticæ pravitatis adhærere, atque eam retinentes Hæreſis crimen incurrere, à quo tamen eosdem abſolviſſe videri vult Alexander Papa VII. Hoc verò ſi ſeriò voluiſſet, quo juris prætextu, *ubiq; locorum deputatos Inquiſitores*, in hos tanquam Hæreticæ pravitatis reos, immittere potuiſſet? Quomodo Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſubjicere potuit illos, quibus ob negatam Immaculatam conceptionem *Hæreſis crimen aut peccatum mortale*, ſub gravium comminatione pœnarum intentare prohibet? Anne verò ipſo facto Hæreſis crimen intentat illis, quos in manus & poteſtatem Hæreticæ pravitatis Inquiſitorum tradit? Citra injuriam igitur dixerim, bilinguis oris flexiloquam eſſe Alexandrinam Conſtitutionem.

Flexiloqua Alexandrina Conſtitutio.

CLXXXIV. Sed dicturi fortè ſunt, *Voluiſſe* Pontificem, *quod contra hujus ſuæ Conſtitutionis transgreſſores, Hæreticæ pravitatis ubiq; locorum deputati inquiſitores procedant*, ut habent expreſſa §. VI verba. Verùm etiam illi *Conſtitutionem transgrediuntur*, eamque violant; quibus §. antecedente V, ſub graviſſimis pœnis interdicitur, ne *præfatas Conſtitutiones ſeu Decreta ita pergant interpretari, ut favorem per illos dictæ ſententiæ, & feſto ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur.* Hoc verò Pontificis mandato, imponitur contrariam ſententiam retinentibus ſilentium. Qui autem ſilere digitoque comprimere labellum jubentur, illis non relinquitur in ſpeciem & dicis ergo conceſſa *contrariam opinonē tenendi* libertas. Et interdicitur ibidem porrò ne

rò ne *qui hanc eandem ſententiam, feſtum aut cultum in Diſputationem revocent, aut contra eam quoq; modo directè vel indirectè; aut ſub quovis prætextu etiā indefinibilitatis ejus examinandæ, ſive Sacram Scripturā, aut ſanctos Patres ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, deniq; alio quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra eam quicquam determinando aut aſſerendo, vel argumenta contra eam afferendo & inſoluta relinquendo, audeant:* Illis verò qui *auſi* fuerint, graviſſimæ decernuntur pœnæ, quarum acerbitatem mox ſumus expenſuri: pro præſenti oſtendere intendimus, quodſi *velit* Pontifex, ut contra ſuæ Conſtitutionis transgreſſores, Hæreticæ pravitatis Inquiſitores procedant, eundem non poſſe non *velle*, ut Inquiſitores iidem etiam contra eos, qui hanc Conſtitutionis ſuæ partem traſgreſſi fuerint, ceu hæreticæ pravitatis reos, procedant. Cujuſcunque verò Dogmatis ne meminiſſe quidem, nec ullam ejus injicere mentionem, nec *ſcripto, nec voce, ſub quocunq; prætextu*, aut quacunque *occaſione* illud affirmare licet, illud Dogma non pro licito aut ad credendum permiſſo, ſed pro prohibito & heterodoxo eſt habendum. Ex adverſo, huic contradictoriè oppoſitum Dogma, affirmans illud quod negat prius, non prohibitum ſed permiſſum & orthodoxum eſſe oportet. Illud igitur ſi non ſtrictè abſolutè & ſimpliciter Hæreticum, minimùm tamen aut heterodoxum fuerit, aut injuſtè prohibitum, ſiquidem nullius orthodoxi Dogmatis aſſertio eſt prohibenda. Si heterodoxum, ejus aſſertores tolerari quidem poſſunt, attamen ad docendi & prædicandi munus admitti non debent. Si hoc, omnis valida Dominicanorum Prædicatorum familia, prædicandi jus & facultatem perdiderit, atque prædicandi officio ſe abdicare teneretur:

tur: & quidem tantò teneretur magis, quantò pœnarum nunc ſuſcipiendum examen, monſtraturum eſt luculentius, quod Dogma cujus aſſertio ſub tàm crudelibus interdicitur pœnis, plus quàm heterodoxum, & talem heterodoxiam eſſe oporteat, quæ hæreſis crimine non vacans, cum mortali peccato ſit conjuncta: Si enim pœna merito nec major nec minor eſſe debet, neceſſum eſt ut quanta eſt pœna, tantum quoque ſit facinus tàm grandem promeritum pœnam.

Pœna ab Alex. VII Immac. Concept. negantib9 decreta.

CLXXXV. Contemplemur nunc ſingulas, Immaculatæ conceptionis *favorem fruſtantibus* & *vel ſcripto vel voce impugnantibus* decretas pœnas. Quod ſi verò Scholaſticos Doctores præeuntes pœnarumque proprietates, pondus & effectum declarantes ſequamur, non habebit pars aderſa, quod contra authentiſatos auctores excipiat. Facta verò ad illorum regulas applicatione, Alexandrinam Conſtitutionem *Excommunicationis* quoque pœnam, complectere, certè eam non excludere, mox ſumus, *Franciſco Suareſio* interprete & ſuffragante oſtenſuri.

Suſpenſio & Remotio ab officio.

CLXXXVI. Excommunicatione mitior quidem pœna eſt *Suſpenſio ab officio*, quæ proximo tamen gradu omnimodam *Remotionem* attingit. Anne verò ille, qui Clericis Immaculatam Conceptionem non exoſculantibus, *concionandi, publicè legendi ſeu docendi facultatem* adimit, ab officio eos ſuſpendit? Sed hoc facit Papa Alexander VII. Ergo omnes Immaculatam conceptionem non exoſculantes Clericos ab officio ſuſpendit. Propter nullum autem leve aut veniale peccatum, ſic leviter peccans ab officio ſuſpenditur, ſed ſi propter credenda attinentem errorem ſuſpendatur, errorem illum fidem attinere, atque errantem mortaliter peccare oportet.

CLXXXVII. Am-

CLXXXVII. Amplius eſt quod iidem *Voce activâ* & *paſſivâ in quibuscunq; electionibus privantur.* Privationem talem Suſpenſione ab officio amplius eſſe, ajo, quia illi qui in electionibus, officiorum utraque & *activâ* & *paſſivâ voce* privantur, votum ipſis competens amittunt, ſimul ac quascunque functiones aliis decrnere, dignitatesve Eccleſiaſticas, vel voce activâ paſſivâ ſibi decretas adire & ſuſcipere prohibentur. Jus autem votandi quisquis amittit, non levem contrahit maculam, utpote cum ſuſpenſione vel remotione ab officio conjunctam. Plus igitur Alexandri Interdictum habet in receſſu, quàm primâ fronte apparet, vel agnoſcere velint illi, quos Pontificiæ infallibilitatis deliquium agit in pudorem.

CLXXXIIX. Taceo in ſcripta & libros Immaculatam conceptionem excutientes detorta fulmina: taceo *in Indice prohibitorum contentas pœnas & cenſuras*, quibus omnes tales libri inundati mergentur gurgite vaſto: hoc unum ſaltem exponi mihi velim, ſintne Dogmata propter quæ libri prohibentur, prohibita an potiùs per Alexandrinam Conſtitutionem ſic licita & permiſſa, ut illa amplecti atque citra periculum incurrendi pœnas & cenſuras in Indice librorum prohibitorum contentas, retinendi relinquatur facultas? Contradictionem implicat, eſſe prohibitum & non eſſe prohibitum. Implicantia igitur ſtatuerit Pontifex, quando Dogma quod per Conſtitutionem non prohibuiſſe vult videri, ſeriò tamen & de facto, ſub comminatione pœnarum & cenſurarum in Indice iſto contentarum, prohibet.

CLXXXIX. Deſcendimus nunc ad *Perpetuæ inhabilitatis pœnæ* examen. Hanc executores comitantur, quorũ nomina ſunt *Ipſo jure*, & alterum potentiæ non imbecillioris *Absq; aliâ declaratione.* Quid nomina iſta ſibi velint, quanta munian-

Perpetua inhabilitatis pœna.

muniantur exſequendi vi, ſecundum Jus Pontificium eſt declarandum. Inter ampliſſima *Franciſci Suarezii* ȣ πολυ-γράφȣ ſcripta, præ aliis pluribus ſe commendat, de Legislatore Tractatus. Hujus lib. V, de varietate Legum, cap. IIX, *de Lege imponente pœnam privativam, ipſo facto obligante in conſcientiâ ad executionem ejus ante ſententiam*, prolixè, more conſueto, diſputat. *Pœnas Privativas* ibi in tres claſſes digerit. Harum primam *Cenſuræ* occupant. In alterâ ponuntur privationes illæ quæ non conſequuntur plenum ſuum effectum *ſine actione aliqua hominis*; In Tertiâ, conſtituuntur privationes iſtæ quæ plenum ſuum effectum *per ſolam legem citra omnem hominis actionem* ſortiuntur. Primæ & Tertiæ claſſis pœnæ privativæ, excluſis illis quæ in altera collocantur, hujus ſunt loci.

CXC. De poſitis in *prima* claſſe *Cenſuris* ita ſtatuit: quod *per Cenſuras, ſeparatur aliquis à communibus bonis Eccleſiæ, tanquam indignus, & ideò ſtatim obligatur in conſcientia, ut ſe ſeparet & abſtineat. Pertinet enim ad Paſtorem Eccleſiæ ſeparare indignos, & illis præcipere ut ſe ſeparent, quod præceptum in ipſa Cenſura includitur.* Separatio autem indignorum quum Excommunicationi æquipolleat, per iſtam Cenſuram omnes, latam per Alexandrum legem violantes, ipſo facto erunt Excommunicati. In *tertia claſſe* conſtitutæ pœnæ privativæ, obligant *ad abſtinendum ab aliquâ receptione*, & involvit *inhabilitatem ad receptionem alicujus beneficii, ad ferendum ſuffragium, & ſimilia*: qualia ſunt *electiones* ad officia & dignitates, vel obeundas vel aliis ſuo voto aut ſuffragio conferendas: item inhabilitas ad retinendum munus jam obtentùm, conjuncta cum obligatione *ad abſtinendum à receptione* redituum muneri officiique functionibus annexorum. Atque ſic ſeſe habet

Excommunicationis pœna per Alex. VII Immac. Concept. negantibus decreta.

Inhabili-

Inhabilitatis pœna, & communionis, & officiorum dignitatumque atque ab his pendentium redituum privationem includens.

CXCI. Additæ *perpetuæ Inhabilitatis pœnæ* ſolennes circumſtantiæ, quarum prior ita ſonat, *Ipſo facto*, & altera in iſta, *Absq; aliâ declaratione*, definit verba, in Alexandrinâ Conſtitutione expreſſæ circumſtantiæ privativæ hujus pœnæ executionem attinent, atque modum infligendi pœnam determinant. *Quoties*, inquit Svaretz, *in Lege per quam bujusmodi* privativa *pœna imponitur, aliqua ex his particulis* (ipſo facto, ipſo jure, ex nunc, eo ipſo, *vel alia æquivalens*, qualis eſt illa per quam *absque alia declaratione*, executioni mandatur pœna) *ponitur, pœna ſit aliquo modo per ipſam legem, & hoc continet ſententiam latam quo ad aliquid, & quod illud vim habet obligandi in conſcientia ad pœnam.* Et iterum Cap. IX. & ſeq. magis expreſsè & ſignificanter; *Valdè recepta eſt ſententia, quoties lex pœnalis cum additione* Ipſo facto, *vel ſimili, imponit bujusmodi Inhabilitatem, etiamſi non addat*, Absque aliâ declaratione, *vel aliud æquivalens, inducere ſtatim illam inhabilitatem ante omnem ſententiam etiam declaratoriam criminis.* Alexandrina autem Lex pœnalis, quum utraque additione ſit munita, tàm ſtringet fortiter, ut vix alia ſtringere queat fortius. Secundum iſta igitur, omnes Immaculatæ conceptioni fidem non plenè perhibentes, ſed tantillum qualicunque modo & ratione ei derogantes, *perpetuæ inhabilitatis pœnæ* ſubjiciuntur, quæ non tantùm cum effectu ſuſpenſionis ſed & remotionis ab officio, ſemper & conſtanter non poteſt non eſſe conjuncta, quia ipſa illa pœna ut Cenſura eſt, Excommunicandi vim habet, ſiquidem ſecundum Suareſium *Excommunicationis præceptum in ipſa Cenſurâ includitur.*

De terminorū Ipſo facto, & ſine aliâ declaratione, *ſignificatione.*

Atque ita ex Suareſii Legum interpretis mente & ſententiâ fuerit ſtatuendum.

Adverſus Inhabilitatis pœnam, nulla valent indulta vel Privilegia. CXCII. In Conſtitutione autem Alexandrinâ, *Inhabilitas* iſta non ad certas reſtringitur *perſonas*, ſed ad *quaslibet* extenditur, *quantumcunque qualificatas, & quacunque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali & quavis alia dignitate & honore conſtitutas*: Adeò ut ab iſtâ Inhabilitate, immunitates & privilegia, honoratis, in altiſſimo ampliſſimoque dignitatis gradu locatis perſonis, *quomodolibet conceſſa*, liberare eos nequeant. Quod ſi verò adverſus eos, qui in altiſſimum dignitatis culmen aſſurrexerunt, tanto rigore proceditur, quid de minorum gentium Diis eſt futurum? Quid Cathedralium Collegiatarumve Eccleſiarum Canonicis, harum Præpoſitis & Decanis, qui opinandi diſſentiendive prætendunt licentiam, atque imaginariâ iſtâ libertate ſibi blandiri non deſinunt, eſt expectandum? Certè nihil aliud quàm *Perpetuæ inhabilitatis pœna*, privatura eos dignitate, atque indè effluentes dulces abſciſura reditus, opimosque proventus. Et quidem juxta Alexandrinæ Conſtitutionis tenorem, *Ipſo facto, absque ullâ aliâ declaratione*, ceu tàm frugiferarum dignitatum *inhabiles*, privabuntur. Etenim *per Cenſuras ſeparatur aliquis à communibus bonis Eccleſiæ, tanquam indignus, & ideò ſtatim obligatur in conſcientia, ut ſe ſeparet & abſtineat*, ſecundum Suareſii dijudicationem, cujus auctoritas major eſt inter Pontificios, quàm ut ei adverſari auſint.

Inhabilitas ad obeundum officii munus. CXCIII. Munia obeuntes miniſterialia, etiamſi non tàm exquiſitis ſaginantur epulis, quàm illi, ſua tamen ſentient damna. Parochi ſi fuerint, & de Dogmatis iſtius veritate ſubortam dubitationem non diſſimulaverint ſed apertè fuerint

erint profeſſi, ad concionandum, Sacramenta adminiſtrandum, atque quaſcunque alias muneris ſui functiones obeundum cenſendi fuerint inhabiles. Doctores, in Collegiis vel Academiis, Profeſſorum ſuſtinentes munus, ſi in dubitationem homine curioſo non indignam adducantur, hæſitationemq; vel ipſi ingenuè fuerint profeſſi, vel alii, his inſidiantes prodiderint, confeſtim ad docendum & profitendum declarabuntur inhabiles, *perpetuæq; inhabilitatis pœnam, ipſo facto & absq; aliâ declaratione ſunt incurſuri*, ita videliet volente, jubente & conſtituente Alexandro Papa VII. Ultima iautem Edicti verba, *ipſo facto & absq; alia declaratione*, dicis ergo non eſſe appoſita, in Tertia pœnarum privativarum Claſſe collocatæ pœnæ ſatis apertè indicant. Ad iſtam ſcilicet claſſem per Suareſium reductæ privationes, plenum ſuum effectum, *per ſolam legem, citra omnem hominis actionem* ſortiuntur; nempè *per ipſam legem*, adeò ut lex illa *vim habeat obligandi in conſcientia ad pœnam*, ſive ſicut idem Suareſius, ut *lex imponens pœnam privativam, ipſo facto obliget in conſcientia ad executionem ejus ante ſententiam.*

Lex vim obligandi habent ad pœnam etiam ante ſententiam.

CXCIV. Porrò verò, quum *ſeparatio indignorum pertinens ad Paſtorem Eccleſiæ*, ſpiritualem communionem ſacrorum concernat & attineat, iſta indignorum ſeparatio includit ſeparationem à participatione Sacramenti Euchariſtiæ i. e. Excommunicationem. Incredulitatis autem peccatum, propter quod aliquis Excommunicatur, mortale oportet eſſe peccatum: & conſequenter Dogma quod aliquis *non vult credere*, ſed credere detrectat, & propter abnegationem Excommunicationis meretur pœnam, non poteſt non eſſe *de fide*. Argumentor nunc ita: Propter quodcunque Dogma non creditum ſed abnegatum, non

Separatio indignorũ equipollẽt Excommunicatione.

 credens

credens & abnegans, mortaliter peccat, & perpetuæ inhabilitatis pœnam ſeu talem cenſuram quæ Excommunicationem includit, meretur, illud Dogma non poteſt non eſſe *de fide*. Atqui Immaculatæ conceptionis Dogma, eſt tale Dogma, propter quod non creditum ſed abnegatum, non credens ſed abnegans mortaliter peccat, & perpetuæ inhabilitatis pœnam ſeu talem cenſuram quæ Excommunicationem includit, meretur. Ergo Immaculatæ conceptionis Dogma, non poteſt non eſſe *de fide*. Majoris antecedens per ſe & ex terminis eſt notum: quia incredulitatis Excommunicationem promerens peccatum, mortale eſt peccatum. Alterum: quod incredulitatis peccatum Excommunicationem promerens, in Dogma quod ſit *de fide* impingat, non minus quàm prius eſt notum & in confeſſo. Minoris probationem Alexandrina Conſtitutio prolixè complectitur. Ad evincendam Minoris veritatem facientia, quamvis aliàs ſint adducta, longum tamen iſtum logum, ut omnia magis conſpicuè incurrant in oculos, hîc iterum repetere non pigrabor. Inſurgit *ſcilicet* Alexander plenus irarum, adverſus omnes, qui Immaculatæ conceptionis Dogma abnegant, vel ſaltem *in diſputationem revocant, aut contra illud quocunque modo, vel indirectè aut ſub quocunque prætextu, etiam indefinibilitatis ejus examinandæ, ſive ſacram Scripturam, aut ſanctos Patres ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto ſive voce, loqui, concionari, tradere, diſputare, contra illud quidquam determinando aut aſſerendo, vel argumenta contra illud aſſerendo, & inſoluta relinquendo, aut aliquid quovis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, præter pœnas & cenſu-*

cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV contentas, quibus illum ſubjacere vult Alexander VII, *& per præſentes ſubjicit, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa & paſſiva, in quibuscunque electionibus, eo ipſo, absque alia declaratione, privatos eſſe vult, nec non ad concionandum, publicè legendum docendum & interpretandum, PERPETUÆ INHABILITATIS POENAS IPSO FACTO INCURRERE ABSQUE ALIA DECLARATIONE.* Reſponſuri procul dubio ſunt, neminem per iſta excommunicare Alexandrum: non itaque iſta Conſtitutionis verba probare quod probandum erat. Verùm quantumvis Excommunicationis nulla in terminis, uti loquuntur, terminantibus fiat mentio, ſumuntur tamen & ponuntur talia quæ Excommunicationem includunt: nempè *Perpetuæ inhabilitatis pœna*, utpote privativa, privat communione, ſive quod eodem recidit, participatione Sacramenti reddit inhabilem. Hoc verò ſi mihi credere nolunt, credant Suareſio, per quem doctus ego ſum, *Præceptum ſeparationis à communibus bonis Eccleſiæ*, inter quæ Eccleſiæ bona S. Euchariſtiæ Sacramentum eminet, includere ſeparationem à Communione, quæ ſeparatio nihil eſt aliud quàm Excommunicatio: ſiquidem illa *indignorum ſeparatio*, quæ *pertinet ad Paſtorem Eccleſiæ*, non poteſt eſſe alia, quàm ſeparatio à bonis ſpiritualibus, inter quæ participatio Sacramenti Altaris familiam ducit. Quapropter *Paſtoralis* illa *ſeparatio*, non poteſt eſſe alia, quàm ſeparatio à participatione Sacramenti Altaris i. e. Excommunicatio. Iſta verò ſi non ſunt horum ſtomachi, non mecum ſed cum Franciſco Suareſio hac de re litigent. Mihi interim ſufficere poteſt, iſto duce viam commonſtrante

Separatio Paſtoralis idem eſt quod Excommunicatio.

ſtrante, eviciſſe, quod ſecundum ſupra adducta, in Immaculatæ conceptionis Dogma impingens negatio, *peccatum* ſit *mortale*, & Dogma ipſum *de fide*. Cujus utriusque probandi nunc exoneratum onus, mihi incubuit.

Inhabilitatis perpetuitas. CXCV. Cæterùm intacta non eſt dimittenda *Inhabilitatis Perpetuitas*, duratura quo usque rei *à Pontifice non erunt abſoluti*, atque ſuper illis pœnis non fuerit *diſpenſatum*. Abſolvendi autem & diſpenſandi poteſtatem, ſibi ſoli ſuisque in Pontificatu Succeſſoribus reſervavit Alexander VII. Iſtac verò ſanciendi ratione, *Caſus Pontifici Reſervatos*, adauxit quidem eorumque numerum multiplicavit, at negotium ipſum tantò reddidit difficilius, quàm eſt difficilè ut à Pontificis Curiâ & aulâ remotiores, propriâ Pontificis manu abſolvantur. Requiſitum hoc ipſa Conſtitutionis verba exprimunt, ſic concepta: *A quibus* (nempè perpetuæ inhabilitatis pœnis) *non niſi à nobis, vel à noſtris ſucceſſoribus Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poßit.* Clavium poteſtas, ſolvendi ligandive facultas, Eccleſiarum legitimè vocatorum riteque ordinatorum miniſtris (ſive primarii illi fuerint ſive medioximi, Paſtores urbani ſive pagani) ex æquo, nullo intercedente dignioris indigniorisve ſtatus vel conditionis reſpectu, eſt conceſſa; gaudent omnes & ſinguli, quoscunque ſeriò pœnitentes, à peccatis etiam mortalibus abſolvendi & reconciliandi, æquali poteſtate. Quod ſi verò poteſtas illa limitetur, atque ſic ad unum & ſolum Pontificem, ſicut in caſu iſtoc, quo Immaculatæ conceptionis violatur dogma, reſtringatur, dic ſodes ſitne peccatum illud leve & veniale, an grave & mortale, vel plusquàm mortale? Impingatne illud in Dogma *de fide*, an tale quod non ſit de fide, ſed juxta fidem emergens, & annatum?

CXCVI. Re-

CXCVI. Reliqua eſt *Pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ.* Iſta decernitur non quidem illis, qui Immaculatæ conceptioni fidem ideò, quod de ejus falſitate potius quàm veritate in conſcientiâ ſint convicti, perhibere detrectant, ſed illis qui Conſtitutionem Alexandrinam, ad omnium reliquorum notitiam redigere neglexerint, quum tamen horum id ſit officii. Ne plus minusve Edicto tribuiſſe videamur, ipſa Pontificis præcepti & rigoroſi mandati vim habentia verba integra ſunt adſcribenda. *Ut autem hæc noſtra Conſtitutio & præmiſſa omnia, ad eorum omnium quorum inter eſt notitiam congruentiùs pervenire poſſint, in Virtute ſanctæ obediētiæ, & ſub pœna privationis ab in ingreſſu Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis Suffraganeis, & Officialibus quibuscunq;, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat & pertinet, quatenus hujusmodi noſtram conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis vel diſtrictus prædicatoribus, & aliis quibus expedire judicaverint, opportunè inſinuent, & publicent, ac inſinuari & publicari faciant, ne quis impoſterum quoquo modo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare.*

Pœna privationis ab ingreſſu Eccleſia.

CXCVII. Prius pœnæ, deinde peccati qualitas eſt inveſtiganda. De priori ubi conſtiterit, de altero non multum erit laborandum; ſiquidem peccatum pœnæ menſuram non excedere, ſed illud huic proportionatum eſſe debet. Quam proportionem etiam mei Dnn. Conſultores obſervatam volunt, quando gravem peccati molem, quæ in verticem Immaculatæ conceptioni contradicentium eandemque credere non volentium, devolvatur, ad pœnarum, in Conſtitutione expreſſarum menſuram dirigunt.

CXCIIX. Quòd

Ab ingreſſu Eccleſiæ privatio, amplius quàm Excommunicatio.

CXCIIX. Quàm ſevera fuerit, non niſi mortaliter peccantibus & publicum ſcandalum dantibus, per omne ſatisfactionibus deputatum tempus, ſuſtinenda, ab ingreſſu Eccleſiæ privationis pœna, Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor, qualis olim obtinuit, nos docet. Inflicta eſt iſta pœna non aliis niſi Excommunicatis: quippe quibus toto excommunicationis tempore, quo præſtandæ erant ſatisfactiones, Eccleſiam ſive templum intrandi nullum jus competebat, ſed erat illis extra Eccleſiam ante fores ſtandum. Horum aliqui ab Eccleſiæ limine arcebantur longius, aliis propius accedere atque proximè adſtare fas erat. Stationum ſeu locorum, quæ excommunicatis erant obeunda *Gregorius*, ob miracula præſtita *Thaumaturgi* nomen indeptus, meminit, & Epiſtolâ de iis, qui in captivitate idolis immolarant, ritum hunc Eccleſiaſticum in compendium redactum proponit: προσκλαυσις inquit, *Fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorii, ubi peccatorem ſtantem, oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Ἀκρόασις auditio eſt intra portam, in loco quem νάρθηκα *vocant in ferula* (in proſtibulo ſcilicet templi, ſeu loco quem peccatorum vulgo appellamus) *ubi oportet eum qui peccavit, ſtare poſt catechumenos usq; ad catechumenos, & illinc egredi: audiens enim,* pergit, *poſt Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione ne dignus cenſeatur.* ὑπόπτωσις, *ſubjectio ſeu ſubſtratio eſt, ut intra templi portam ſtantes, cum catechumenis egrediantur.* Σύστασις *congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ui cum fidelibus conſiſtat & cum catechumenis non egrediatur. Poſtremo eſt* μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων *participatio Sacramentorum.* Iſta participatio non pro pœnitentiæ gradu eſt habenda, quia ipſa eſt communio, & non pœnitentia, ſed potius ejus τελείωσις, atq; ſcopus ad quem per pœnitentiæ gradus tenditur.

CXCIX. Ad

CXCIX. Ad præſens negotium non niſi priores ſtationes, aut nempè προσκλαυσις i. e. *Præſletus*, & ἀκρόασις i. e. *auditus* pertinent: quia in iſtis ſtationibus ſeu locis, pœnitentiæ exercitia, extra Eccleſiam ſub dio peragebantur. Erat ſcilicet ſemiterium ſeu templi area, illud ipſum theatrum in quo *pœnam privationis ab ingreſſu Eccleſiæ* ſuſtinentium, triſtis ſcenæ ſpectacula exhibebantur. Προσκλαυσις dicebatur prima Statio, quod in illâ peccator excommunicatus extra Eccleſiam ſtans, cum luctu & lacrymis, eos qui ingrediuntur precaretur, ut pro ſe intercedere & miſericordiam Dei elicere dignentur. Ἀκρόασις autem dicitur, quando peccator excommunicatus, itidem extra Eccleſiam ſtans Divinas Scripturas audit, usque ad lectionem Evangelii. Quàm igitur difficilis, miſera & acerba fuit *Pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ*, tàm grande quoque peccatum & atrox facinus fuiſſe oportet, cujus expiandi ergo tanta inflicta eſt ſatisfactionis pœna. Alicujus horum indicium facit Thaumaturgus, digitum in eos qui in captivitate Idolis immolarant, intendens. Veruntamen non ſolius Idololatriæ ſed aliorum quoque criminum flagitiorumque reis, pœnam iſtam ab ingreſſu templi privantem, fuiſſe injunctam, ex *Ancyrani Concilii Actis* mox patebit. Ancyranum enim Concilium attingendi anſam porrigit ſuſceptus de jure templum frequentandi diſcurſus, quod paulò prius diximus excommunicatorum aliquos, *ab Eccleſiæ limine longius fuiſſe remotos, aliis ut propius accededere atq; Eccleſiæ valvis proximè adſtarent, fuiſſe permisſum.* Eruitur illud ex antiquis Concilii Ancyrani monumentis cujus Canon XVII, *de his qui in pecudes vel in maſculos, aut olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt,* agit. *Eós qui rationis expertia animantia inierunt, & qui*

 leproſi

leproſi ſunt vel fuerunt, juſſit ſancta Synodus inter hyemantes orare. Quid verò ſit atque ſibi velit in hoc Ancyrano Concilio & Canone, INTER HYEMANTES ORARE, non eſt eadem Antiquariorum ſententia, ſed in diverſas illi, ſicut in negotiis difficilibus atque altioris indaginis fieri conſuevit, eunt conjecturas. Præ aliis autem largè blanditur explicatio quam *Gabriel Albaſpinæus* Aureliorum Epiſcopus, ſuis in quosdam Aſiæ Conciliorum Canones, ad Ancyrani Conc Can. XVII, dedit : *Qui ob gravia delicta*, ait ibi, *verbi gratia fornicationis aut adulterii pœnitentiam agebant, aut eam petebant; certum eſt ſub quodam tectulo pro templi foribus, eos ritus pœnitentiæ & exomologeſin peregiſſe, i. e. presbyteris advolutos, caris Dei & Martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos eſſe, cæteros denique Fratres, ut ſibi deprecatores eſſent, oraſſe : Verùm qui graviora delicta, ut ſunt ea quæ hiſce Canonibus commemorantur, commiſerant, quippè perpetuam agerent pœnitentiam, non ſolum ab Eccleſiâ, ſed ab illo tectulo arbantur, quos hîc* HYEMANTES *vocari exiſtimo, & inter eos, hos impudicos leproſos, orare juberi : hyemantes autem dici videntur, vel quia ab hoc tecto remoti, ſub dio ſtare & pœnitentiam agere cogebantur, vel certè quia in Eccleſiæ portum nunquam reciperentur, ut ait Balſamo.* Tertulliani verba de Pudicitia totam hanc rem & locum illuſtrant : *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus, ultra jus naturæ, non modò limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta ſed monſtra.* Ex adductis fit conſpicuum, quod à *tectulo* iſto remoti excommunicati peccatores, longius ab Eccleſiæ limine fuerint pulſi, quàm illi quibus tectum illud ſubire, foribus tàm prope aſſiſtere fuit permiſſum, ut concionem audire, Divinum

Inter hyemantes orare.

vinum cultum & celebrata in Eccleſia Divina officia, non cominus ſed eminus & veluti per tranſennam intueri potuerint. Fuiſſe utique in ipſa pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ gradus, non malè quidem è dictis colligitur, in quocunq; tamen gradu fuerint poſiti, omnes excommunicatos fuiſſe oportet, quia extra Eccleſiæ fores in templi area, nulla communionis participatio illis expectanda fuit.

Pœnæ privationis ab ingreſſu Eccl. gradus.

CC. Unde verò iſtæ lacrymae? Unde *fletus & luctus extra portam oratorii*? Quorum quantorumve intuitu peccatorum, privativa, ab ingreſſu Eccleſiæ, ſimul ac communione ſive participatione Euchariſtiæ, ab omni fidelium conſortio, atq; benedictione Sacerdotali per ſignum crucis arcens pœna, eſt impoſita tantoq; rigore exacta? In primitivæ meliorum ſeculorum Eccleſiæ republicâ, quamvis morum diſciplina, vitiorum caſtigaitio, atque propter commiſſa flagitia injunctæ ſatiſfactiones, ſupremum obtinuerint gradum, cenſura tamen modum non exceſſit, ſed pœna delicto ſemper fuit proportionata. Inter ſeveriſſimas fuit illa, quæ poteſtate ingrediendi Eccleſiam privavit, iſta non eſt inflicta aliis quàm talibus, qui vel ſpirituale vel carnale commiſerint adulterium, vel libidinum ſtimulis acti, huic explendæ ergo, aut maſculis aut brutis animalibus fuerint abuſi. Spiritualis adulterii i. e. Idololatriæ indicium facit, Thaumaturgus. Synodus Ancyrana, inceſtus flagitio pollutos à limine Eccleſiæ arcet. Aſt Alexander Papa VII, propter nudum omniſſionis peccatum, ſi qui fortè Pontificiam Conſtitutionem inſinuare & publicare neglexerint, negligentes iiſdem ſubjicit pœnis, quibus Idololatræ, vel immundi & inceſtuoſi olim ſubjiciebantur. Quod ſi verò neglecta, Immaculatæ conceptionis intimatio & publicatio, peccatum eſt eandem commerens pœnam, quam

E pœna rigore peccatum eſt æſtimandum.

Idololatriæ & inceſtus peccatum meretur, quantum eſſe oportet commiſſionis peccatum ejus, qui immaculatam conceptionem vel *non vult credere*, vel illam abnegat, vel ei contradicit: certè nihilo minus abominabile illud poteſt eſſe, quàm vel Idololatriæ vel inceſtus eſt peccatum: quia Immaculatam conceptionem ex præcepto Pontificis ſaltem non publicans, aliisve non intimans, eaſdem incurrit pœnas, quæ Idololatras & Inceſtuoſos olim manſerunt. Ex pœnæ igitur qualitate ſi peccati æſtimanda eſt qualitas, quod admittunt imò ſuppeditant Reſponſa, peccatum quocunque modo & quavis ratione in Immaculatam conceptionem impingens, Idololatriæ & inceſtus peccato fuerit æquiparandum. Si hoc, maximè mortale eſſe oportet, atque ideò verum eſſe non poteſt, quòd ſtatuunt Reſponſa, juxta Herbipoleos quidem Dominos Theologos, quod Dogma quæſtionis, *ceu dogma fidei credendum Eccleſiæ non ſit propoſitum.* Iſti negationi aſſenſum equidē præberem, atq; conſultos Theologos, Eccleſiam ſuam non immeritò à novo fidei ad credendum propoſito Dogmate, eximire admitterem, ſi quæſtio non circa credenda ſed agenda morum diſciplinam attinentia, verſaretur. At quia omne Dogma credendum, fidem attinet, etiam Immaculatæ conceptionis Dogma, utpote credendum, fidem attinere oportet. Quo verò neceſſitatis gradu fidem attingat, haud fallaci conjecturâ è pœnarum qualitate & proportione ad peccata colligere licet. Quantò enim graviori ſub pœnarū comminatione, perhibenda dogmati fides imperatur, tantò illud proximiori neceſſitatis gradu ad fidē conſtituentia accedere, atq; cum tanta credendi neceſſitate conjunctum eſſe oportet, quanta eſt Dogma fidei credendi neceſſitas. Atqui Immaculetæ conceptioni perhibenda fides, ſub graviſſimarum

comminatione pœnarum, per Pontificiam Bullam imperatur. Ergò Immaculatæ conceptionis dogma, tanto proximiori neceſſitatis gradu ad fidem conſtituentia accedere, atque cum tanta credendi neceſſitate conjunctum eſſe oportet, quanta eſt Dogmata fidei credendi neceſſitas. Si hoc, Immaculatæ conceptionis Dogma, *ceu Dogma fidei credendum Eccleſiæ propoſitum eſſe* oportet. Atque ſic per Dnn. Herbipolitanos redditum Reſponſum malè quadrat; ſicut & Dnn. Colonienſium, priori nihilo eſt melius. Non enim magis ac prius verum eſſe poteſt, quod hi ad primam Quæſtionis meæ partem Reſpondent: nempè *poſſe quem nolle credere immaculatam conceptionem, ſine diſpendio ſalutis:* ſiquidem ſecundum Bullam Pontificiam, ille qui *non vult credere*, ſed repugnat, negat vel contradicit, talibus ſubjicitur pœnis, quales non niſi graviter & mortaliter peccantibus decernuntur: quod abundè probatum dedimus. Quomodò verò ſine diſpendio ſalutis, poſſit aliquis *non velle credere*, propter quod non creditũ, non credens ſed obſiſtens, negans & contradicens inccurrit in pœnas, non manentes alios quàm mortaliter peccantes, myſterium eſſe, meum tranſcendens ſuperanſque captum, fateor. Nec poſſum captivam ducere rationem, firmis nixam fundamentis, ad credendum quod credere jubent Reſponſa: nempè immaculatam B. V. conceptionem, juxta tenorem & præſcriptum Alexandrinæ Conſtitutionis, tale eſſe Dogma quod *non ſit de fide.* Quod equidem tantò credere poſſum minus, quantò horribilioribus illud oneratur cenſuris & pœnis, indeclinabiliter oneraturæ & afflicturæ omnes, quotquot novo recenter canoniſato Dogmati, obſiſtere, illud *negare, eiq; quocunq; modo & ratione; vel ſcriptis vel verbis contradicere* præſumſerint.

CCI. Confirmat inſuper in ſententia, Alexandri Papæ VII intentionis declaratio, quod mediante iſtâ ſuâ Conſtitutione, *cupiat in Chriſti grege unionem Spiritus, in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus & jurgiis, amotiſq; ſcandalis, conſervare.* Illud enim dogma in quo unio Spiritus in Chriſti grege, in vinculo pacis conſervatur, non poteſt non eſſe talis ſidei articulus, qui fidem conſtituat in eſſe fidei ſalvificæ. Sicut igitur ſalutarem Pontificis intentionem, atque pium, *in Chriſti grege unionem Spiritus in vinculo pacis conſervandi* deſiderium, omninò probamus, ita haud probare poſſumus cum pietate iſtâ conjunctum errorem, per quem Dogma omni deſtitutum fundamento, nulloque firmo fultum tibicine, in illos ingerit Articulos per quos unio Spiritus in vinculo pacis in Chriſti grege conſervatur. Interim tamen cedit iſtud infallibilitatis deliquium, quod paſſus hic eſt Alexander Papa VII, in noſtrum commodum, nempè ad illud, quod Reſponſa negant, ſupremâ ſummi Pontificis auctoritate & ſuffragio probandum.

Immac. conceptionem infra FIDEI articulos ponere nõ permittunt ejus PRÆROGATIVÆ.

CCII. Præter omnes iſtas ſatis prolixè adductas probationes, ſuppetunt etiam alia Immaculatam conceptionem intra fidem conſtituentium ordinem redigentia argumenta. Suppeditant ſcilicet illa, eminentes huic Dogmati deputatæ & adjudicatæ prærogativæ, ſuggerunt obtenta ampliſſima privilegia. Iſta quantò ſunt plauſibiliora, & eminentiora, tantò plauſibilius & eminentius eſſe oportet Dogma cui illa jure tribuuntur. Sed jure per Pontificia Decreta acquiſito, tribuuntur Immaculatæ conceptionis Dogmati, tàm plauſibilia & eminentia privilegia, qualia illis, quæ juxta fidem emergunt & annata vocantur, nullo per Pontificia Decreta acquiſito jure tribuuntur. Oportet utique

utique Immaculatam conceptionem plauſibilius magisque eminens eſſe Dogma, quàm ſunt illa quæ juxta fidem emergunt & annata vocantur. Si hoc, ad fidem illud pertinere ideò eſt neceſſum, quia inter utraque non dantur medii ordinis dogmata, quæ nec ad fidem pertineant, nec juxta illam emergant.

In rei dubiæ & incertæ memoriam, non eſſe agendos dies feſtos.

CCIII. Nihil nunc dicam, de annuâ Feſtivitate, quâ in Dei genetricis honorem, ejus Immaculatæ conceptionis memoriâ quotannis renovatur. De iſta ſolenni enim Feſtivitate ſuo loco dictum eſt tantum, quantum inſtituto ſufficit. Quod ſi enim indefinitum, indifferens & incertum eſſet Dogma illud, cui bono aut quo poſtulante religionis debito Feſtum agerent diem, ſuper rem dubiam & incertam! Quâ dictante prudentiâ, vel ſtimulante ſuperſtitione, Feſtum illum diem, ſplendidiſſimo cum apparatu obirent, ſub graviſſimis in Pontificum *Conſtitutionibus contentis pœnis obſervari mandarent*, ſimul ac obeundi imponerent neceſſitatem, atque inter obeuntes, ampliſſima *Indulgentiarum* diſtribuerent munera, ſi Dogma illud non eſſet fidem attinens Dogma?

CCIV. Miſſa nunc Feſtivitatis ſolennitate, videamus, quo Sacramento, ad perhibendam Immaculatæ conceptioni fidem, ſuos adſtringant Pontificii. Alias inter prærogativas eminet certè privilegium, quo non gaudent ſalvificæ fidei appenſa atque juxta eam emergentia Dogmata: nempè *juris jurandi ſacrum*, quo munita Immaculata conceptio, de occupata inter fidei Dogmata ſeſſione triumphat.

De Acad. Viennenſis Prof. in Immac. concept. Juramẽto.

CCV. Relatum mihi eſt & accipi à fide dignis, extare in celeberrima Cæſarea Vindomienſi Bibliotheca, Academiæ Viennenſi Statutorum codicem eleganter & precioſè compactum, in quo aliquid ſingulare, in aliis Aca-

demiis

demiis inuſitatum compareat ; nempè Juramentum ad perhibendum Immaculatæ conceptioni fidem obligans : atque hoc ipſum conceptis verbis præſtandum eſſe omnibus Profeſſoribus. Refero rem iſtam fide eorum, à quibus accepi : quàm ſi in diſcrimen vocarem, non facerem ſine horum injuria. Ad αὐτοψίαν provocare nequeo, ſiquidem ante quatuor ultra quadraginta annos, quando mihi obtigit Vindomienſem Bibliothecam luſtrandi facultas, in illum redacta nondum erat ordinem, in quem Vir Clariſſimus eximieque eruditus, Dominus Lambecius poſtea illam redegit : nec dum res eo erat deducta, ut dogma illud iſtoc haberetur loco, quo habentur talia, quibus fides interpoſito juramenti ſacro eſt danda. Eâ igitur ætate, quum nondum canoniſatum eſſet dogma illud, haud fallaci conjecturâ colligere mihi videor, quod Juramento iſtoc Academiæ Statuta tunc vacaverint, poſt Alexandrinam demum definitionem, acceſſione tali ſint aucta & locupletata.

CCVI. Equidem qui propiis potius quàm *alienis* oculis videre geſtio, communicationem inſtanter petii & ambivi. Petitioni autem meæ, quum præter omnem expectationem, haut ſit delatum, ferendum etiam iſtud mihi fuit animo haud iniquo : quamvis non aſſequar, quo prohibente periculo, negata mihi ſit inſtrumenti Academiæ publici, nihil complectentis arcani, communicatio. Maximè quum latere vix potuerit, quod ejuſmodi Sacramentum inter res novas & inſuetas non ſit referendum. Inter Italos enim verſanti compertũ mihi eſt, quod à tempore usq; Gregorii XV, (anteceſſoris ſui Pauli V Decretum ad privata etiam colloquia & ſcripta extendentis) in Regno Neapolitano Clerici, à Pro-Rege Immaculatam B. V. conceptionem, corporali

Juramen-

juramento adſtruendã fuerint coacti. Nec ſaniore in Galliæ quàm Neapolitano Regno, conſilio res eſt geſta. Quantumvis igitur, concepta Juramenti Academiæ Viennenſis verba, me fugiant, contentorum tamen ſummam, ex aliâ Juramenti, idem agentis & molientis formulâ, haud temerè me conjicere reor. Nempè edidit *Edmundus Richerius*, Doctor ac Socius Sorbonicus, Hiſtoriam Conciliorum Generalium, Coloniæ anno M DC LXXXIII excuſam. Hujus Tomo III pag. 504, allegatur *Juramentum Scholæ Pariſienſis*, cui in more ſit poſitum, ut omnes Doctores & Baccalaurei Facultatis Theologicæ Pariſienſis, ſe hoc obſignarent Sacramento coram tota Facultate, Decano ſic interrogante & ſtipulante: *Jurabitis, quod tenebitis determinationem Facultatis de conceptione immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet quod in ſuâ conceptione præſervata fuerit ab originali labe. Reſpondetq; Doctor & Baccalaurius*, JURO. Hujus Sacramenti formulæ, ſi Sacramentum Academiæ Viennenſis, quo ad literam & verba non eſt conformè, non multum tamen quo ad rem ipſam ei poteſt eſſe diſſimile.

CCVII. Veruntamen quum exacto Baſileenſi Concilio, anno M CCCC XCVI Pariſienſis Scholæ Facultas Theologica, Baſileenſium Patrum Decreto conforme Decretum publicaſſet, & ab illo usque tempore, atque ſic diu ante Alexandrinam Definitionem juramentum illud in Academia Pariſienſi obtinuerit, videbitur quod in Alexandrinam definitionem, cauſa exacti juramenti haud quaquam poſſit devolvi, atq; proindè malè eſſe illatum, quod in Viennenſis Academiæ Statutorum codice juramentum non extiterit prius, quàm Dogma ipſum per Alexandrum Papam VII ſit canoniſatum: ſiquidem nihil prohibeat quo minus Juramentum illud tàm diu obtinuerit uſurpatum.

Baſileenſis Concilii Decreta Pariſiis recepta.

patumque quàm diu obtinuit & uſurpatum eſt Pariſiis: à ſeculo ſcilicet decimo quinto usque in hæc noſtra tempora. Prævisæ huic objectioni occurrendum eſt, ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ eruta reſponſione: Quod videlicet Sorbona Pariſienſis, Decretis Concilii Baſileenſis, conſtanter (non attentâ Pontificum exacto Conſilio & deinceps ſedentium reprobatione) inhæſerit, atque inviolabile & Sacro ſanctum illud habuerit: ex adverſo Academia Viennenſis non item. Qua propter in ordine ad Sorbonam conceſſerim, Juramenti iſtius natales, ab Alexandrino Decreto haud eſſe accerſendas. Viennenſis autem Academia, quum ſecundum communiorem magisq; receptam Eccleſiæ Pontificiæ ſententiam, Baſileenſe Concilium eo loco non habuerit, quo poſuerunt Pariſienſes Theologi haud mirum ſi Concilium ceu ſpurium & acephalum reprobantes, Dogma quoque in tali Synodo definitum reprobaverit; ex adverſo illis, quibus irrefragabilis habita definientis Concilii autoritas, illud approbantibus. *Bellarminum* ſi audiamus, *Hujus Concilii nihil eſt ratum & probatum, niſi quædam diſpoſitiones circa beneficia Eccleſiaſtica, quæ à Concilio factæ fuerunt, quas (pacis & unitatis gratiâ) Nicolaus V Pontifex approbavit. Concilium verò ipſum reprobatur in Concilio Lateranenſi ultimo Seſſ. XI.* Lib. I. de Conciliis Cap. VII, §. Sextum. Et iterum Lib. III de Eccleſiâ Cap. XVI §. Tertio &c. adverſus Baſileenſe Concilium Bellarmini indignatio eo erupit, ut profari haud ſit veritus: *Non fuit Concilium Eccleſiæ, ſed conciliabulum, ſchismaticum, ſeditioſum & nullius prorſus auctoritatis.* Baſileenſe itaque Concilium, in Curia Romana tanquam ſpurium & acephalum habitum, quum in maximâ Pariſiis eſſet veneratione, inde factum, quod in Sorbonæ Docto-

Baſilenſe Concil. reprobatum.

Doctorum ore verſarentur præclara encomia, per quæ Dogmati in Concilio definito, præ aliis juxta fidem è mergentibus articulis eximia tribueretur prærogativa. Talia ſunt, *Avitæ fidei & pietatis majorum* : item *Catholicæ fidei* prædicata. Utrumque probandi mihi incumbens onus ſuſcipio: quo ad prius quidem, adductis ipſius Edmundi Richerii verbis, quæ citatæ Hiſtoriæ pag. 512 leguntur & ita habent : *Ex omnibus Galliæ partibus, querelæ ad Facultatem Pariſienſem deferebantur : adeò ut omnes Magiſtri quaſi ſocordiæ accuſarentur quod paſſi eſſent* AVITAM FIDEM ET PIETATEM MAJORUM *ſuorum labefactari & in ambiguum vocari.* Poſterioris probationem ſuggerunt Acta Comitiorum vel Synodi Pariſiis anno MDLXXV, ipſis Calendis Februari coacti, in quo congregatorum Doctorum una & concors hæc fuit Concluſio: *Se credere & profiteri* CATHOLICA FIDE *tenendum, B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali : idq; & Conſtitutionem Synodi Baſileenſis & formulam Sacramenti, quod exigitur à Facultate, declarare : nec non ſimiliter confirmari officio & cultu Divino, quod ab Eccleſiâ Catholicâ, in Feſto conceptionis B. Virginis celebratur.* Richerius addit & affirmat: quod ſolennia iſta Pariſienſia Comitia, indicta ſint, SUB JURAMENTO IN MATERIA FIDEI, i. e. ſub fide iſtius juramenti, quod obligat ad tuendum & à corruptelis vindicandum capita doctrinæ Chriſtianæ quæ ſunt de fide. Hoc enim nihilque aliud, formulam Scholæ iſtam, *In materia fidei*, ſignificare oportet. Quid autem ad *Avitam fidem*, ad *Pietatem majorum*, quid ad *Catholicam fidem*, pertinet atque eo referendum, ſi non ipſi fundamentales fidei articuli eo pertinent, eo non ſunt referendi ? Quid conſtituit *Materiam fidei*, ſi non conſtituunt,

Encomia quibus Immac. concept. ornavit Sorbona.

unt, integrant & complent, veri *Fidem* in eſſe fidei collocantes *Articuli*? Et quid opus eſt multis quum, paucis rem omnem expediat Richerius, quando *Concluſum eſſe*, ait, *& ſtatutum; Catholicâ fide tenendum, B. Virginem nunquam originali maculæ ſubjacuiſſe.* Porrò verò, ad Jeſuitarum inter quos tunc eminebat *Johannes Maldonatus* objectionem; quod Baſileenſis Synodus, non abſolutè hanc definierit controverſiam, tanquam de fide Catholicâ credendam, ideoque nullum contra renitentes appoſuerint Anathema; ad hanc, inquam, objectionem reſpondet, aſſumto exemplo, quo probat quod Concilium ad aliud quoque doctrinæ caput, non minus quàm hoc fide Catholicâ tenendum, nullum oppoſuerit Anathema: *Patres Baſileenſes*, inquit, *qui quidem poſt Synodum Conſtantienſem decreverant, Eccleſiam & Concilium Generale immediatam habere auctoritatem à Chriſto, idq; fide Catholicâ tenendum, neq; tamen ullum Anathema Decreto ſuo appoſuerant. Et ita liquet*, CANONES FIDEI, *non ſemper pœnâ Anathematis concludi, quod ſimiliter antiquorum Patrum exemplo probari poteſt.* Cœcum eſſe oportet qui non videat, Sorbonicum hunc Doctorem, utrumque Dogma inter *Canones fidei* retuliſſe, adeoque & hoc & illud, loco veri Catholicâ fide tenendi, Articuli habuiſſe.

Secundùm Sorbonã Immac. conceptio eſt de fide.

CCIIX. Sunt certè iſta usque adeò evidentia, ut non ulli dubitationi locum reliquant, quod usque à celebrati Baſileenſis Concilii tempore, Sorbonici Doctores in eâ fuerint ſententiâ, quod Immaculatam conceptionem adſtruens & probans Dogma, ad avitam, ad Catholicam fidem, ad materiam fidei, ad Canones fidei pertineat. Nihilo etiam magis de re usque adeò manifeſtâ, dubitare patitur Juramentum Theologiæ in Academia Pariſienſi Profeſſo-

rum,

rum, ſupra recitatum. Mutaſſe autem illos, poſt promulgatum Alexandri VII R. Pontificis Conſtitutionem, per tàm longum temporis tractum acriter (ſpreta etiam Pariſienſis, à Jeſuitarum & Maldonati parte ſtantis, Epiſcopi excommunicatione) propugnatam ſententiam, tantum abeſt, ut accedente Pontificia definitione, magis magisque ſint confirmati. Quod ſi igitur, per temporum in quæ, proh dolor incidimus, iniquitatem & injuriam Sorbonam conſulere licuiſſet, indepturum me fuiſſe Reſponſum, illi quod & Colonienſes & Herbipolitani Dnn. Theologi dederunt, in faciem contradicens, tàm mihi ſum certus quàm qui certiſſimus.

CCIX. Belli iſtius Mariani quod in Gallia, Pariſiis præſertim & Rothomagi ſic exarſit, ut in Republ. motus cieret, in Eccleſia Schisma faceret; ſtatim ſub initium Num. VII ingeſta eſt mentio. Quæ autem apud Edmundum Richerium, ex Actis tabularii Sorbonæ, *Jacobi Fabri* Facultatis Syndici induſtriâ aſſervatis, excerpta poſt illa legi, extremo pollicè ibi tacta, egregiè illuſtrant. Attamen quum commune ſit Hiſtoricorum vitium, ut difficulter diſſimulare poſſint cui plus minuſve faveant parti, & Fabro & Edmundo obtigit, ut in ſequiorem (quam Sorbona à multis usque Seculis probavit & propugnavit) ruerent ſententiam. Adverſus Franciſcanos (à cujus partibus ſtetit Sorbona) inſurrexerant Thomiſtæ, inter quos & Scotiſtas innata æmulatio in hoc fortè ſeculo non eſt intermoritura. Inter Thomiſtas, Domicani & Jeſuitæ tunc eminebant, atque inter hos *Johannes Maldonatus*, cujus memoria in editis ſupra Scripturam Commentariis, eſt ſuperſtes. Hic ſententiam, non quidem veram, ſed alterâ ſaltem veriorem minusve malam maſculè quum defenderet, atque

Bellum Marianũ in Gallia.

Conceptionarij.

ſequiorem ſtrenuè impugnaret, omnis turbatæ publicæ quietis & concitati Schiſmatis faba cuſa eſt in Maldonatum Delatâ iſtâ Maldonati cauſâ ad Pariſienſis Academiæ Rectorem, *ſtatim* iſte *quatuor Facultates Univerſitatis ad Comitia generalia evocat.* Per Rectorem, communi omnium Academiæ Ordinum conſenſu, Epiſcopus Pariſienſis *Petrus Gondius*, ad ferendum B. Virgini, (cujus natales vocarentur in dubium) opem & ſubſidium fuit implorandus. Sed non ceſſit conſilium è Franciſcanorum & Sorbonæ ſententiâ, ſiquidem accuſat Hiſtoriographus Jeſuitarum vafriciem (quod quidem nec eſt novum nec infrequens) quod *conſilium artificiosè excogitatum*, Epiſcopo ſuggeſſerint, ut Theologos, qui cauſam cognoſcerent, deligendi poteſtate Collegio ademtâ, ipſe nominaret ſibi obnoxios, juniores, adſcitis quidem etiam quibusdam ſenioribus, qui tamen ſicut numero eſſent inferiores, ita votorum ſuperarentur pluralitate. Pariſienſis igitur Epiſcopus congruenter ad Juniorum Theologorum ſententiam, juxta Maldonatum pronunciat.

CCX. Ita verò cadente aleâ, quantò magis exſultarunt Jeſuitæ, atque Pariſienſibus Theologis inſultarunt, tantò hos habuit peius, quod non tantùm cauſâ ceciderint, ſed ſugillarentur inſuper à Jeſuitis. Et quod amplius eſt, ſub ſpecioſo prætextu, in Galliis, Acta Baſileenſis Concilii mordicus defenderentur, Romanæ Curiæ odium Sorbinicis Doctoribus crearetur. Iſtam maculam quum eluere laborarent, atque circumventi Jeſuitas viciſſim circumvenire intenderent, ſubjit animum quod ars eludatur arte. Nempè memorant Fabri Acta, quod *anno MDLXXV prima die Februarii, ſolennia illi indixerint Comitia, ſub juramento in materiâ fidei, (formula eſt Scholæ) & nullâ factâ*

mentione Decreti Pariſienſis Epiſcopi aut Jeſuitarum, M. Adamus Sequart Decanus Facultatis, omnes & ſingulos Magiſtros Theologiæ congregaverit, qui in medium conſulentes, concluſerint & ſtatuerint Catholicâ fide tenendum, *B. Virginem nunquam originali maculæ ſubjacuiſſe, conformiter ad ſanctionem Patrum Baſileenſium. — Hæc ubi ad Pariſienſem Epiſcopum & Jeſuitas perlata ſunt, multò gravius, ait, in Ordinem Theologorum Pariſienſium exarſerunt: eoq; Pariſienſis Epiſcopus rem deduxit (tum enim regnante Carolo IX, ſummâ gratiâ in aula Regis pollebat) ut doctores ſeniores ſupra memoratos, Decanum ſcilicet & Syndicum Facultatis excommunicationis telo feriret: Qui quidem ab ejuſmodi Sententiâ tanquam ab abuſu provocarunt: cauſaq; in Parlamento perorata eſt, ipſomet D. Gondio Pariſienſi Epiſcopo præſente atq; ſedente; Decretumq; ab ampliſſimo Ordine, ut boni illi Doctores, ad cautelam abſolverentur.*

CCXI. Atque ſic, iſta quidem ætate certamen illud, non ſine offenſione & ſcandalo, eſt decertatum; ſuccumbentibus illis, qui ſequiorem amplecterentur ſententiam; indepti *Conceptionariorum* cognomen. Adverſus Sorbonam verò Curiæ Romanæ Jeſuitarumque Pontificem ſupra omnem quæ ſub cœlo eſt dignitatem & auctoritatem evehentium odii, ſi non una & ſola, primaria certè cauſa eſt, quod Baſileenſis Concilii decreto conformiter ſtatuit, *Concilium eſſe ſupra Pontificem.* Non diſſimulat Bellarminus, iſtam concepti erga omnes ita ſtatuentes odii cauſam quando Lib. II de Conc. Cap. XI §. Tertio &c. *Concilium Baſileenſe*, ait, *Seſ. II, unà cum Legato Pontificis communi conſenſu ſtatuit, Concilium eſſe ſupra Papam, quod certè nunc quidem judicatur erroneum.* Nec aliam internecini odii cauſam allegat ipſe Eduardus Richerius, quando

rei

rei geſtæ Hiſtoriam ſecundum Acta tabularii Sorbonæ recenſens, queritur quod iſtius *Curiæ oppoſitiones & exceptiones nullo modo venire potuerint in rem judicatam*, nullam aliam apparentem ſaltem rationem allegat quàm hanc ſolam, quod *Curia tueatur*, *ampliorem eſſe Papæ quàm Concilii auctoritatem* (quod Sorbona non agnovit nec dum agnoſcit) atque ideò ait, *mordicus obſtare, ne quis credat aut ſibi perſaudeat, veritatem Immaculatæ conceptionis, robur habere à Synodo Baſileenſi; quam omni conatu ſubvertere moliantur. Unde nuper*, pergit, *ex Tomis Conciliorum Generalium Romæ editorum, Baſileenſe tanquam ſpurium, &, ut vocant, Acephalum, expunctum eſt: quod ad quæſtionem facti ſpectat: contra quam nemo, quantumvis innocentiſſimus & ſanctiſſimus, ſecurus & munitus eſſe poteſt.*

Baſil. Cōc. Rom. Concil. Tomis expunctū

CCXII. Sed quod *nullo modo Romæ venire potuiſſe in rem judicatam*, Rigerius perhibet, Alexander Papa VII, nullius Concilii auctoritate nixus, adverſus horum potius, indefinibile Dogma illud ſtatuentium intentionem, per meram & ſolam ſuam propriam voluntatem, Pontificalemque auctoritatem in *rem judicatam* deduxit: & ita quidem deduxit, ut in ſequiorem, quam Sorbona tuebatur ſententiam, definierit. Regnantibus autem inter Pontificios Dominicanis, tunc quando in Galliis inter Conceptionarios & Anticonceptionarios geſtum eſt bellum iſtud, Doctores Sorbonicos, eum quem hodie cauſa iſta ſortita eſt eventum, potuiſſe ſibi promittere tantum abeſt, ut potius negotium hoc, Romæ *nullo modo venturum in rem judicatam* crediderint, & de venturi Papæ plus quàm favorabili ſententiâ, in quam Alexander præcipitanter eſt abreptus, ne minimam quidem ſpem potuerint concipere.

Eâ

Eâ enim tempeſtate, libertas nondum ſub iſto ſudabat jugo, cui ſacrilegiâ Alexandri manu eſt ſub miſſa.

CCXIII. De reliquo, rationum momenta quibus Immaculata conceptio nititur, expenſurus Rigerius, argumentis utitur quæ Rhetorica potius ſunt quàm Dialectica, vix ac ne vix quidem ſaudentia ne dum ſtringentia, quæ evincant & dilucidè probent quod probandum erat. A S. Scripturâ, Auguſtino atque ab aliis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus emendicata, pleraque in antecedentibus excuſſa ſunt & confutata. Operæ igitur pretium facturus haud eſſem, ſi illis repetendis tempus triverim. Quàm enim in facti quæſtionibus, imbecillia ſint à congruo & conveniente accerſita argumenta, per ſe liquet. Interim tamen unum atque alterum, anteà vel non tactum, vel mihi meæve, quam ad redarguendum Conſultores meos ago cauſæ, ſecundam adſpirans auram, intanctum non eſt prætereundum, ſed utiliter aſſumendum. Ad nondum tacta pertinet, ſubſtratum Diſputationi fundamentum. Hoc bono Edmundo tàm viſum eſt ſolidum, ut omnem Conceptionis molem, hujus robore tanquam Atlantis humeris ſuſtineri, atque acutum & ſubtile dicendi genus, in quo mirificè ſibi placet, omnem Conceptionis maculam eluiſſe crediderit. Specioſum ſcilicet nec trivialis ſcientiæ Magiſtri vox eſt, quâ aliqua *pro firmamento totius cauſæ obſervanda* declamat Quæ verò *de* civitatum & Eccleſiæ fundamentorum concordiâ; *de* potiori neceſſariorum quàm utilium habita ratione; *de* ſenſim facto ad externa progreſſu; *de* aliquibus ad Hæreſin Pelagianam proclivius debellandam, nondum publice propoſitis ſed occultatis, perorantur, leviora ſunt quàm ut aliquam monſtrandæ levitati locandam operam poſtulent. Laudata tamen ſingula *totius* *Richerii argumenta Rhetorica non Dialectica.*

malæ *cauſa firmamenta*, adeò ſunt infirma, ut propriâ confeſſione, ab ultima ætate ducendæ Dogmatis natales, novitatem ejus prodant potiùs quàm ut antiquitatis ei inducant colorem. Miſſis igitur his, accuratius expendenda erunt illa, quibus pluſculum tribuendum ponderis. Ipſa igitur Autoris verba, quibus explicatius animi ſententiam declarat integra hîc ſunt repetenda: *In hac Diſputatione longe aliud eſt quærere, an B. Virgo quo ad jus, debitum, obligationem & in Actu ſignato, ut in Scholis Diſputant, an autem de facto, re vera & in Actu exercito peccatum originale contraxerit? Nam cum omnia individua Synonyma in ſuis contineantur ſpeciebus: atq; primus parens Adamus ſive gratiam ſive culpam originalem conſideres, rationem habuerit ſpeciei reſpectu totius humani generis, quod ab illo tanquam à ſpecie originem repetit: Sanè oportet cunctos mortales, ne quidem B. Virgine demta, quantum ad jus, debitum, obligationem, habitum & in Actu ſignato, labem originalem contraxiſſe in Adamo: veruntamen quo ad factum & in Actu exercito, gratiæ prævenientis beneficio liberatam merito paſſionis Chriſti, quod ei per anticipationem collatum eſt: Quoniam ipſo articulo temporis quo Deus animam B. Virginis in corpus organizatum infudit, gratiæ prævenientis amuleto ſic eam munivit, ut actu & realiter maculâ peccati originalis nullo modo inquinari potuerit.* Quod de obligatione ad contrahendum in Adamo peccatum, quod de habitu & actu ſignato memorat, veritatis vi extortum ſatis rectè ſe habet: at quod de Actu exercito re verâ & de facto non contracto originali peccato ſubnectit, cum omnibus appenſis probationibus nullius eſt oboli. In quacunque verò Diſputatione probationes claudicant; ibi etiam extremum Diſputatoris niſum vacillare & omnem claudicare oportet ſucceſſum. Unde verò probat quod B. Virgo

Rigerii propoſitio.

Propoſitionis ſolutio.

Virgo *quoad factum & in actu exercito* nullâ peccati origiginis maculâ unquam fuerit commaculata ? In promptu cauſa eſt, quia *Gratiæ prævenientis beneficio, liberata merito paſſionis Chriſti, quod ei per anticipationem collatum eſt.* Tria hîc citra omnem probationem, de Virgine affirmantur. Unum eſt, *Gratiæ pervenientis beneficium.* Alterum, *Liberatio* à P. O. *merito paſſionis Chriſti* facta. Tertium; quod meritum illud *per anticipationem ei ſit collatum.* In conſiderationem nunc vocanda ſunt ſingula, hîc memorata & aſſerta. Prius, *Gratiam prævenientem* quod attinet, hac, ſicut non ullus mortalium eam anhelans deſtituitur, ita, ſi eadem B. Virgo privaretur, infra omnium reliquorum hominum conditionem collocaretur: quod ſicut iniquum ita cum ſummâ ejus injuriâ conjunctum foret. Alterum; quod *liberatio* à P. O. renatis *merito Chriſti* tribuitur, ad meriti hujus verâ fide ſibi applicantium pertinet efficaciam. At meritum illud eſt univerſale, & pertinet ad omnes omnino homines pro quibus horumq; peccatis, ſufficientiſſimum ſatisfactionis precium, Deo Patri in ara crucis obtulit. *Sic* enim *Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret, ut* OMNES *qui credunt in eum, non pereant ſed habeant vitam æternam.* Et iterum: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemtionem pro multis*, Matth. XX,20. *Pro multis* i. e. omnibus; ſicut alibi, *Multi dormientes* &c. ſignificat omnes. Sed obtulit ſatisfactionem pro univerſis. Si igitur vi meriti Chriſti penitus ab Or. Pec. liberata eſſet B. Virgo, ab eodem liberati eſſent ejuſdem meriti vi, omnes omninò homines, ſiquidem meriti iſtius univerſalitas, quenquam mortalium ab eo eximi haud patitur. Verùm Chriſti meritum non à P. O. ſed ejus reatu, ne verâ fide illud ſibi applicantibus & S. Baptiſmi lavacro initiatis imputetur ad mortem, liberat

Hactenus itaq; meritum Chriſti ad unum caput univerſali omnium ruinæ eximendum nullum efficax ſuppeditat argumentum, adducti crura potius confringit. Veruntamen, partæ per meritum Chriſti immunitatis à P. O. ratio ſubditur iſta (quæ Tertium locum occupat) *quod B. V. per anticipationem collatum ſit* meritum paſſionis Chriſti, cujus prævenientis gratiæ beneficio à P. O ſit liberata. Sed decretum de redimendo genere humano per meritum paſſionis Chriſti eſt æternum, & ab æterno ſumus redemti. *Per proprium* enim *ſanguinem introivit ſemel in ſancta,* ÆTERNA REDEMTIONE *inventa.* Hebr. IX, 12. Numquid verò etiam in indiviſibili æternitate èſt prius & poſterius, ut meritum paſſionis Chriſti æternum, B. Mariæ per *anticipationem* conferri, & per collatum, à P. O. prius quàm Adam peccaret, imò priùs quàm eſſet creatus, liberari potuerit? Dic ſodes, an æternitatem quæ nec initium habet, nec finem eſt habitura, quicquam poſſit anticipare? Rectè igitur dixeris, meritum paſſionis Chriſti eſſe æternum, at minus rectè, meritum illud æternitatem anticipaſſe: hoc enim eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Quid ſi regeſſerint? æternum redemtionis meritum in tempore applicatum, P. O. anticipaſſe. Hoc verò verſatur in quæſtione, atque ipſum illud κρινόμενον eſt quod probandum erat, non autem probaturi ſunt in æternum.

Probatio. CCXIV. Certè non probat, quod tamen probationis inſtar aſſuitur: nempè; *Quoniam ipſo articulo temporis, quo Deus animam B. Virginis, in corpus organicum infudit, gratiæ prævenientis amuleto ſic eam muniverit, ut actu & realiter, maculâ peccati originalis nullo modo inquinari potuerit.* Sed hoc aliquid nihil eſt, petitio principii eſt ejus quod iterum erat probandum: nec tamen hoc (de *gratiæ prævenientis amuleti* ſomnio) ſilente Scripturâ probaturi ſunt felicius, quàm probare poterunt prius.

Probatione indiga.

CCXV. Ad huc unum, ſilentio ideò non eſt ſepeliendum, quia ſuppetidat ibi aliquid Rigerius, quod opportunè ad data mihi Reſponſa applicare atque illis, utpotè iis contrarium, opponere licet. *Quum cultus*, inquit, *exterior in Religione, quædam ſit noſtræ Fidei profeſſio ut omnes fatentur. Eccleſia autem Catholica Feſtum Immaculatæ conceptionis veneretur: Procul dubio ſicut ex aliorum Feſtorum Sanctis dicatorum celebratione colligimus fide Catholicâ, illos eſſe Sanctos: Pariter ex Officio Conceptionis evidenter ac neceſſariò inferimus*, FIDE CATHOLICA TENENDUM, *B. Virginem ab omni reatu culpæ originalis eſſe immunem.* Hoc verò ſicut parum aut nihil potius Conceptionariorum cauſam juvat, ita meam adverſus Colonienſium & Herbipolitanorum Reſponſa tuetur, hoc ipſo, quod Immaculatæ conceptionis dogma *Fide Catholicâ ſit tenendum*, è *cultu exteriore*, quippè qui *ſit quædam Fidei profeſſio*, *evidenter & neceſſariò inferri* ibi docemur. Quodcunque verò Dogma, Fide Catholicâ eſt tendum, illud non poteſt eſſe annarum, ſed ad ea pertinere oportet, quæ Fidem Catholicam in eſſe Fidei Catholicæ conſtituunt: quod quamvis nec credam nec probem ego, mihi tamen adverſus Reſponſa probandum erat. Atque omninò confirmat illud concluſio, in quam Rigerius deſinit his conceptis verbis: *Conſequenter argumento ad hominem inſurgit*, FIDE CATHOLICA *credi oportere, SS Virginem abſq; maculâ originali conceptam.* Quod argumentum ad hominem (ad Colonienſes atque Herbipoleos Dnn. Theologos) validum eſſe oportet. Accedit *Salmeronis, Suareſii, Vasqueſii, atq; aliorum doctiſſimorum Theologorum* Jeſuitarum *Sodalitii*, ibi allegata auctoritas, qui *tanquam Fide Catholica* Immaculatam Conceptionem *credendam* aſſeruerint. Si verò in Gallia Sorbona, in Hiſpania

Richerii cum Colon. & Herbip. colliſio.

celeberrimi Jeſuitarum Sodaliti Theologi, Immaculatam conceptionem FIDE CATHOLICA CREDENDAM aſſeverant, quare in Germania ejusdem Soldalitii Colonienſes & Herbipolitani Dnn. Theologi negant illud quod iſti aſſeverant? Quare *Fide Catholicâ credere* prohibent, quod illi tali fide credendum affirmant? Itane bellum inteſtinum inter fidei domeſticos excitandum? Contradictoriè oppoſitiæ propoſitiones, (nempè, Immaculatam conceptionem eſſe *Fide catholicâ credendam, & non eſſe Fide Catholicâ credendam*) ſunt certè inconciliabiles, atque malæ & deſperatæ cauſæ teſtes omni exceptione majores. Concilient cum Sorbonicis & Jeſuiticis à Richerio in ſubſidium & teſtimonium vocatis Doctoribus, Colonienſes & Herbipolitanos Jeſuitas, illi quorum intereſt & qui poſſunt, me non poſſe ingenuè equidem fateor.

Auguſtinus Abbas Einſidlenſis Colon. & Herbipol. contrarius.

CCXVI. Eccum verò, *Auguſtinum Dei gr. Abbatem Einſidlenſem*, oportunè mihi venientem in occurſum. Agite igitur Quirites, attendite ad viri in hanc rem verba, quæ ita habent: *Sanctiſſimæ Deiparæ*, inquit, *ex peccato originali Puritatem, efficaciter probari, infertur ex illo ſacro textu*: Tota pulchra es, & macula non eſt in te. *Ratio eſt. Nam ſi ſacer textus in ſenſu literali accipiendus eſt de Sanctiſſimâ Deiparâ; Ergo efficaciter probat ejus immunitatem ab omni etiam originali maculâ. Antecedens probatur. Nam locus S. Scripturæ, in quo fundatur articulus qui vel ſit* DE FIDE, *vel* FIDEI PROXIMUS, *debet continere literalem talis articuli ſenſum.* Ex Divo Thomâ: 1. p. q. 1. art. 10. ad 1. *At Doctor Angelicus* 3. p. q. 27. a. 4. *ſuper illo textu ait fundatam Veritatem (quæ ſit vel* DE FIDE, *uti docet Suarez, vel Fidei ſaltem proxima) de Sanctiſſimæ Deiparæ immunitate ab omni actuali veniali peccato, ex Conc.*

Tridentino. Hic ipſe verbò ſacer textus, tùm ex univerſitate verborum tùm ex negatione maculam ſimpliciter ac univerſaliter removente à ſanctiſſimâ Deiparâ non minùs habet efficaciæ ad probandum ejus immunitatem à peccato originali. Sicut igitur Sanctiſſimæ Deiparæ ab omni actuali peccato immunitas, fundatur ſuper illo ſacro textu, ſic ex iſto æquè probatur efficaciter immunitas ipſius ab originali culpâ. Iſta Auguſtinus Abbas Einſidlenſis; de cujus inconveniente ſacri textus ad ſolum B. Mariam applicatione atque de tortarum imbecillitate conſequentiarum, nihil nunc dicam, hoc ſaltem reticere nequeo, & per illa, quæ bonâ fide ex prolixâ modo dicti Abbatis Diſputatione ſunt excerpta atque repetita, & per priora à Pariſienſibus Theologis ſuggeſta, adverſus Colonienſes & Herbipoleos Dnn. Theologos, plenè me probaſſe, cujus probatio, pro præſenti quidem, mihi incumbebat: nempè quod Immaculatam Conceptionem complectens Articulus DE FIDE ſit, atque CATHOLICA FIDE CREDENDUS. Hoc ſcilicet ipſum illud eſt κείμενον ad quod Reſpondendum, à me conſulti Dnn. Theologi ſunt Requiſiti. Eſt Controverſiæ caput, cujus deſiderata & expetita eſt deciſio. Cecidit autem datum Reſponſum, præter omnem expectationem in partem negantem; totâ interim Pariſienſi Univerſitate cum Sorbonâ, Auguſtino Abbate Einſidlenſe, atque antea adductis Hiſpanis, inpartem euntibus affirmantem. Deciſa ſic eſt controverſia, ut decidentes municipalis fidei conſortibus atque his illi, in faciem contradixerint. Nec fecerunt illi hoc obiter, quaſi aliud, ſed ipſum illud de quo requiſiti erant, agentes, datis Reſponſis Facultatum Sigillis munitis. Nec altera pars oſſitanter rem geſſit, quippè quæ Dogma illud non incidenter &

Κείμενον & totius controverſiæ Caput.

Colon. & Herbipol. in faciem contradicitur.

veluti in tranſcurſu attigit ſed ex inſtituto excuſſit, editis & promulgatis ſuper illud ampliſſimis Commentariorum, multiplici Approbatione tumentibus voluminibus. Quid verò inde? Quid vel Gallorum, vel in extremo Italiæ Germaniæque limine hærentium diſſenſus ad Colonienſes & Herbipolitanos Dnn' Theologos? Anne integrum, ut quisque ſuo abundet ſenſu? Pace Veſtra, ô boni, ad iſta regere mihi liceat: poſt Alexand. Conſt. in Immaculatæ conceptionis negotio, non eſſe quod olim fuit, amplius integrum. Eſto tamen aliquid in negotiis fidem non attinentibus, eſſe vel ſic vel aliter ſtatuere integrum, anne par licentia graſſabitur per Dogmata fidei univerſa? Si in illorum qui præ aliis Catholici eſſe & pro talibus haberi volunt, medium proponatur quæſtio, *An certum aliquod Dogma ſit* DE FIDE *& Articulus talis qui* FIDE CATHOLICA *ſit tenendus?* illos, ſiquidem veri, fuerit Catholici, uno ore loqui & in eandem ire oportet ſententiam. Horum aliqui ſi negaverint illud quod affirmant reliqui, utraque & affirmans & negans pars, non poterit ceu Catholica æſtimari, ſed alterutram vel negantem vel affirmantem acatholicam & heterodoxam eſſe oportet. Ratio eſt, quod circa fidei negotium verſantes contradictoriè oppoſitæ ſententiæ, ſimul non poſſunt eſſe veræ, ſed alterutram, vel negantem vel affirmantem, falſam eſſe oportet. Si hoc, illa quæ falſa eſſe fuerit comperta, hæretica quoque fuerit, quia hæreticum eſt, aliquid *Fide Catholica tenendum* reputare inter non credenda, & redigere in iſtorum Dogmatum ordinem, quæ *non ſunt de fide.* Rebus verò ita comparatis, quid futurum de his, qui in hanc ſchenam prodeunt Catholicis? Colonienſes & Herbipolitani (citra dubium, ſecundum opinionem vulgi, Catholici Theo-

Theologi) illud ipſum quod in Gallia Pariſienſis Univerſitatis & Sorbonæ Doctores cum aliquibus Germanis, *Fide Catholicâ, tenendum*, magno conſenſu affirmant, hoc illi DE FIDE eſſe negant. Qui affirmant, illis qui negant, nec dignitate ſunt inferiores, imò ſuperiores (quippè inter quos Abbas qui ſimul S. R. Imperii Princeps) nec minùs quàm illi ipſi, pro Catholicis in univerſo Regno Pontificio habentur. Aut itaque hos aut illos, non Catholicos, ſed, ſi non hæretici fuerint, minimùm tanquam heterodoxos, in Eccleſiâ in quâ Romanus Pontifex ſedet & dominatur, latè per orbem diffusâ, habendos, è dictis vento ſufflante ſecundo, fertur in ſequelam & concluſionem ſubitò.

CCXVII. Relinquo nunc candido Lectori judicium, eviceri mne quod in conſilium vocati utriusque Academiæ Domini Theologi, non ſecundum notoriam & univerſaliter uſurpatam Romanæ Eccleſiæ praxin, non ad obtentam eminentiæ dignitatem, non ad Canoniſati Dogmatis indolem & naturam convenienter ſua adornaverint Reſponſa? Equidem quamvis iſta omnia plus ſatis viciſſe mihi videar, non tamen illis, qui à conditi *novi fidei articuli* culpâ, Eccleſiam aut potiùs Pontificem ſuum liberare, extremo nituntur conatu, poſſum indignari, aut ſtudium elabendi vertere in vitium. Alexandri enim Papæ VII præcipitantiam, per quam Immaculatæ conceptioni, Articuli Fidei dignitas eſt collata, quum & agnoſcant, & temeritatis iſtius eos pudeat, non magis ad elabendum ſtrata inventa eſt via, quàm eſt iſta quæ eam ingreſſis, etiam illud quod plus quàm evidens eſt, audacter ſine pudore negandi portam pandit. Quod ſi itaque fortè offenderim Dominos Conſulentes meos, offenſam deprecatum, eosque rogatum venio, velint ipſi prudenter ſecum expendere, quod de iſtorum Dogmatum, quibus in-

Provocatio ad Lectoris judicium.

terpoſito Juramenti ſacro, dataque in pignus anima, locanda & ſervanda eſt Fides, inſita indole & innatâ naturâ ſit, ut non levis ſed graviſſimi habeantur ponderis, atque talia ſint Dogmata, qualia fidem attinent, eamque non è longinquo ſed proximo attingunt. Suſpenſo aliquantiſper partium ſtudio, dicant ipſi, quid ſtatuendum ſit de dogmate, cui vel perhibenda fides, vel perhibere detrectanti graviſſimæ ſint tolerandæ cenſuræ, vel ipſa etiam Excommunicationis, privationisque ab ingreſſu Eccleſiæ pœna ſubeunda: Dicant, inquam, an tàm graves cenſuras, pœnas, & Eccleſiaſtici fori ſupplicia, provocans Dogmatis neglectus, Dogma ſit DE FIDE, vel Fidei appendix? Aut prius aut poſterius erit eligendum, quia non dantur medii generis Dogmata, (non quidem agenda ſed credenda attinentia,) quæ & de fide ſint, & non ſint de fide. Poſterius, quod Immaculata conceptio, (1) quotannis ſolenni celebranda ſit feſtivitate, (2) quod Jurejurando firmanda, (3) quod extremo Eccleſiaſtico vindicanda ſupplicio, abundè quum ſit probatum, ultrò ſequitur quod potiori ſit habenda loco, quàm habentur Dogmata quæ non ſint de Fide, ſed juxta eam emergentes appendices. Reliquum igitur eſt nihil, præter hoc unum & ſolum, ut agnoſcant & fateantur, Immaculatæ Conceptionis Dogma, non quidem ſecundum rei veritatem, ſed juxta probata, eſſe de fide.

Expoſitio verborũ Salomonis in Cantico. CCXIIX. Iſtis, circa quæ natæ & agitatæ inter nos controverſiæ cardo vertitur, ſic nunc expeditis, in illis acquieſcere, atq; reliqua intacta dimittere poſſemus. Veruntamen quum ſecundum, Auguſtini Einſidlenſis Abbatis mentem & ſuffragium, ſacer Cantici textus, ſit ille *Scripturæ locus, in quo* non tantùm *fundetur Articulus iſte qui ſit vel de Fide, vel Fidei proximus,* ſed eundem quoque locum B. Mariæ Virginis *immunitatem ab omni etiam Ori-*

 ginali

ginali maculâ, efficaciter probare exiſtimat, atque è tractis in probationem Salomonis verbis, argumenta torqueat quæ omninò nihil, ne dum *efficaciter probant* illud, cujus probationem ſuſcipit, inſoluta illa non ſunt dimittenda. Et quidem ideò potiſſimùm ſic non ſunt dimittenda, quod in Scripturæ locorum, quibus pars adverſa, ad probandam immaculatam conceptionem abutitur, ſolutione, iſtum Cantici locum non attigerim. Non attigiſſe ajo: non quidem ideò, quod iſtud quodque Prophetici oris dictum, corrumpi & in abuſum verti ignoraverim, ſed quod argumenta inde exterebrata, inter leviuscula, de quibus non magnopere ſit laborandum reputaverim, atque redigenda duxerim. Agite verò, videamus nunc cujus iſta ſint precii & valoris? Invalida atque ad probandum illud, quod bonus Vir efficaciter probaſſe ſibi eſt viſus, omninò eſſe inefficacia, docebit eventus. Tanta ſcilicet eſt ſuperſtitionis vis, tanta, animi præjudicio occupati audax præſumtio, ut ſenſum quem è Scripturâ efferre debuiſſet, in eam inferat. Inde verò factum, ut ad ſolam applicaretur B. Mariam, quæ de Eccleſiâ universâ, omnibusque eam integraturis membris, de fidelium cœtu nondum exiſtente, tanquam de præſente & ob oculos verſante, vaticinatus eſt Rex & Propheta Salomo.

Expoſitio verborũ Salom. in Cantico.

CCXIX. Ipſa Prophetici Spiritus verba ita habent: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Ad quodnam objectum, quorſum in iſta effuſus verba reſpexerit, Rex & Propheta Salomo, in quem illa direxerit ſcopum, non eadem eſt Interpretum ſententia. Pontificii quum diſſentiant ab invicem, ecquid mirum diſſentire eosdem à nobis? Illorum aliqui benè *accommodari* locum iſtum ad B. Dei & hominis Matrem, contendunt. A quâ accommo-

Expoſit. verborũ Salom. in Cantico.

datione non alieni fuerunt etiam de venerando SS. Patrum choro aliqui. Nec iſta ad B. Virginem applicatio magis eſt improbanda, quàm ad alios fideles qui ſunt vera & viva Eccleſiæ membra, facta applicatio. Quando enim Salomo *Amicam ſuam* memorans, ejusdemque prædicans omnis maculæ expertem pulchritudinem, præcipuè & primariò Eccleſiam reſpexit, non potuit etiam non ad Eccleſiæ membra, per quæ illa integratur, atque conſequenter etiam ad B. Virginem Mariam reſpexiſſe. Agnovit hoc inter alios Pontificios etiam *Delrio*, quando ille ſacri textus verba, *Non debere ſic de Eccleſiâ intelligi*, dicit, *ut vel B. Virginem Mariam, vel quamlibet juſti animam excludamus, neq; rurſus de B. Virgine, vel quavis animâ juſti, ut non id præcipuè de Eccleſiâ univerſâ dictum putemus.* Intra iſtos ſi ſubſiſtat explicatio terminos, iſta ſacri Cantici verba, ad delendam originis peccati maculam à B. Mariæ animâ, nihil cotulerint amplius, quàm conferunt ad eandem maculam à cujuscunq; animâ juſti detergendam. *Bellarminus* intra *applicationis* ſeu *accommodationis* ad B. Virginem terminos ſeſe cohibet, ita tamen Eccleſiæ, cumprimis cœleſti ſeu triumphanti, potius & principalè reſervet jus. Melius hi & B. Virginis honori, & propriæ exiſtimationi conſultum iverunt, quàm fecerunt alii, qui è prædicatâ maculæ expertis pulchritudine, omnem de Mariâ, etiam originalis peccati maculam extergere, atque Filio Matrem, etiam quoad immunitatem, ab omni tàm originalis quàm actualis peccati maculâ, æquiparare allaborarunt. Urgent hi *ſenſum literalem*, ſecundum quem Canticum Canticorum B. Virgini conveniat, & quod ad hanc ſolam reſpexerit Salomo, nec de alio aliquo, quàm de unâ & ſolâ Mariâ ſemper Virgine, ſemper caſtâ, ſemper citra ullius maculæ vitium pulchrâ & formosâ, ſit vaticinatus.

CCXX. Eo dilabuntur *Gerardus, Valentinus*, dilabitur cum aliis etiam noſter *Auguſtinus Abbas Einſidlenſis.* Secundum horum igitur mentem & ſententiam argumentum emergit & conficitur tale: *Cuicunq; mulieri propriè & literaliter dicitur*, Tota pulchra es, & macula non eſt in te, *hanc peccati maculæ omninò expertem eſſe oportet. Sed dicta illa ſunt B. Mariæ Virgini. Ergò hanc peccati maculæ omninò expertem eſſe oportet.* Propriè & literaliter aliquid dici ambiguum eſt, ſiquidem duplici notione dicitur aliquid propriè & literaliter: ſemel *adæquatè*, ut uni alicui tantùm, nec cuiquam præter iſtum alteri competat. Ex. gr. illud *Ecce agnus Dei*, uni Chriſto, nec præter hunc cuiquam alteri competit. In ſtrictiori iſtâ notione, Mariæ eſſe dictum *Tu pulcra es* &c. negamus: Affirmamus autem atq; literaliter de eâ dici admittimus, inter plures alios etiam Mariam (tunc ad huc in lumbis Adami, è quibus peccatum in tantum genus humanum emanavit exiſtentem) ſic compellaſſe Salomonem: ſi videlicet in alterâ accipiatur latiori notione, quâ propriè & literaliter aliquid dicitur, *in ſenſu verborum generali*, ſic, ut ea quæ propriè & literaliter *de univerſitate* aliquâ dicuntur, uni cuidam ex eâ univerſitate individuæ perſonæ applicentur. Ex inde verò, quod in Cantico propriè & literaliter de muliere dicitur *Tu pulchra es & macula non eſt in te*, inferre ſi conentur; Omnem cui propriè & literaliter in ſenſu verborum generali dictum eſt, *Tu pulchra es* &c. peccati maculæ eſſe expertem; eadem facilitate, ejusdemque conſequentiæ vi & virtute, ad eundem modum foret inferendum: Omnem omninò animam fidelem per ejusdem alloquii efficaciam à peccati contagio fuiſſe præſervatam vel exemptam. Atque ſic parum aberit, quin totus mundus liberetur ab Ori-

Expoſit. verborũ Salom. in Cantico.

Expoſit. verborũ Salom. in Cantico. ginis peccato. Ne igitur, unum aliquem Canticum verſum inconvenienter applicando, turpiter in alias apertas impingamus Scripturas, ſic fuerit ſtatuendum; quod Canticum per Salomonem decantatum, de Matre Domini literaliter dixerit, quæ dixit; áttamen non adæquatè tanquam ei uni & ſoli competens, ſed tantùm eatenus quatenus illa eſt anima fidelis, & pars veræ Eccleſiæ.

CCXXI. Inſtabunt fortè, dicturi: quod iſtud Salomonis effatum nec de militante Eccleſiâ nec de fidelibus eam integrantibus accipi & intelligi poſſit, ſiquidem etiam militans Eccleſia multis deturpata ſit maculis; nec iſtarum expertes ſint fideles, ſed & his & illi adhæreant haud tenues ſed turpes & conſpicuæ. Reſpondetur per inſtantiam: quod ſic ne quidem *Sancta* dici poſſet militans Eccleſia, ſiquidem Sanctitati multiplex obſiſtet impietas, & pulchritudinis ſplendori, quàm plurimæ, quibus infecta ſit, obſtruant maculæ. Verùm ſicut Eccleſiæ ejusq; membris adhærentes ſquamæ, hujus non deſtruunt Sanctitatẽ, ita etiam ejusdem non deſtruere potuerunt pulchritudinem, *quo minus* ex re & vero dici de eâ poſſit, *Tota pulchra es, & non eſt macula in te.* Maculæ enim adhærentes, quæ in vitæ hujus fragilitate, per corruptæ impotentiam naturæ, ſic, ne harum appareat veſtigium, elui haud poſſunt, non imputantur ſed condonatæ ſunt per Chriſtum. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſemet ipſum expoſuit pro eâ, ut eam ſanctificaret, poſtquam eam purgaſſet, lavacro aquæ per verbum, ut ſiſteret eam ſibi glorioſam: Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, ſed ut eſſet Sancta & inculpata*, ad Epheſ. V.

CCXXII. Atque iſta incidenter, occaſione ſacri textus, in Immaculatæ conceptionis favorem adducti. Sed quid

quid obtinent, ſi vel maximè conceſſerimus Cantici verſum iſtum ad B. Virginem applicationem pati? Immunem eam à Peccato Originis, per iſta conſtitui, non probatur magis, quàm de omni fideli animâ, ad quam applicatio nihilo poteſt fieri minus, quàm ad Mariam. Et quamvis etiam hoc, quod aliqui volunt & prætendunt, iſta quæ in Cantico Canticorum prædicantur, principaliter & primariò ad B. Mariam pertinere admittamus, non tamen ſic ei appropriatur, ut alii fideles excludantur. Non excludi Eccleſiam univerſam & conſequenter eam integrantes non excludi, principaliter potius & primariò illi eſſe dictum, quod ibi dictum eſt, agnoſcunt & fatentur ipſi Pontificii, non infimi ordinis vaticinii iſtius interpretes. *Expoſit. verborũ Salom. in Cantico.*

CCXXIII. Sic nunc juxta legitimæ interpretationis harmoniæ tonum, decantato Cantici Canticorum carmine, è diverticulo, in viam, unde ſum digreſſus, ad controverſiæ caput, quod in noſtrum medium Eridis inſtar pomi eſt jactum, revertimur. In iſtius verò ludi area cecidit mihi alia in transverſum, devoluto in humeros meos probandi onere, ejus, quod ſi verum eſſe crederem atque pro tuenda ejus veritate ſeriò dimicarem; apud meos fidei conſortes, fidem omnem perdiderim, teſtulato exilio mulctatus, ad bovis cuſtodiam eſſem amandandus. Etenim non ſecundum mea, quibus ipſe adſuetus ſum principia, Immaculatam conceptionem inter fidem conſtituentia Dogmata redegi, ſed ex illorum ſatellitum, in quorum cuſtodiam data eſt B. Virgo, armamentario depromta ſunt illa inſtrumenta ruſtica, quibus uſurpatis ſic benè denſo orbe circumvallatur Maria, per quem peccatum à primo usque Parente in omnem ejus traductum poſteritatem, perrumpere atque in ejus etiam ſinum, haut queat penetrare. Hoc verò *Caput cõtroverſiæ.*

Muni-

Munimen nullo quaſſabile ferro,

cruces cingunt, quarum nomina ſunt, *Excommunicatio, Suſpenſio, Remotio, Pœna ab ingreſſu templi arcens,* cum aliis tremendis ſuppliciis. Sunt ſcilicet cruces iſtæ, furcarum patibulorumve inſtar, qualia rivis & torrentibus apponuntur, territura prætereuntes, ut manum à capiendis & ſuffurandis rarioribus piſciculis cohibeant. Ad eundem ferè modum, juxta Immaculatæ conceptionis Feſtum erectæ cruces, terriculamenta ſunt prohibentia, ne quis, ſiquidem crucifigi nolit, ad ſuffurandum B. Virgini originalis puritatis & innocentiæ privilegium, ſolâ Pontificali auctoritate indultum, manum extendat.

Engelgrave Imm. concept. inter magna MYSTERIA redigens.

CCXXIV. Produximus non procul hinc ſic armatorum ſatellitum aliquos, quibus nunc comitem damus *Henricum Engelgravem*, Societis Jeſu Theologum, quem pro Immaculata conceptione pius ſine ſcientiâ zelus, ſaltem non in rabiem egit. Vixit ille jam tùm ſedente, attamen nondũ definiente controverſiam Alexandro Papa VII. Iſtius ætatis indicium facit, inſertus huic volumini *Supplex libellus pro B. Virginis Conceptione* &c. à quodam *Johanne Euſebio Nierembergio*, dicto Pontifici obtus. Iſte libellus ſupplex inter alia, motiva Pontificem ad ſuſcipiendam Deciſionem irritantia, eſt reputandus. Auctor iſte in Commentario, qui *Cæleſte Pantheon, ſive Cœlum novum in Feſta & geſta Sanctorum totius anni*, inſcribitur, pag. 306, Thomæ Aquinati omnibusque Thomiſtis magno, ſed inani conatu, affingere audet, quod non tantum ille, ſed *inſuper Generales Ordinis quinque, pro immaculatâ Virgine ſtent.* Inde verò porrò probare nititur, quod *ſolidiſſimè* illorum videlicet ſuffragio, *comprobetur cauſa omnis, quæ in hoc* TANTO MYSTERIO, *Sanctiſſimæ Deiparæ gloriam ſufflaminare videbatur, ſublatam eſſe.* Laus Deo, qui animavit viros,

neſcio

neſcio quo Spiritu plenos, Immaculatam conceptionem, in *tantorum* i. e. ſummorum MYSTERIORUM ordinem redigentes! Haud equidem ignoro ſatis latè patere Myſterii vocem, atque rei cuicunque arcanæ aptari. Quando autem non ſimpliciter ſed cum appoſito MAGNI vel TANTI exprimitur; tunc appoſitum illud indicio eſt quod vulgarium Myſteriorum numero illud, cui *Tantum* vel *Magnum* apponitur, ſit eximendum, atq; inter ſtrictè proprieq; dicta redigendum. Exemplum ejusmodi Myſterii dedit ille qui dixit, *Magnum eſt pietatis Myſterium Deus conſpicuus factus eſt in carne* &c. Ille igitur qui non nudè & ſimpliciter, ſed cum appoſito TANTI, Immaculatam conceptionem Myſterium eſſe dixit, non potuit alio loco illam habere quàm tali, quo ponuntur *tanta Myſteria*, quanta ſunt ſtrictè proprieque talia. Nihil igitur prohibet, quo minus utiliter iſta acceptem atque ad confundendum illos adhibeam, qui *Myſterium* iſtud *de Fide* eſſe negant. Numquid ergo ſunt *tanta* i. e. *magna Myſteria*, quæ non ſint *de Fide*, quæ *Fide Catholicâ non ſint tenenda*? Hem novum, olim ignoratum nec hodie probatum Myſteriorum genus. Eccum verò Engelgravium, Veſtræ Societatis Theologum, adverſus Vos ſtantem, Veſtroque Reſponſo contradictoriè oppoſitam ſententiam, egregiè comprobantem.

CCXXV. Subolet mihi & olfacio, quid ad iſta ſitis regeſſuri. Videlicet *Myſteria* non ſola attinere *Credenda*, ſed etiam inter *Agenda* invenire locum. Haud facilè quenquam (objecturi eſtis) negaturum etiam Sacramenta eſſe Myſteria. Procul verò à me quidem abſit, ut ego Sacramenta Myſteria eſſe negem: cum primis ſi Sacramenti vox à latiori ſignficatione reſtringatur ad illa, quæ propriè

Ad Agenda applicata Myſterii vox.

ſunt talia, Baptismum videlicet & Euchariſtiam. Eviciſſe igitur hoc exemplo Vobis videbimini, eſſe aliqua Myſteria quæ ſicut ad Credenda non pertineant, ſed ſola concernant Agenda, ita nec ſint de fide Catholicâ, nec eodem quo credenda loco habenda. Nodum hunc, ſi ſua ſponte ſe non explicuerint tricæ, una ſaltem in medium prius propoſita quæſtione, ſum ſoluturus.

CCXXVI. Dicant, anne illa Sacramentorum, in quibus Myſterii ratio eſt ſita, ſint de fide & fide Catholicâ credenda? Exempla rem reddıtura ſunt conſpicuam. Myſterii in Baptismi Sacramento ſeſe exſerens ratio, per illud nemini non notum ipſius Servatoris noſtri effatum, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum cœlorum*, declaratur. Anne verò hoc ipſum, in quo Myſterii ratio, Baptismum quidem quantum attinet, eſt ſita, nempè quod ſit neceſſarium ſalutis medium, ſide catholicâ eſt credendum, nec ne? Puto equidem quod ſic, nec quenquam Veſtrum aliter ſentire ſuſpicor. Quid ſi Vosmet ipſos, cum Colonienſibus Herbipolitanos Dominos Theologos interrogavero; ſitne Transſubſtantiatio fide Catholicâ credenda? Ita, inquam, ſi ſim ſciſſitatus, affirmativè citra dubium eſtis reſponſuri: nec reſpondere, per Vobis propria principia, aliter poteſtis.

CCXXVII. Deinde viciſſim quærere mihi liceat: utrum Immaculatæ conceptionis Dogma ad *Credenda* vel *Agenda* pertineat? Haud aliud opinor laturum me eſſe Reſponſum, quàm quod maximè ad credenda ſpectet, ſiquidem nulla externa in oculos ſenſusque incurrens actio, hîc intercedat. Probè utique intulero: Omne non ad Agenda ſed Credenda pertinens Myſterium, fide Catholicâ eſt credendum, atque eatenus eſt *de Fide*. Nunc ſub-

ſumo : Immaculata conceptio, eſt (ſecundum Engelgravium) Myſterium non ad Agenda ſed Credenda pertinens. Ergo Immaculata conceptio, eſt (ſecundum Engelgravium) Myſterium fide catholicâ credendum, atque eatenus eſt *de Fide*; quod probandum erat.

CCXXIIX. Fateor equidem, ſemper in eâ me fuiſſe ſententiâ, quod Romano-Catholici, fundamentum fidei non evertant, & quod Eccleſia, in quâ Romanus Pontifex ſedet & dominatur, quæque ei ſubjicitur & proinde Communionis cum eo particeps eſt, pars ſit veræ Eccleſiæ, in quâ tantum veritatis ad ſalutem neceſſariæ ſuperſit, ut per hanc cognitam & creditam ſervari homines poſſint. Quam B. Parentis mei judicium & ſententiam, quum adverſus Hæretifices eam damnantes, pro virili tutatus ſim & propugnaverim, etiam hoc diffiteri nequeo, diras eâ propter me ſuſtinuiſſe perſecutiones. Quod ſi verò incepturi illi ſunt, promulgatis Pontificalibus Bullis, novos condere fidei articulos, atq; credendis, talia quæ primitus credita non ſunt, ingerere, etiam hoc mihi fuerit fatendum, quod huc usque tàm operosè defenſorum cauſam deinceps agere nequeam : ſiquidem non ſufficit retinere fundamentum, ſed non eſt eidem quicquam addendum : etenim ſicut illud non patitur detractionem, ita quoq; nullam admittit acceſſionem : ſi admitteret, priſtinum quod per tot ſecula obtinuit fundamentum, non haberi poſſit pro ſufficiente, & adæquato. Labefactant igitur non tantùm illi qui ei aliquid demunt, ſed etiam illi, qui eidem aliquid, ſub credendi neceſſitate, addunt. *Licet*, ait Apoſtolus, *aut Angelus è cœlo evangelicet vobis, præter id quod nos evangelizavimus vobis, Anathema ſit*; ad Galat. I, 6. Sed de Immaculatâ B. Virginis Mariæ conceptione, inter credenda & ea

quæ ſunt de fide, relatum dogma, non eſt tale Evangelium, quale vel Apoſtoli vel Angeli cœlorum, ſed Alexander Papa VII evangelizavit. Caveant itaque ſibi ab Anathemate, per Apoſtolum ſic Evangelizantibus deſtinato & adjudicato.

Univerſitati non opponēda Particularitas.

CCXXIX. Deinde etiam illud fortè eſtis oppoſituri: quod unus aut alter ſingularis Doctor, Eccleſiæ Veſtræ univerſæ haud poſſit præjudicare. Sed non eſt unus aut alter qui præjudicium creat: Integra ſunt Collegia, integræ Univerſitates, ſententiæ Veſtræ, quam pro totius Eccleſiæ ſententiâ venditatis, directè contradicentes. Accedunt ad horum numerum locupletandum, Approbatores, accedit Cenſura Cenſoris ordinarii, in fronte libri conſpicua. Imò usque adeò placuit & probata eſt iſta Engelgravii Commentatio, ut iterum atque iterum diſtractis exemplis, vice ſeptimâ nunquam ſine Cenſurâ, ſit recuſa: editione ſeptimâ *Herbipoli* Anno MDCLXI in lucem prodeunte. Vos igitur *Herbipolitani Domini Theologi*, quid eſtis excepturi adverſus ſcriptum, quod Veſtræ *Academiæ* typi, cum magno in Vos redundante dedecore, divulgarunt? Et Vos *Colonienſes Dnn. Theologi*, ecquid eſtis oppoſituri, Veſtrorum ipſorummet Approbationi, factæ per Ordinarii Cenſuram, quæ de verbo ad verbum ita habet: *Lucis Evangelicæ ſub velum ſacrorum Emblematum reconditæ R. P. Henrici Engelgrave Societate Jeſu, edito, ſicut approbata fuit Antwerpiæ, ita & approbatur à nobis Coloniæ 9 Auguſti 1655.*

Adrianus de Walenburch Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Presbyter Canonicus & Cenſor librorum Ordinarius.

CCXXX. Ac-

CCXXX. Accuſabitisne Walenburgium Veſtrum, Virum eruditum & celebrem, oſſitantiæ, quod Cenſor librorum Ordinarius officio fideliter non ſit functus, aut quod fidem ſuam in fidem Antwerpienſium Cenſorum implicuerit, atque ſic fide implicitâ omnia Engelgravii Catholica eſſe & orthodoxa, crediderit? Si hoc, ita ſi impegiſſet Dn. de Walenburch, opetias ferre atque errorem emendare potuiſſet *Index Librorum Expurgatorius.* Dicite igitur, quo Indice in Engelgravii Commentariis expungi aut deleri jubeantur iſta ejus verba: TANTO MYSTERIO. Anne ſatius fuiſſet expungi *Tantum Myſterium*, quàm quod per Indicem Expurgatorium Hiſpanicum, Folio XXXIV deleri jubentur illa verba: *Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtute & merito, ad gloriam pervenire?* Vel quod ibidem paulo poſt, litura imperatur iſtis verbis: *Credis quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro noſtrâ ſalute mortuus ſit? & quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus poſſit ſalvari niſi in merito paſſionis ipſius?* Eò ſcilicet per Indices Expurgatorios res, proh dolor! eſt deducta, ut veræ Religionis Myſteria, hisque nixæ ſalutares doctrinæ, horribili deleantur liturâ, novis & ſpuriis, ne leviſſima quidem applicetur ſpongia. Univerſa autem Engelgravii publicâ auctoritate toties quum ſint *approbata*, nulloque Indicum Expurgatoriorum interdicto *reprobata* aut *expurgata*, Immaculatæ conceptionis Dogmati, quæſtionem ſtus, uti loquuntur, movere, aut de MYSTERII dignitate illud detruſum, ad Dogmata quæ NON SINT DE FIDE, redigere, haud integrum relinquitur illis, quos Ordinariorum Cenſorum Approbationes ſollicitare, easdemque in diſcrimen vocare, ſanctæ obedientiæ virtus prohibet. Ordinariorum Cen-

Index Expurgat.

ſorum Approbationes, Quietiſticam cauſam aggreſſis, quantum nocuerint, quàm validè & diu *Michaelem de Molinos* protegerint, dicturi ſunt illi qui adverſus hunc Romæ inſurrexerunt *Jeſuitæ*, atque amplius expoſituri *Hæreticæ pravitatis*, ſicut vocantur, *Inquiſitores* ipſi.

Concilii Trident. arcanum retectum. CCXXXI. Dimitterem nunc Engelgravium, ni ingratus erga illum mihi ipſi viderer, ſi docuiſſe illum me aliquid, quod aliunde compertum non habui, diſſimularem. Nempè memorat ille, quare Dogmatis de Immaculatâ B. Virginis conceptione, in Franciſcanorum favorem, i. e. in partem ſequiorem deciſio, jam tùm in ipſo Concilio Tridentino fuerit *decreta*. Decreti autem executionem aut editionem, à paucis Dominicani Ordinis Epiſcopis eſſe ſufflaminatam: quod queſti illi eſſent, univerſo Dominicanorum Ordini, turpem maculam inuſtum iri, ſi ederetur Decretum. Probat etiam aſſertum ex ipſis Concilii Tridentini Actis, quæ Romæ in Caſtro S. Angeli aſſervata eſſe perhibet. Hujus rei teſtes oculatos & ſemet ipſum & *P. Lancitium*, (cui *viri eruditi & ſanctitatis opinione clari* encomium tribuit) nominat, atque in teſtimonium vocat. Res autem iſta, quum ſit notari digna, atque Caſtri ilius cuſtodiæ credita non ſint obvia, ipſius P. Lancitii verba ibi recitata, inde excerpta repetere non pigrabor. *Anno 1599*, ait Lancitius, *legi & exſcripſi ex Actis originalibus Concilii Tridentini (quæ aſſervabantur in Caſtro S. Angeli Romano, & cum expreſſâ licentiâ Clementis VIII fuerunt R. P. Petro de Arubal, Profeſſori Theologiæ in Collegio Romano & mihi ejus ſocio, ad aliquot horas exhibita à Cardinali Cæſio,) ex aliquot decadibus Epiſcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes aſſeruiſſe, illam eſſe conceptam ſine peccato Originali,*

ginali, ſolos quinque contrarium dixiſſe; poſtea in alia Seſſione fuiſſe concluſum, ut tandem determinaretur à Concilio Tridentino, Illam eſſe conceptam ſine peccato originali; ſed ob inſtantisſimas preces aliquot Epiſcoporum & Theologorum S. Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium, ne hac vice, propter notam quæ inureretur Ordini S. Dominici hoc Decreto, illud ederent, ſed ſuperſederent & ad aliud tempus illud rejicerent: Concilium ſuperſedit, Decretum illud non evulgavit, hanc ſolam ob cauſam. Ita habetur in Actis illius Concilii, quæ diligentisſimè legi, & hæc tunc exſcripſi: hactenus ille, videlicet P. Lancitius.

CCXXXII. Ex iſtis abundè conſtat, in quam partem propenderit Concilium Tridentinum & quàm timidè ſaxum illud ſit volutum, quod tandem Alexander Papa VII, celeri impetu deſuper præcipitans, omnes Dominicanorum machinas uno valido ictu contrivit atque irreſtaurabili involvit ruinâ.

CCXXXIII. Cæterùm Directorium, Tridenti congregati Concilii quum Spiritui Sancto unanimibus votis deferant, atque omnia Româ Tridentum veluti ex tripode allata Decreta, à Divini Spiritus inſuſurratione vel ſuggeſtione emanaſſe, audacter affirment, naſcitur mihi circa illam inſpirationem dubium. Quod ſi enim atteſtantibus Synodicis Actis, *in alia Seſſione fuit concluſum, ut tandem determinaretur in Concilio Tridentino, illam,* B. Virginem Mariam, *eſſe conceptam ſine peccato Originali,* Concluſionem iſtam S. Spiritum ſuggeſſiſſe & dictaſſe oportet. Verùm quia *Epiſcopi & Theologi S. Dominici qui Concilio adfuerunt,* à Sancto Spiritu ſuggeſtam *Concluſionem* ſufflaminarunt; effeceruntque ne illa rei judicatæ vires indipiſceretur, S. Dominici hujusq; Ordinis Epiſcoporum Spiritum

ritum prævaluiſſe, magis quàm Dei Spiritum in Concilio regnaſſe, magisque validè ſpiraſſe, quàm ſpiraverit ille, docuit eventus.

CCXXXIV. Deinde mirari ſubit, quod Engelgravius eorum quæ è Concilii Actis paulo prius recitaverat, usque adeò fuerit oblitus, ut immediatè poſt finita Actorum verba, nullo comparente intervallo, operoſam annectere auſus ſit probationem, quod *S. Thomas*, cui multos alios Domnicani Ordinis ſemiſanctulos comites dedit, *pro immaculatâ Virgine ſtet*: quum tamen Thomas, cum omni ampliſſimâ Dominicanorum Familiâ, adverſus ſic qualificatam Conceptionem notoriè ſic *ſteterit*, ſicut ſtant reſiſtentes acerrimè. Quo tamen non obſtante, *ſolidisſimè comprobaſſe* ſibi eſt viſus, per adductos Dominicanos, *cauſa omni quæ in hoc TANTO MYSTERIO Sanctisſimæ Deiparæ gloriam ſufflaminaſſe videbatur, ſublatâ*. Illud ſi eſt verum, ſi Dominicani Ordinis Theologi, tanto conſenſu *ſteterunt pro immaculatâ Virgine*, quomodo verum eſſe poteſt, quod illi *Epiſcopi & Theologi S. Dominici, qui Concilio adfuerunt, factæ Concluſionis editionem ſint deprecati*? Quæ adegerit Dominicanos neceſſitas, ejus Concluſionis, in quam unanimes conſenſerint, deprecandi editionem? Vel Concilii Acta, vel Engelgravium fallere oportet, ſiquidem utrumque non poteſt eſſe verum. His igitur potior quàm uni extra Acta loquenti, vel Actis adverſantia tradenti, quum perhibenda ſit fides, judicium fac, Benevole Lector, quàm torquendis corrumpendisque Doctorum (Thomiſtarum) ſententiis, illud genus hominum, felix dicam ſit an impudens.

CCXXXV. Ad Alexandrinam nunc revertimur Conſtitutionem, quam lucem nunquam adſpexiſſe, optaturi

ſunt

ſunt omnes ſaniores Pontificii Doctores, qui vident & dolent, expreſſiones in Conſtitutione conſpicuas, ſic eſſe comparatas, ut è poſitis per legitimam inducatur conſequentiam, quod Immaculata conceptio ſit & non poſſit eſſe non DE FIDE. Nec ſunt ita inſipidi, ut non ſapiant, non videant, quàm copioſus ex uno iſtoc admiſſo poſitoque inconveniente, majorum malorum erumpat imber. Tegendo igitur ulceri habile & proportionatum, nullibi gentium quum invenirent operculum, nihil erat expeditius, niſi ut feciſſe Pontificem negarent, quod tamen eum feciſſe manifeſtum eſt & in conſpectu omnium qui ejus Conſtitutionem non obiter & quo ad exteriorē ſaltē corticem adſpiciunt, ſed medullam tenus penetrante oculorum acie introſpiciunt.

CCXXXVI. Tollerem nunc de tabulâ manum, ſi non compertum haberem, aliquem ad feriandum in B. Mariæ venerationem olim determinatum diem, etiam in Pontificia Eccleſia, conſulto & prudenti conſilio eſſe abrogatum: adeoque pollere eandem illam Eccleſiam, Feſta & inſtituendi, & transferendi & abdicandi, plenâ poteſtate, toties exercendâ, quoties Eccleſiæ vel ſuadeat commodum vel poſtulet neceſſitas. Prius tamen quàm ad rei geſtæ hiſtoriam calamum applicem, de Eccleſiæ circa Feſta aliosque ſacros, ad ordinem & decorum ſpectantes ritus, directione in genere, προλεγομένων inſtar, non nihil eſt præmittendum. Naturæ autem inſita Dei & exiſtentiæ & debiti eidem cultus notitia effecit, ut nulla Gens ſit tàm barbara quæ in Dei, ſive veri ſive falſi, cultum & venerationem Feſtos dies ſolenni ritu non celebret. De Gentis Israëliticæ ſacris horumque Feſtis præſertim Sabbatho, ſicut & de Ethnicorum Idololatrico cultu, atque Muhammedanorum religioſâ ſuperſtitione actum eſt alibi. Pro præſenti illa ſaltem in conſiderationem vocabimus Feſta, quæ

De Eccleſ. circa ritus directione.

inter Chriſtianos & in Eccleſia obtinent, pioque celebrantur vel celebrata ſunt ſtudio.

CCXXXVII. Quamvis enim Lex Ceremonialis Veteris Teſtamenti deſierit, atque cum omnibus Judæorum Feſtis (adventu Chriſti impletis jam omnibus ſymbolis & figuris) exſpiraverit, non tamen ideò eſt ſtatuendum, quod Feſti dies omnes ad ceremonias Judæorum pertineant, atq; ideò, ne Judaizare Chriſtiani cenſeantur, nulla Feſta in Eccleſia ſint toleranda. Fuit iſte *Petrobruſianorum*, à nemine probatus, ab omnibus, reprobatus error. Stata enim tempora, Feſtorumque Veteris Teſtamenti obſervationes non ideò ſunt antiquatæ, quod Eccleſia Chriſti ſine ſtatis & certis Feſtis diebus vel poſſit vel debeat eſſe, ſed quia neceſſum erat, ut exhibito Meſſiâ, promiſſi adventum figurantes typi & umbræ ceſſarent. Cultus enim Dei ſi naturæ eſt inſitus, eidem inſitum eſſe oportet, ut cultui Divino certi deputentur dies, quibus Deo rebusque Divinis vacemus, ſimul ac ab omni opere ſervili abſtineamus.

Petrobruſiani.

CCXXXIIX. Differunt autem Veteris & Novi *Pacti* Feſta eò, quod illa Juris fuerunt poſitivi Divini, hæc juris ſint poſitivi humani: quod illa non fuerint libera, aut in hominum arbitrio poſita, ſed ex præcepto Dei ſimpliciter neceſſaria; hæc non ſic ſint neceſſaria, ut ad obſervationem obligent in conſcientiâ. Non enim obligant niſi in tantum, in quantum quisque præcepto Eccleſiæ parere & cavere tenetur, ne ſcandalum det aliis, neve publicorum contemtor ſit & habeatur ſacrorum. Differunt etiam eò, quod Veteris Teſtamenti Feſta fuerint ex ipſius Dei inſtitutione immobilia, hæc ſint mobilia, nec ita certis temporibus affixa & alligata, ut ſi ex uſu & commodo Eccleſiæ eſſet, mutari & in alios commodiores dies transferri non poſſint. Porrò differunt quoque eò, quod illa

V.T. Feſta fuerunt Juris poſit. Divini: non libera, ſed neceſſaria

Feſta immobilia & mobilia.

vel

vel myſterium, vel figuram, vel peculiarem aliquam ſignificationem continuerint; in hæc nulla peculiaris influat deſuper ſanctitas, ſed quod per meram Eccleſiaſticam ordinationem majori devotione ſanctificentur, quàm dies alii, quos ſingulos ſibi vindicat Deus, quippè qui omni tempore vult & debet coli.

CCXXXIX. Eccleſiam autem univerſam intuiti, à primævâ puriorum & ſinceriorum ſeculorum integritate multùm degeneraſſe ſequiorum temporum Eccleſiam, ægrè quidem agnoſcimus, nec tamen poſſumus occultare. Præteritis nunc aliis, ſola Feſtorum dierum ſolennia ſi attendamus, in naſcentis Eccleſiæ initiis, pauciſſima eaq; in ſolius Dei honorem eſſe celebrata, tantò eſt certius, quantò eventus comprobavit manfeſtius, quod ſenſim (poſtquam etiam in beatè vitâ functorum Sanctorum memoriam cultumq; conſecrari & celebrari eſt cœptum) ſunt adaucta. Præteritis nunc aliis, illa ſola quæ in B. Virginis Deiparæ honorem & venerationem ſunt ſuſcepta, contemplari atque in conſiderationem vocare nunc liceat; quâ operâ manifeſtū eſt futurum, quod non paucis multum adhæſerit vanitatis, aliquid maculæ illis affricantibus hominibus ſuperſtitioſis, qui aliqua proprii cerebri commenta, corollariorum inſtar, illis hinc & inde appenderunt. Et quamvis, ne attentis quidem appendicibus iſtis, ſecundum eſſe ſuum illa conſideremus, horum aliqua, licèt non ut Feſta ſunt, vel ſub Feſtorum ratione, commendentur in Scriptura, quâ rem tamen ipſam, cujus geſtæ memoria Feſtis diebus renovatur, recolitur & ardente celebratur devotione, aut in Dei Verbo fundata, aut illegitima eſſe oportet. Eſſe verò inter fœminei ſexus Mariana Feſta, aliqua legitima, Scripturæ Sacræ innixa, aliqua præter Scripturam introducta,

Initio paucisſima obſervata Feſta, deinde ſunt multiplicata.

DE FESTIS MARIANIS.

 illegi-

illegitima, ſpuria & notha, docebit horum ſuſceptum examen.

I *Feſtum Conceptionis.* CCXL. Secundum naturæ ordinem, à Conceptionis B. Virginis Mariæ Feſto, ducendum foret initium. Ne verò æquivocatio vocis ſit fraudi, diſtinguendum inter *Conceptionem*, quâ *vel* ipſa Maria concepta eſt in utero matris ſuæ, *vel* quâ illa obumbrata à Spiritu Sancto, concepit mundi Servatorem. Priorem ſic eſſe factam, ut gratiâ & operatione Sancti Spiritus præveniente, ſine peccati originis labe ſit concepta, nullo fundari Scripturæ teſtimonio, (fatentibus etiam non de trivio ſed primariæ dignitatis Pontificiis Doctoribus) aut hoc ſcripto evidenter probatum eſt, aut operam oleumque perdidit typographus. Conſequenter igitur *Feſtum* ſic qualificatæ *Conceptionis*, non poteſt non haberi pro illegitimo, ſpurio & notho: Ad tale verò obeundum populus Chriſtianus nullâ indulgentiarum pollicitatione invitari aut allici, nullâ comminatione pœnarum ad celebrandum attrahi aut compelli debebat.

II *Feſtum Annunciationis.* In poſteriori ſignificatione accepta Conceptionis vox, quâ ipſius Chriſti incarnati in utero Deiparæ ſemper Virginis conceptio indigitatur, ſatis rectè ſeſe habet, quippè quæ in apertiſſimâ fundata eſt Scripturâ, in Annunciationis Feſto recitari ſolitâ Lectione, ex Eſaiæ C. VII hauſta & Matthæi Capite I. Quemadmodum igitur prioris Conceptionis B. Virginis Feſtum inter illegitima, nullis Scripturæ Oraculis fundata, eſt computandum, ita hoc, quod *Annunciationis* vocamus, legitimis extra controverſiam accenſendum.

III *Feſtum Purificationis.* CCXLI. Deinde tertio loco offert ſeſe *Feſtum Purificationis Mariæ*. Debet hoc Feſtum natales ſuos anno poſt natum Chriſtum D XLII, à *Juſtiniano Imperatore* inſti-

inſtitutum. Nempè promittebat ſibi Imperator fore, ut, iſtoc in Dei honorem ſuſcepto cultu, terræ motus, per quem dimidium urbis Pompejopolitanæ in Myſia erat abſorptum, ceſſaret. Et quum horribilem terræ motum aliæ horribiles comitatæ ſint atque exceperint calamitates, ſubſecutis etiam variis morborum generibus, quibus multa millia hominum in ipſa ſede Imperiali Conſtantinopolitana eſſent extincta, novo in Dei Deiparæque honorem ſuſcepto cultu, Dei iram expiatum, caſtigationumque rigorem deprecatum ivit. Interim ſunt inter Pontificios, quibus iſta non ſufficit antiquitas, quippè qui Gregorio Nazianzeno antiquiorem faciunt iſtam feſtivitatem. Ejus verò antiquitatis probationem ab aliâ nomenclaturâ accerſent, quod nimirum idem Feſtum, etiam *Luminarium* & *Candelarium* dictum ſit Feſtum. *Feſtum Luminarium & Candelarium.* Quo poſito addunt: ſcripſiſſe Nazianzenum *Homiliam Ad ſancta lumina* eandemque habuiſſe in feſto die *Occurſus Domini*, quod etiam ὑπαντὴ & Feſtum *Simeonis & Annæ occurſus Domini* ſit dictum. Quod ſi igitùr jam tùm Seculo IV Nazianzenus Purificationis Feſtum Homiliâ, præferente titulum *Ad ſancta lumina*, celebraverit, Feſtum illud Juſtiniano tantò oporteat eſſe antiquius, quantò hunc ætate ſuperat Nazianzenus. Sed falluntur & fallunt, quando iſtam Homiliam *Ad ſancta lumina* inſcriptam Nazianzenum in *Feſtum Occurſus Domini* habuiſſe perhibent. Inſpiciatur ipſe Nazianzeninus codex, atque Orationis docebit exordium, quod *Sanctus Luminum dies* in memoriam *Baptismi Chriſti* ſit celebratus. Ipſius Nazianzeni verba ita habent: *Etenim ſanctus* LUMINUM DIES, *ad quem pervenimus, quemque hodie Divino beneficio celebramus, pro principio quidem*, CHRISTI MEI, *hoc eſt, veræ lucis, omnem hominem in mundum venientem illuminantis*

nantis BAPTISMUM *habet.* Nempè *Epiphaniorum* die, ſive quod idem eſt, in *Sanctorum Luminum Feſto*, Græci celebrare conſueverant Chriſti Baptismum, qui φωτισμὸς illuſtratio dicitur. Nominabatur autem à Græcis & Ægyptiis Baptismatis Chriſti Feſtum, *Sanctorum Luminarium*, ideò quod Chriſtus per Baptismum mundo eſſet revelatus. *Sanctorum* igitur *Luminum*, *Epiphaniorum*, atque *Baptismatis Feſta*, non pro diverſis ſed iisdem ſunt habenda, quippè in quibus circa Chriſti Baptismum ſolennis acta eſt feſtivitas. Quando igitur in Nazianzeni editione Pariſienſi Jacobi Billi & Morelli, quæ MDCXXX prodiit, Oratio XXXIX *In Sancta Lumina* inſcribitur, per abbreviationem ita dictum ſcriptumve eſt, pro *Sancta Epiphaniorum Lumina.* Et ſequens XL Oratio quæ *in Sanctum Baptisma* inſcribitur, antecedentis eſt continuatio, ſiquidem idem argumentum quod in priore XXXIX Oratione tractaverat Nazianzenus, in altera ſuccedente, poſtridie habita, proſequitur. Hujus ſcilicet prima Orationis iſtius verba non obſcurum faciunt indicium. Ita enim Orationem iſtam eſt exorſus: *Quoniam heri ſplendidum Luminum diem celebravimus: — hodie de Baptismo ac beneficio hinc ad nos manante breviter diſſeremus.* Rationem ad prioris Orationis argumentum continuandum ſuadentem, ſtatim ſubjungit, quando inquit: *tametſi heſternâ luce nos Oratio prætercurrit, tum quia temporis anguſtia premebamur, tùm quia ſermo ſaturitatem ac faſtidium fugiebat. Sermonis quippè ſaturitas non minus auribus inimica eſt, quàm immodicus cibus corpori.* E quibus conſpicuum & manifeſtum fit, utriusque Orationis idem eſſe argumentum, quamvis inſcriptio variet. Sicuti etiam nihilo patet minus, quod neque prior *In Sancta Lumina*, neque poſterior, *In Sanctum*

Baptis-

Baptiſma Oratio, nullo veriſimilitudinis prætextu ad Feſtum diem *Occurſus Domini* trahi poſſit.

CCXLII. Relatum autem olim fuiſſe, *Sanctum Epiphaniorum, Luminum Feſtum* inter primaria Chriſtianorum Feſta, indicio eſt, quod *Julianus Apoſtata*, apoſtaſiam disſimulaturus atque occultaturus, Epiphaniorum Feſto præſens intereſſe voluerit, ut ſolenne Chriſtianorum frequentans & concelebrans Feſtum, Chriſtianum ſe eſſe populo ſpectanti perſuaderet, atque à celebrantium multitudine pro tali haberetur. Probando & evincendo Apoſtatæ conſilio faciunt & ſufficiunt iſta, quæ apud *Ammianum Marcellinum* libro ejus XXI, qui Conſtantius & Julianus inſcribitur, leguntur totidemque inde excerpimus verbis: *Utque omnes*, ait, *nullo impediente ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo jam pridem occultè deſciverat, arcanorum participibus paucis aruſpicinæ arguriisque intentus, & ceteris quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes Menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam, ſolenniter numine orato diſceſſit.* Atque iſta de Juliano Apoſtatâ incidenter.

CCXLIII. Feſtum autem *Occurſus Domini* pro *Sanctorū Luminum Feſto*, quod Nazianzenus Oratione XXXIX *In Sancta Lumina* decantaverit, venditantibus, *Cardinalem Baronium* opponimus, audacter negantem, quod nullus SS: Patrum ante Juſtinianum, Sermonem in Feſto die Occurſus Domini ſcripſerit. Si non ullus vel Græcorum vel Latinorum Patrum hoc fecit, quomodo fecerit Nazianzenus? Baronii in ſuis ad Martyrologium Romanum Notis verba ſunt iſta: *Ego ſanè*, inquit, *illud aſſeverare non dubito*,

nullum

nullum vel Latinum vel Græcum Patrem, qui ante Juſtinianum Imperatorem vixerunt, Sermonem in feſto die Occurſus Domini ſcriptum reliquiſſe, niſi quis excipiat Patrum Commentarios in II Caput Lucæ, quo rei geſtæ hiſtoria narratur, quæ vel ab illis explicata eſt in ſuis ipſorum Commentariis, vel certè de eâ ad populum verba fecerunt, ut apud Latinos S. Auguſtinus feciſſe videtur, qui in Sermone quodam habito in die natalis Domini, multa de Simeone Domino occurrente recenſet. Ejusmodi ferè generis ſunt Homiliæ Patrum, quas Surius Tomo I deſcripſit. Sed aliud prorſus eſt Chriſti Domini facta laudibus prædicare, aliud eorum cauſâ Feſtos dies indicere & celebrare.

CCXLIV. Hoc ipſum Feſtum, initio in Chriſti ejusdemque Matris memoriam eſt celebratum; hujus quidem, quod ſecundum legis Moſaicæ præſcriptum, eſſet purificata, illius, quod Simeon, ei veniens in occurſum, glorificaverit nomen Domini. Denominatio autem à Mariâ obtinuit, unde *Purificationis Mariæ Feſtum* eſt nuncupatum. Atq; illud noſtra quoq; Eccleſia recepit & quotannis altero *Februarii* die, (retento in vulgus uſitato nomine) celebrat. Ita tamen celebrat, ut ne quicquam ſuperſtitionum, quæ Pontifices, plebi fucum facientes, allevere, admittat, nulla vanitate pollui patiatur. Pontifices, inquam, ſuperſtitionem alleviſſe. Horum ſcilicet muneris eſt cereos in Feſto Purificationis Mariæ conſecrare. Pontificalis iſtius benedictionis ritum qui penitus perſpicere geſtiunt, ſatis prolixè deſcriptum ſunt reperturi in Romanæ Eccleſiæ Ceremoniali Libro II. Aliis extra Romam Eccleſiis, ne, ſicut Pontificis præſentiâ deſtituuntur, ita quoque tutelari iſtoc lumine priventur, vicariâ Sacerdotum operâ, itur conſultum. Iſti videlicet candelas omnes, quotquot aræ ſeu altari

Cereorum conſecratio.

altari à confluente plebe imponuntur, conſecrant & diſtribuunt atque tunc fit proceſſio.

CCXLV. Si qui fortè indignè ſint laturi, quod de allitâ huic Feſto ſuperſtitiosâ vanitate eſt dictum, illos ad ipſos remittimus Conſecrationum libros, quibus iſtis candelis cereis per benedictiones & adjurationes conſecratis, virtus & effectus ſupernaturalis tribuitur. Nempè *Sanctum CHRISTI nomen* à benedicentibus Sacrificulis iſtis ſic ducitur in profanum, ut invocare illud audeant, pro impetrandâ, naturam *ceræ creaturæ* tranſcendente virtute, quæ proſit *ad utilitatem & commodum hominis, & ad ſalutem animæ* (væ iſti animæ, cujus ſalus à cerei lumine ſit ſuſpenſa) *& corporis ejus, ſive in terra, ſive in mari ſit.* Vultis *Ceræ*, nec viventis nec ſentientis, ne dum ratiocinantis *creaturæ*, mirandas virtutes ampliùs prædicatas audire? audite etiam iſtas conſecrantium, ſimul ac Sanctum nomen JESU profanantium voces: *Domine* JESU, *benedicas obſecro, hanc creaturam tuam, ceram, & concede illi cœleſtem tuam benedictionem, per potentiam ſanctæ tuæ crucis, ut, ſicut data eſt humano generi ad effugiendas tenebras, ita nunc eam quoq; vim percipiat, per ſignum ſanctæ crucis, ut ubicunq; accendatur & ponatur, malignus Spiritus contremiſcat, & ita teritus aufugiat cum omnibus ſervis ſuis ex habitatione illâ, nec deinceps vexet eos, qui tibi adhærent.* Vultis etiam ceræ *Adjurationem*, quam pariter S. TRINITATIS comitetur profanatio? agite attendite ad ſequentia: *Adjuro te creaturam, ceram, in nomine Domini noſtri & ſanctæ* TRINITATIS, *ut ſis extirpatio & expulſio diaboli & ſpectrorum ejus* &c. Hoc verò ſi non eſt ſuperſtitioſum, non fanaticum, non ſcandaloſum, non blaſphemum, dic ſodes, quid tandem ſit ſuperſtioſum, quid fanaticum, quid ſcandaloſum, quid blaſphemum? O puſillum, & miſerum ſic

paventem Diabolum! Ecquis crediderit, ardentis candelæ ignem ſic timere Angelum ignis, ut ad *accenſi cerei* igniculum *contremiſcat*; ut micantis flammulæ ſplendore *territus aufugiat*; ut eò, unde prodiit, revertatur atque ad flagrantis inferni flammas confugiat? Non *contremiſcet*, non *territus aufugiet* ab illis, quibus ſuis ſpectrorum terriculamentis, blaſphemiam extorſerit. Manſionem potiùs apud tales eſt facturus, ut ſic circumventos, ſic captos in exitiali devotione retineat. Fugitivo autem iſto Diabolo, nihilo pertinaciores eſſe oportet cacodæmones illos, quos fumi ſuffitus pellit. Sicut enim in Purificationis Feſto conſecratos cereos, lambentem flammulam, malos fugare genios perhibent, ita quoque in *Herbarum*, Mariæ pariter conſecrato Feſto, ex accenſis ſanctificatarum manipulis herbarum ſurgentem fumum eosdem profligare & foras pellere fabulantur. De quo Feſto ſuo loco plenius.

IV *Feſtum VII dolorum B. Mariæ.*

CCXLVI. Quartum in cultum B. Virginis inauguratum Feſtum, *Commemorationis ſeptem dolorum B. Mariæ* nuncupatur. Etenim *Georgius Hallerus*, Cœnobii Kieſerbaccenſis in Marchia Bavarica Decanus, circa annum Domini M D XLV, illud prioribus ſeculis ignoratum Feſtum primus inſtituit. Rei geſtæ teſtem damus *Bruchovium*, Chronici Monaſteriorum Germaniæ auctorem. Epigramma Cœnobii iſtius Templo appenſum eſt tale:

Conficiare tuis ne ſola doloribus ægris,
Virgo, parens Domini, Diva Maria, mei:
Solennem poſt Paſcha diem tibi dedico, Phœbus
Quem decimum nonum ſemper ab axe trahet.
Confluat hanc noſtram populus quo totus in ædem,
Et peragant Feſtum fœmina virq; Tibi.
Exorans Natumq; Patremq;, ut, ceu tibi in iſtis
Adfuit ærumnis, Virgo Maria, tuis:

Sic quoq; nos nunquam lacbrymantes atq; gementes
Gratia clementis deſerat ipſa Dei.

Nihil addo, hoc ſaltem quæro, anne illa quæ *doloribus ægris eſt confecta*, ita immoderatè dolens ut dolore planè *conficeretur*, citra diffidentiæ peccatum ſic immoderatè dolore potuerit?

CCXLVII. Quartum locum occupat Feſtum Annunciationis B. Mariæ. Atque hoc Feſtum ut eſt antiquum, ita nec à nobis repudiatur ſed ſolenni ritu illud celebramus, in honorem ipſius Chriſti, & ad recolendam annunciationis memoriam. Antiquitatem *Enarratio Evangelii de Sanctâ Deiparâ* comprobat. Enarratio autem iſta ſive ſit *Athanaſii*, ſub cujus nomine circumfertur, ſive *Cyrilli*, (in quâ ſententia eſt Baronius) magis tamen eſt antiqua, quàm ut inter recentiora Eccleſiaſtica ſcripta redigi debeat. Habent autem ejus verba ita: *Feſtum unum è Dominicis, atq; adeò primarium, & prorſus venerandum, utpote quod pro ordine & digeſtione rerum, quæ in Evangelio de Chriſto prædicantur, ſacroſanctum habetur, quippè in quo de Filii è cœlis deſcenſu agitur.* Ecce, nullam hic factam Matris, ſed ſolius Filii mentionem. Quicquid verò hujus ſit, ſi in S. Johannis aliorumque Sanctorum vel hominum vel Angelorum memoriam & honorem inculpatè celebrantur Feſta, ecquis culpaverit illos qui memoriam annunciatæ per Gabrielem Angelum conceptionis Filii Dei memoriam renovaturi, Feſtum diem in utriusque & ejus cujus *è cœlis deſcenſus* eſt annunciatus, atque ejus, cui facta eſt annunciatio, honorem, ſolenni acta feſtivitate, ſuſceperint?

IV Feſtum Annunciationis.

CCXLIIX. Quintum à Chriſtianis in B. Virginis honorem celebrari ſolitum Feſtum, priori recentius eſt,

V nempè *Viſitationis B. Mariæ*, ab Urbano VI ejus nominis Pontifice, flagrante inter hunc & Clementem VII Schiſmate, inſtitutum. Hunc enim Gallicanæ, illum Italæ nationis Cardinales in Pontificem elegerant. Iſti Schiſmati medendo, non viſus eſt Urbano quiſquam magis aptus potènsque, quàm eſſet B. Virgo Maria. Quamvis verò per Urbanum inauguratum Feſtum, Bonifacii IX Bullâ ſit confirmatum, non ſic univerſaliter tamen eſt receptum, ut alia confirmatione non fuerit opus. Hanc igitur addidit Synodus Baſileenſis. Si verò inter *beneficia Eccleſiaſtica,* hoc quoq; beneficium, per cujus diſpoſitionem, Eccleſia novo Feſto die eſt locupletata, hæc ipſa quoque circa Feſtum Viſitationis Beatæ Virginis diſpoſitio, inter illas referenda erit *Diſpoſitiones*, quas *Bellarminus* per *Nicolaum V Pontificem approbatas* eſſe perhibet loco ſupra citato. Quod etiam confirmat Pontificiæ Eccleſiæ praxis, ſiquidem in iſtâ Feſtum illud in hunc usque diem celebratur: quod, quum etiam apud nos feriatus ſit ille dies, haud improbamus.

Feſtum Viſitationis.

CCXLIX. Denominatur autem Feſtum illud à *Viſitatione*: Non quidem quod B. Maria ſit viſitata, ſed quod illa viſitaverit B. Eliſabetham gravidam Zachariæ conjugem. Unde in utriusque, & hujus & illius, celebritas iſta vergit honorem. De inaugurati autem Feſti *Fine* non convenit inter ipſos Pontificios. Baſileenſe Concilium huic fini inſtitutum eſſe perhibet, *ut honorata in hac diei celebritate, per pias & devotas fidelium mentes, mater gratiæ & omnis conſolationis ſacerrima Virgo Maria, benedictum Filium ſuum, jam multis hominum peccatis offenſum, ſuâ interceſſione concilians, pacem & unitatem fidelibus largiatur.* Quod hîc Synodus Baſileenſis, in genere de *pace & unitate, fidelibus* per B. Virginis *interceſſionem largiendâ,* memorat,

hoc

hoc *Hermannus Wittekindus* in ſuo computo Eccleſiaſtico ad Turcarum internecionem reſtringit: *Hanc ſolemnitatem*, inquiens, *in Concilio Baſileenſi anno Domini MCCCCXXXII, inſtitutam, ad ſupplicandum litandumq́; Mariæ, ut Turcos Chriſtianis infeſtos, peſſundaret, quemadmodum ipſa montes Judææ calcaſſet in iſto ad cognatam ſuam itinere.* Pacem Te, non Maria, ſed Deus, poſcimus omnes; Pro hac impetrandâ non homini ſed Deo *ſupplicamus litamusq́;*. Tantò autem duriora ſunt iſta Wittekindi, quàm ſunt Synodi Baſileenſis effata, quantò eſt intolerabilius, Mariam, non ſaltem ut intercedentem, ſed etiam ut dantem & largientem illud quod petimus, invocare. VI

CCL. Oblitus propè eram Feſti quod Dormitionis, Aſſumtionis, Mariæ Tranſitus & Herbarum nominatur nominibus. Piaculum autem foret, præterire Feſtum quod *Durandus Majus* eſſe ait, *omnibus aliis quæ fiunt de Mariâ. Unde etiam*, pergit, *habet Octavas & Jejunium; quod non habet aliud Feſtum de illâ.* Huic ſuffragatur *Petrus Cluniacenſis*, quando memorat, *Moris eſſe Romanorum, Feſtum Aſſumptionis Mariæ inter omnes anni feſtivitates præcipuo honore colere, & ſpeciali devotione venerari: indeq́; factum ut inter alia Cereos maximos faciant, quos in Vigilia feſtivitatis hujus accendant.*

Feſtum ASSUMTIONIS, *dormitionis, Mariæ Tranſitus & Herbarũ.*

Rationalis libr. 7. cap. 24.

Lib. 1. de Mirac. cap. 30.

CCLI. Ante omnia autem alia, varia Feſto huic indita nomina, ſunt explicanda, ut denominationis ratio fiat conſpicua. *Dormitio* temporalem & naturalem mortẽ notat. Quod videlicet ille qui moritur *obdormire* dicitur. Dormitioni æquipollet *Aſſumtio*; quod morientium & in Domino obdormientium animæ in ſinum Abrahæ aſſumantur. Remittimus hinc Lectorem ad Num. LXXXV, quo utriusque & Dormitionis & Aſſumtionis ſignificatio eſt evoluta,

Dormitio & Aſſumtio.

 luta,

luta, quæ hîc repetere ſuperſedemus. De dormitione autem ſeu morte B. Virginis immanè quantum diſcrepant omnes, quotquot illam tractarunt materiam. Quot enim ſunt capita, tot quoque ſunt ſenſus. Adeò ut *Baronius* Tomo I, pag. 367, *Monſtroſam quandam inter eos diſcrepantiam reperierit*. Monſtroſè verò diſcrepantes conciliare, quum non ſit noſtrum, nolumus nunc hoc agere, vel agendo tempus perdere tœdiumve creare Lectori.

Aſſumtio. CCLII. *Aſſumtionem* diximus Dormitioni ſeu morti æquipollere. Quod in ordine ad alios Sanctos, beatè vitâ functos procedit quidem, aſt reſpectu B. Mariæ, amplius aliquid notat. Hanc enim non animâ tantùm, ſed etiam corpore, atque ſic totam Mariæ perſonam, eſſe aſſumtam, communis & in Romana Eccleſia univerſaliter recepta eſt ſententia. Quantumvis verò aliqui animam præceſſiſſe, corpus per Apoſtolos ex mandato Dei in Vallem Joſaphat deportatum ibique eſſe ſepultum, tàm affirment audacter, ac ſi ipſi ſepulturæ ſpectatores egiſſent & exſequias iviſſent; alii licet ſepulturæ non adverſentur, *tumbæ* tamen Æſopicam appendunt inſcriptionem, quod ſcilicet Dei & Mariæ Filius, relictâ tantiſper dextrâ Dei Patris, deſcenderit de cœlo, & tertiâ die, triduanas Vigilias ad ſepulcrum agentibus, adeoque ſpectantibus Apoſtolis, venerit ad monumentum atque ſuſcitatum matris ſuæ corpus, ſecum in cœlum evexerit. Mirum quod hîc non accuſent θεοπνεύστων Scriptorum oſcitantiam, qui hiſtoriæ, cujus oblivio annuâ feſtivitate erat cavenda, tamen obliti, in Scripturam illam redigere neglexerint. Promittere equidem illis auſim, faventes & conſentientes Chiliaſtas, quippè qui Chriſtum toties è cœlo evocant, quoties horum alicui mille annorum Regnum Chriſti terrenum

prope

prope viſum eſt adeſſe. Sed utrique, & funeris curam gerentes, & Chriſtum ad capeſſendum Regnum terrenum venturum præſtolantes, magis obliviosi mihi eſſe videntur, quàm fuerunt Evangeliſtæ, Mariæ reſurrectionis profectionisque in cœlum obliti: quum prius dicti, verborum Chriſti, Joh. XIII dicentis: *Adhuc pauliſper vobiscum ſum*, planè fuerint obliti; ſicut nec magis memores, ipſius Chriſti interdicti, fidem perhibere prohibentis, *Si quis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus* &c. Et, ſi crederent Symbolo affirmanti, quod *Adſcenderit in cœlos, atq; inde venturus ſit judicare vivos & mortuos*, quomodo verum eſſe crederent, veniſſe eum prius, quàm venturus promittitur, ad ſuſcitandam matrem Mariam, vel venturum antequam venerit judicare vivos & mortuos, ad inauguradum & capeſcendum mille annorum Regnum terrenum.

CCLIII. Magis circumſpectè rem geſſerunt *Uſuardus* & *Ado*, extra dubium ponentes, mortalè B. Virginis corpus, poſtquam illa obdormierit, alicubi quidem locorum relictum & monumento creditum, ubi autem *collocatum ſit frivolis* accenſent conjecturis: quippè qui in Martyrologiis ſuis ita: *XIIX Calend. Septembris eſt Dormitio ſanctæ Dei genetricis: cujus ſacratisſimum corpus, etſi non inveniatur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia, ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis, eam migraſſe non dubitet: quo autem venerabile iſtud Spiritus Sancti templum, nutu & conſilio Divino collocatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm quid frivolum & apocryphum inde tenendum docere.* Communis interim & pervulgata, inter Pontificios regnans, opinio hæc eſt: quod B. Maria, & animâ & corpore ſimul in cœlum ſit ſublata.

CCLIV. Re-

Herbarum Feſtum. CCLV. Reliquum nunc eſt ut inveſtigemus rationes denominandi ab *herbis*, quod *Herbarum Feſtum* nuncupatur. Accerſita autem eſt ſic nominandi ratio, à *roſis* & *liliis*, quod Roſæ & Liliis B. Maria comparatur. A duabus florum ſpeciebus itum eſt ad univerſa, quæ terrâ naſcuntur, ad herbas, plantas, ſegetes, radices, arborumque fructus. Horum ſingula, ſuperſtitiosâ manu collecta & in faſciculos manipulosve redacta, in iſto Feſto ad benedicendum offeruntur, tribuiturque illis virtus operandi ſupra naturam, qualia non poſſunt ſæva miſcentes toxica edere miracula. Mira enim minimùm, ſi non miracula ſunt, quæ *Wittekindus* in Computo Eccleſiaſtico de conſecrationis effectu ſcribit: *Ferre ſolent mulieres in templa faſciculos herbarum, in quibus conſecratione Sacerdotis immitti vis fugandi cacodæmonas, ſpectra, veneficia, & probibendi fulmina, aliaq; noxia, creditur, ſi ſuffitus ex iis fiat. Ob quàm cauſam* FESTUM *hoc vulgo* HERBARUM *vocatur.* Hi ſcilicet ſunt miſeri illi Diaboli, quos, ut ſupra diximus, tremulus lucernæ ſplendor & ſurgens de cinere fumus pellit.

Octava. CCLVI. Inter prærogativa quæ hoc Feſtum præ aliis de Maria Feſtis habere Durandus perhibet, *Octavæ* referuntur & *Jejunia.* Octavæ nomine veniebat olim, cujuscunque feſtivitatis dies maximè ſolennis, in quo terminaretur omnis reliqua ſolennitas. Hinc Græci ἀπόλυσιν vocarunt. In genere aliàs *Octava* dicitur omnis dies quietis, quia Chriſtus *octavâ* die, ad æternam reſurrexit requiem. In cujus reſurrectionis memoriam, Sabbati feria, in octavum à Chriſtianis eſt translata diem, ut ſeptem dierum labores octavus terminaret. Quod deinde nominis omnibus diebus Feſtis cujuscunque Sancti memoriam celebrantibus eſt inditum. Unde de aliquo Mariano Feſto *Frodoardus* in Leone IV. PP. ſic cecinit:

Octa-

Octavam ſtabilit feſti celebrarier almæ
Reginæ ſuperi Regis ſine more parentis.

CCLVI. Inter *Jejunia* eminebat olim Quadrageſimale ſeu Paſchale, de quo egregiè commentatus eſt *Johannes Fileſacus*. Reliqua ſic ſunt multiplicata, ut numerari vix poſſint. Illud autem, cujus meminit Durandus, Aſſumtionis Feſtum anticipavit; ſiquidem ille reſpexit ad *Vigiliam* i.e. diem profeſtum, quo ſolito parcius veſcebantur, ut ſeſe ad dignè celebrandum feſtum præpararent & per abſtinentiam quaſi purificarent. Aliàs Vigiliæ nuncupabantur ipſa Officia & veſpertina & nocturna, cùm illa, quæ in privatis, tùm etiam iſta, quæ in publicis ſacris ædibus peragebantur. Tam videlicet ardens majorum erat devotio, ut non interdiu tantùm, ad celebrandum magnum Dei nomen, ſed etiam mediâ nocte convenirent. *Durandus* Rat. Cap. III: *Romani etiam adhuc in præcipuis feſtivitatibus totius anni in ſero dicunt tres Pſalmos, & tres Lectiones, quas Vigilias vocant, & in Nocturnis idem repetunt.* Erat autem Officium illud in duplici differentia, aliud Veſpertinum aliud Nocturnum, ceu memorat & docet Honorius Auguſtodunenſis Lib. III Cap. VI. *More antiquo*, inquit, *duo nocturnalia Officia in præcipuis feſtivitatibus agebantur; unum in initio noctis à Pontifice cum omnibus ſuis Capellanis, usq;* Venite: *aliud media nocte in Clero, ſicut adhuc ſolenniter celebratur; & populus, qui ad feſtum confluxerat, tota nocte in laudibus vigilare ſolebat.* *Jejunia.*

CCLVII. Nocturna iſta Officia quidem paſſim, quamvis non univerſaliter, hodie etiã apud nos obtinent: quippè quæ non ita exoleverunt, ut nullum ejus reliquum ſit veſtigium. In Abbatia SS. Petri & Pauli Regiæ Lutteræ, quæ meæ credita eſt fidei, ab antiquo obtinuit & obtinet Officium Nocturnum *Officia Nocturna.*

in Vigilia Feſti Nativitatis Chriſti Servatoris noſtri. Facimus autem Vigiliam iſtam, ad imitationem majorum, hunc plenè in modum. Profeſto, Nativitatem Chriſti præcedente, die eleemoſynæ diſtribuuntur inter pauperes & egenos. Duodecima hora noctis Officium nocturnum celebratur, habita Concione ad populum, Pſalmis Sacriſque canticis celebratur magnum Domini nomen, debitæque Deo Patri ſolvuntur gratiæ, de miſſo in carnem Meſſiâ, mundi Redemtore.

Cum Officio Nocturno cōjuncta ſcandala. CCLIIX. Sed in pium majorum inſtitutum, optimamque noſtrorum ipſorummet intentionem, naturæ inſita in malum inclinatio, atque promiſcuæ plebis utriusque ſexus, certatim advolantis, petulantia, ſcandali plenum invexit abuſum: tàm quidem enormem, ut ipſum tollere videretur uſum. Nempè eò erupit impietas, ut, quam adſpiciente ſole exercere petulantiam erubeſceret, ſuſpenſis accenſisque ad denſas diſcutiendum tenebras luminaribus ſeſe ſubducentes, aliquid indecens, quod interdiu haud eſſet licitum, impunè patraturum arbitraretur profanum vulgus. Non ſine vehementi indignatione animadversâ ſacrilegâ domus Dei profanatione, hanc cautum iturus, nec tamen permiſſurus, ut, penitus obrogato Officio Nocturno, extinctis vel laudum Sacrificiis, debitæ ceſſarent gratiarũ actiones, Nocturnum illud Officium in Veſpertinum commutandũ eſſe duxi. Aſt ubi inveteratum malum tàm pertinaciter hærere, ut ſacra iſta, conſtitutis quamvis obſervatoribus, tamen ſine tumultu peragi haud poſſint, intellexi, memoriam ſubit, de interdictis olim Vigiliis legiſſe me aliqua apud *Honorium Auguſtodunenſem*, loco ſupra citato, in hunc deſinentia ſenſum: ***Poſtquam verò illuſores bonum in malum permutaverunt, turpibus cantilenis & ſaltationibus, potationibus & forni-***

fornicationibus operam dederant, Vigiliæ interdictæ, & dies jejunii dedicati ſunt, & vigiliarum nomen retinuerunt. Iſta ibi de abrogatis ſeu *interdictis Vigiliis*, atq; de urgente interdicendi neceſſitate Honorius. Attamen quum vero haud ſit ſimile, tanta flagitia, quanta ibi memorantur, in ſacra templi Dei, ædeſpectante fidelium congregatione, eſſe commiſſa, ad illa crediderim reſpexiſſe Honorium, quæ privatos intra parietes fieri conſueverant. Tales ſcilicet Vigilias, quas exorbitantes damnant circumſtantiæ, in *Antiſidorenſi* quoque *Concilio* cap. III fuiſſe prohibitas, ipſe Cardinalis *Baronius* ad annum DXCIX Num. 53 & 54 obſervavit & annotavit.

CCLIX. Noſtrum autem Officium Veſpertinum, quum nihil omnino, vel cum domeſticis Vigiliis, vel cum inſtitutis actisque comeſſationibus nocturnis habeat commune, ſummum veneramur Deum, velit ille labiorum noſtrorum Sacrificium laudis & euchariſticum, quod in Officio veſpertino devotâ mente offerimus, benignus adſpicere, neque malè feriatorum effrenem petulantiam, nobis, qui ex voto illam, conſtitutis quamvis obſeravatoribus, reprimere & compeſcere nondum poſſumus, imputare ad peccatum.

CCLX. Privatas interim & domeſticas, ſub plauſibili exercitiorum pietatis encomio, mediâ nocte non ſine comeſſatione quandoque ſuſceptas Vigilias pſeudonymis Pietiſtis relinquimus. Subinde etiam Magiſtratum gerentes amicè, fideliter monemus, velint illi, Honorio Auguſtodunenſe aurem vellicante, ad Antiſidorenſis Concilii Patrum imitationem, proſpectum ire, ut ſubleſtæ iſtæ clancularię Vigiliæ, atque nocturna pietatem præ ſe ferentia, ſcandali plena, Officia quantotius ſeverè interdicantur *Domeſtica Officia Nocturna.*

cantur, atque cavere, ne impietas, ſpecioſo incruſtata pietatis prætextu, in clandeſtina ſe ingerat conventicula, quorum plus æquo laudatam utilitatem, ſæpius comperta, deturpet malignitas. Recenti verò vel renaſcenti malo ſi olim adhibita iterum applicentur remedia, de profuturo eventu non deſperandum eſt magis, quàm deſperarunt præeuntes, ſtratamque, quam ingrederemur, viam commonſtrantes pii majores noſtri.

CCLXI. Quorſum verò me & quàm procul à ſcopo retrahit ad Vigilias & nocturna Officia digreſſio? Fateor equidem, creviſſe iſtum, in quem incidi, ſermonem ſub manu, atque latius, quàm par erat, ſe diffudiſſe: quippe qui illud unum & ſolum intenderam, ut demonſtrarem, inter omnia Marianâ, ſive ut cum Durando loquar, *de Mariâ Feſta*, nullum tanto cum apparatu tantave ſolennitate tranſigi, cum quantâ Feſtum Aſſumtionis B. Virginis celebrari conſueverit: tot inſuper cumulatum prærogativis, ut pro præcipuo inter primaria ſit habendum.

CCLXII. Iſta, quæ huc usque ſunt expoſita, mente recolenti attentâ, mirari ſubit, quâ, vel neceſſitate adacti, vel ſuperſtitione faſcinati, tot viri prudentes & eruditi, in celebrationem Feſti, circa rem nihilo certiorem, quàm eſt Immaculata Conceptio, conſenſerint. Ecquid enim in alto ſilentio, cùm Scripturæ, tùm Ecleſiaſticæ Antiquitatis, vel de ἀναμαρτησίᾳ Deiparæ Virginis, vel de ejuſdem in cœlum, tàm ſecundum corpus, quàm animam, Aſſumtione certi citra falſi formidinem conſtitui poteſt aut determinari? Incertitudinem, non ſine trepidatione aſſerentium, prodit diſſenſus, tàm notabilis & apertus, ut ipſe Magnus Baronius, *Monſtroſam quandam inter eos* (Aſſumtionem propugnantes) *diſcrepantiam reperiri*, non potuerit diſſimulare.

Magnâ

Magnâ igitur cum ſolennitate celebrantes Feſtum, quod nullo certo Sacræ paginæ nititur teſtimonio, magno conatu magnas egerint nugas, ludibriumque dederint omnibus, qui ſaniores minusque ſint ſuperſtitioſi, quàm ſunt ſententiis inter ſe colliſi contrariis, *monſtroſe* à ſe invicem *diſcrepantes*. Erraverint illi densâ quamvis cum multitudine, ſit error iſte inveteratus & catholici inſtar, eſt tamen & manet error, nec errantium multitudo errantes excuſat. Quanta igitur ſit errorum à majoribus in poſteros derivatorum pertinacia, quanta vi mos, evidenter quidem malus, ſed inveteratus, invadat & occupet etiam prudentes, atq; ad faciendum ex conſuetudine impellat, quod, ſi ſobrii ſecundum rectæ rationis, ultra naturales vires Divinâ revelatione elevatæ, ductum philoſopharentur, non eſſent facturi, quod faciunt: quanta, inquam, ſit vis malorum, quæ altas ab antiquo egerunt radices, Mariana & Aſſumptionis & Immaculatæ Conceptionis feſta, in Pontificia Eccleſia ſic uſitata & recepta, ſicut Bachanalium feſtivitas uſitata & recepta eſt apud omnes, quorum Deus venter eſt, pleno ore loquuntur. Ecce verò, amice Lector, quàm ægrè, quàm difficulter dimittatur aliquid, cujuscunque illud ſit coloris odorisve, quod diu, quin ab ipſis inde incunabulis placuit.

CCLXIII. Miſſis nunc B. Virginis in mortalem hanc vitam & introitu & ex eâdem exitu, i. e. & Conceptione & Aſſumtione, ad Septimum progredimur in ejusdem honorẽ Hieroſolymis cum primis, atque paſſim per Orientem Occidentemq; ſolenni ritu actum *Mariæ Spasmi* ſive *de Spasmo* Feſtum. Originem illud debet antiquæ traditioni, quod B. Servatoris noſtri Mater, ubi Filium ſuum ſub crucis pondere ſudantem anhelantemque conſpexerit, Spasmo correpta animæque deliquium paſſa conciderit. Locum in VII *Mariæ Spasmi Feſtum.*

 quem

Templum S. Mariæ de Spasmo quem proſtrata exanimis procubuerit, Sanctum eſſe habitum, Templum ſive Sacellum S. Mariæ de Spasmo, ibi exſtructum, teſtatur. Diu fanum illud largis, more conſueto, ditatum eſt Indulgentiis, atque in magna habitum veneratione. Circa neceſſariæ autem Reformationis initia Romæ agitari cœpit Quæſtio: *Num, quod de Spasmo glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, matris Dei dicitur, ſit Canonicum?* Diu in partem utramque de quæſtione iſta eſt diſputatum; nec tamen feſtivitas B. Virginis Spasmi, quæ à Dominicâ paſſionis usque ad Dominicam Palmarum cum ſuis Octavis eſt, celebrari deſiit, donec *Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus*, ad Feſti iſtius examen ſuſcipiendum eſſet requiſitus. Haud perfunctoriè autem munus illud implevit, ſed adhibitâ ſollicitâ curâ eſt exſecutus: uti è Tomo Opuſculorum ejus II Tract. XIII pag. 180, patet. Reducit autem ibi Cajetanus omnia totius hiſtoriæ iſtius membra, & *Templi*, Spasmo B. Virginis conſecrati, inaugurationem, & *Indulgentias*, quibus illud ſit ditatum, & *Feſtum*, in rei geſtæ memoriam inſtitutum, ad facta tàm incerta, quàm *quæ* ſunt incertiſſima. Facta autem, quibus tanta ſuperſtitionum ſuperſtructa moles, Paſſionem Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti quamvis attineant, eorum tamen in omni Pasſionis hiſtoria nullum exiſtit veſtigium. Nullus enim Evangeliſtarum memorat, quod ante angariatum Simonem Cyrenenſem ad portandam crucem Domini, & ipſe Salvator noſter ſub cruce ceciderit, & B. Virgo, mater ejus, compatiens, ceciderit Spasmata. Ad Scripturam igitur Canonicam provocare quum non potuerit Cajetanus, iſta, quæ de Spasmatâ Matre Domini dixerat, *ſcripta* quidem *inveniri*, perhibet, aſt non in Evangelio, atque ideò *non authentice* eſſe ſcripta i. e. innotuiſſe per Traditionem

nem

nem, ſcriptam quidem, attamen non in Scripturâ authentica. Prolixum itaque *Spasmi* examen ibi ſuſcipit, ac neque ſecundum propriam & Phyſicam, neque ſecundum vulgarem ſignificationem vel acceptionem, in B. Virginem quadrare, vel prædicari de eâ poſſe, quod Spasmo ſit correpta, contendit. Non in ſignificatione propria, quâ Spasmus morbum, nervos contrahentem, ſignificet: Diſconvenientiæ rationem prætendit iſtam, *quia ſimilis debeat credi filio per omnia, quantum fas eſt: de Filio autem teſtari perbibet Chryſoſtomum, quod non fuerit conveniens, ipſum aliquo morbo langueſcere*. Unde rectè ſequi putat, non eſſe conveniens, credere, quod Maria Spasmi morbo ſit correpta, ſiquidem *diſſonet rationi, B. Virginem ægritudinem aliquam paſſam fuiſſe*. Sed corruptam rationem eſſe oportet, *cui diſſonat*, quod, quà homo, aliquid paſſa ſit humani. Et argumentum à Chriſto ad Mariam, ſimile eſt ei, quod à baculo ad angulum. Quàm rectè igitur hiſtoriæ fidem in dubium vocat, tàm ſunt, hujus infringendæ gratiâ adductæ rationes, inconvenientes.

CCLXIV. Porrò, quod in vulgari ſignificatione (quâ Spasmatus aliquis cadere dicitur, quando præ doloris magnitudine ſyncopen ſeu ecſtaſin patiens cadit) de B. Virgine dici haud poſſit, eſſe eam Spasmatam, ratione à priori probare conatur. *Revera*, inquit, *neq; iſto modo Spasmus in B. Virgine fuit; quum enim plena fuerit gratia Luc. I, oportet corporales defectus de eâ negare, qui plenitudinem perfectionemq; gratiæ impediunt.* Quaſi verò corporis aliqua infirmitas Divinæ inhabitantis *gratiæ plenitudinem perfectionemq; impediat.* Qui in hanc cum Cajetano deſcendunt ſententiam, dicant, quid de moribundis, *Oculis in morte natantibus atra*, futurum, ſi ea eſſet vis morbi, ut gratioſam

Divini

Divini Spiritus, ſolatii plenam operationem, reprimere aut ſuffocare valeret?

CCLXV. Quicquid verò hujus ſit, non eſt inſtituti noſtri, allatarum à Cajetano diſconvenientiarum expendere pondus: huic ſaltem fini adducta eſt ejus in Feſtum B. Mariæ Spasmi commentatio, ut, hujus veſtigia legentes ductumque ſequentes, monſtratum demus, (1) quod Feſti alicujus diei ſolennitas & celebratio in facti incertiſſimi memoriam olim ſit inſtituta: (2) quod ejus cultus per multa ſecula religiosè ſit obſervatus: (3) quod nullâ hiſtoricâ certitudine nixum Feſtum, hujusque agendi gratiâ ſtructum Templum magni momenti Indulgentiis ſit auctum & locupletatum: (4) quod, non obſtante continua & inveterata celebrandi conſuetudine, tamen ſit abrogatum, vel minimùm in deſuetudinem venerit atque celebrari deſierit. Iſta verò ex Cajetani commentatione deducta ſufficere nobis poſſunt ad demonſtrandum, quod eadem, quæ hujus feſti cultusque eſt ratio, ſitquoque ratio iſtius, quod in memoriam Immaculatæ conceptionis inſtitutum diuque cultum eſt Feſtum. Ita ſcilicet omnia ex aſſe quadrant, ut ovum ovo non poſſit eſſe ſimilius, quàm Feſto Spasmi B. Mariæ ſimilè eſt ejusdem Immaculatæ conceptionis Feſtum.

CCLXVI. Si autem par eſt utriusque Feſti conditio, atque ſine diſcrepantiâ conveniunt in omnibus, non posſunt non convenire in duratione & continuatione: minimùm abrupta continuatio non huic magis, quàm illi poteſt adverſari. Atque ſicut illud, non obſtante per aliquot ſecula religioſâ ejus obſervantiâ, citra ſacrilegium, citra offendiculum, citra ullum Eccleſiæ damnum, non obſtante miro ejus apud populum favore, exolevit, adeò ut celebrari

brari deſierit; alterum quoque, nec dignitatis, nec certitudinis majoris, eundem ſi ſortiatur exitum & eventum, nihil inſoliti, quod exemplo careat, evenerit. Quem eventum qui ſunt promoturi, illi tantò majorem merebuntur gratiam, à quantò majori ſuperſtitione Pontificiam liberaverint Eccleſiam. Et certè in libertatem vindicari poterit iſta Immaculatam conceptionem credendi ſervitus ſine offendiculo & ſcandalo, ſi in eundem procedatur modum, in quem Cajetani ætate negotium eſt transactum. Nullo opus erit Pontificis Romani, Alexandrinam Conſtitutionem in Conſtituentis opprobrium deſtruente, publico interdicto. Parcere poterit Pontifex appenſo Bullis plumbo, ſicut nec hujus pondere Mariæ Spasmi Feſtum eſt oppreſſum, nullo potius urgente plumbi ſigillo, in deſuetudinem venit: etenim ſicut omnis ejus memoria, intra ſeculi ſpacium, voluntariâ oblivione eſt contrita, ita etiam Immaculatæ conceptionis Feſti memoria, non quidem unâ validâ inductâ liturâ, ſed ſenſim ſine ſtrepitu, ceſſante Dogmatis & defenſione & impugnatione, oblivione ſepeliri poterit: nec magis mirabuntur poſteri in deſuetudinem illud veniſſe, quam miramur hodie, quod, temporis non admodum longinqui tractu, Spasmatis B. Mariæ Feſto inducta eſt oblivio, & tandem omnis illa ceſſavit ſuperſtitio. Honori etiam Alexandri VII Pontificis Romani conſultum iviſſe cenſebuntur illi, qui, in alterutrius partis præjudicium nequicquam eum definiiſſe, obtendunt. Cui aſſertioni quamvis reluctetur evidentia, majoris tamen mali evitandi gratiâ, haud inviti illam ſumus admiſſuri. Quod ſi enim Pontifex nihil hac in parte definivit, in definitionem haud impingere poterit ceſſans ejus, quod definitum non eſt, continuatio.

CCLXVII. Suggero equidem conſilium illud, bono animo & piâ intentione: quippè cui nihil magis eſt in votis, quàm ut Eccleſia, è quâ pii majores noſtri ſunt extruſi, deterſis eam deturpantibus ſquamis, ad priſtinam meliorum ſeculorum puritatem ſenſim revertatur: ut poſteritati noſtræ tunc, quando illa primævam iterum induerit ſinceritatem, ad eandem reverti, atque, integrâ unitate fidei ſalvificæ, ad unitatem communionis Sacramentalis, ſemotis obſtaculis, eam hactenus remorantibus, ſublatoque Schiſmate, in quo quamvis vivamus, noſtrates tamen operati illud non ſunt, redire, eandemque redintegrare tandem liceat. Et quidni ad ejus Eccleſiæ communionem reverti geſtiamus, quam majores noſtri haud fuiſſent deſerturi, ſi Verbum & Sacramenta relicta ipſis fuiſſent integra. Quia verò manere & ſubſiſtere in ſocietate tali, in quâ per Pontificis tyrannidem vitâ privantur, qui conſcientiis conſultum eunt, eſt impoſſibile, ecquid mirum fugiſſe, ferro & igne, dictu crudele, fugatos & abactos.

CCLXIIX. Præclarè in hanc ſententiam *B. D. Henricus Höpfnerus*, Lipſenſis Academiæ optimè meritus Theologus, cujus quondam ipſe ego auditor fui & diſcipulus, piamq; animam in Servatoris ſui manus conſignanti adſtiti. Agit ille Saxoniæ Evangelicæ Sectionis Primæ parte primâ, non procul ab initio, de Schismate, ortique Schismatis culpam à neceſſariæ Reformationis auctoribus amoliturus, primo *Fidei*, fundamentalis videlicet & ſalvificæ, *capitum, quæ Eccleſia Romana ſecundum Verbum Dei rectè credat & eatenus adhuc Dei, illam τερπ-φορῦντος & ad pœnitentiam invitantis, Templum ſit II Theſſ. II, 4. reſpectu, unionem manſiſſe*, perhibet. Inde verò, quod iſtius fidei unitas inviolata manſerit, probè infert, quod ejus fidei intuitu primi Reformationis auctores non ſint Schismatici:

tici: ſicut nec, reſpectu *Diſceſſionis Culpæ*, Schiſmatici dici mereantur, ſiquidem omnis illa culpa in Pontificis recidat caput. *Hæc enim culpa*, inquit, *imputanda eſt Eccleſiæ Romanæ, quatenus Pontificem & Curiam Romanam audit, & ad oſtenſam veritatis viam non vult regredi, ac* NOS A SE ABEGIT, *ſemel, mixturâ* Traditionum humanarum *cum Verbo Divino, & ſuperſtitionum cum vero Dei cultu: deinde* Anathematiſmis, *quibus à ſe* ABACTOS *damnat, ac rapinis, incendiis & internecionibus hoſtium objicit: Tertio* Tyrannide, *quam uſurpat in Confeſſionis noſtræ homines, & vult, ut omnes, ſibi fideles, ſe immanitatis hujus participes faciant, & à piaculari hac crudelitate abhorrentes, non niſi tepidos Catholicos nominat.* Modus ſeparationis noſtræ *idem comprobat.* NON *enim* SPONTE, SED DOLENTER ADMODUM RECESSERUNT, *& nihil magis in votis habuiſſent noſtri, quàm ut ipſi quoq; veritatis agnitæ lucem recepiſſent.* Reliqua, quæ ſequuntur, lectu quamvis ſint dignisſima, temporis tamen chartæque anguſtiæ habenda eſt ratio. Legit autem B. Höpfnerus veſtigia *B. Gerhardi*, immortalis memoriæ Jenenſis Academiæ Theologi, de eadem abactorum expulſione queſti, totidem, quæ ſubjungimus verbis: *Nos*, inquit, *fulmine excommunicationis à Romano Pontifice impetiti, & perſecutionum violentiâ è Romanæ Eccleſiæ ſocietate* EXPULSI, *ab iſtorum communione diſceſſimus, non tàm ab ipſis* FUGIENTES, *quàm* FUGATI. *Si veræ doctrinæ confeſſio & legitimus Sacramentorum uſus nobis liber fuiſſet relictus, fortè non diſceſſiſſemus ab externâ Romanæ Eccleſiæ Societate.* Eſt autem communis iſta Proteſtantium ſuper Pontificis tyrannide tàm Reformatorum, quàm Auguſt. Confeſſionis ſociorum uno quaſi ore prolata querela. Audia-

tur hac de re *Thomas Schmith*, Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, Collegii B. Mariæ Magdalenæ Oxon. Socius. Ita verò ille Exercitatione Theologicâ, de cauſis remediiſque diſſidiorum, quæ orbem Chriſtianum hodie affligunt: *Romanam*, inquit, *Eccleſiam ideò violatæ pacis ream jure merito poſtulamus, quia refixis primævæ antiquitatis regulis, novos articulos, tanquam Fidei magiſtra, licet ſub ſpecioſo Declarationis titulo & prætextu, orbi Chriſtiano obtrudit. Qualis autem hæc tyrannis, ut nullâ Scripturarum, nullâ veterum Eccleſiæ ſeculorum habitâ ratione, ex arbitrio curiæ Romanæ, éque Scholaſticorum opinionibus, tota pendeat Chriſtianorum fides, ut à communione arceantur reliquæ Eccleſiæ, niſi ſe in clientelam ipſius turpiter dedant, in fide erudiendas, ut deniq; odioſo Schiſmaticorum & Hæreticorum ſtigmate urantur, quotquot jus ſuum adverſus novaturientium machinationes eunt vindicatum.* Et idem Thomas Schmith poſt pluſcula interjecta: *Quàm vulnus illud biulcum, quod dudum corpori Eccleſiæ inflixit Schiſma, de facili coiiſſet, ſi hâc medicinâ* (ut videlicet Articulis, ſine quorum explicitâ fide nemo Chriſtianus futurus eſt, admiſſis, de cæteris dogmatibus liberum cuique ſit judicium) *adhibitâ, tot Confeſſionibus, tot novis Canonibus Tridentinis, quibus Chriſtianorum mentes opprimuntur, fidesq; ſubtilibus argumentis redditur implicatiſſima, de rebus incertis & planè dubiæ veritatis* (quale, ſi ullum aliud, de Immaculatâ B. V. conceptione Dogma eſt) *non adeò dogmaticè decerneretur! Optandum foret Chriſtianis univerſis, & potiſſimùm Reformatis, quotquot è Romanæ Eccleſiæ communione* EXPULSI RECESSERE, *ut de ſingulis Religionis apicibus convenire potuiſſet: ſed quum id vix quiſquam ſperet, præ multiplici hominum ingenio & captu, præ judiciorum diverſitate, præ variis interpre-*

tandi

tandi S. Scripturam modis, quum non idem lumen, non eadem copia argumentorum, non eadem concludendi vis, cuivis ſuppetat, quid ni, pacis amori pervicaciam mentis poſtbabentes, dogmata propria ita amplectantur, ut, cætera concordes, ſi qui, in fidei fundamentum non impingentes, aliter ſentiant, Chriſtianâ moderatione & συγκαταβάσει ferant.

CCLXIX. Verùm iſta *fugatorum expulſio* à ſcopo, in digreſſionem ad pacificas conſultationes longius, quàm conveniens eſſet, nos abduxiſſe, fortè videbitur. Miſſum igitur iſta facturus ſum, ubi prius, veluti in tranſitu, monuero, ut, qui pacis, concordiæ, atque reſtaurandæ mutuæ Chriſtianæ, publicam tranquillitatem promittentis, tolerantiæ flagranter ſunt cupidi, ſollicitè caveant, ne flagrans deſiderium ſic eos agat in transverſum, ut ejus aliquid, quod moliuntur, in fidei impingat fundamentum. Fundamentali interim veritate in tuto collocata, talium tamen, quæ incertæ & planè dubiæ ſunt veritatis, ſuſceptum examen neque illicitum fuerit, neque deſiderata emendatio illis, quibus talia vel ſatis diu placuerunt, vel qui cum densâ multitudine iverunt, non quo eundum erat, ſed quo ex inveteratâ conſuetudine itur, adverſa eſſe debet. Benè monentes, citra bilis motum, patienter potius ſunt tolerandi, ſi illi placidè, ſine tumultu, ſine fulminis, Hæreſes vibrantis, tonitru rem fuerint aggreſſi geſſerintque.

CCLXX. Et quum vix ullius rei veritas tàm ſit incerta, quin ejus diuturna uſurpatio certitudinis opinionem, plebis præſertim, in mentem ingerat, eximi talis opinio uno impetu haud poterit, ſed, ſicut longo uſu roboratus eſt perperam agendi habitus, ita dandum etiam non pauxillum temporis, in quo malo adſveti, minutatim deſveſcant. Deſveturi autem haud ſunt, nî viri, qui ſupra

 vulgus

vulgus ſapiunt, rem, nullo Scripturæ fultam indicio, fucato veritatis colore incruſtare deſierint. Deſituri autem illi haud difficulter ſunt, ſiquidem propriæ conſcientiæ conſultum cupiant. Equidem ut credam, eſſe in perſpicaciſſimorum conſortio virorum nullos, qui capiant aut intelligant, quod incerta veritas, qualis Immaculatæ eſt conceptionis, mordicus defendi & propugnari nec debeat, nec illæsâ conſcientiâ poſſit, horum & prudentia & eruditio prohibet. Maximè quum ignorare non poſſint, quod deficientem per Scripturam probationem horum primarii jam dudum agnoverint. Si ingenui fuerint, (de quo dubitare nolim) non poterit non pudere eos maculæ, quàm culpâ Papæ Alexandri VII, Eccleſia ſua de novo contraxit. Pudorem rubor, in quem acti & Coloniæ & Herbipoleos Dnn. Theologi, prodit. Hunc enim quum nec pellere, nec aliquâ lithargyri ſpumâ tegere poſſent, nullamque, detergendo probro ſufficientem, ſpongiam invenirent, ad illud prolapſi ſunt extremum, ut Pontificem feciſſe negarent, cujus facti tamen eſt manifeſtus *auctor.*

CCLXXI. Quid igitur huic malo medendo reliquum eſt auxilii aut remedii? Equidem nihil magis invenio aptum & accommodatum, quàm illud exemplum, quod Mariæ Spasmi Feſtum ſuggerere, paulô ante eſt dictum. Iſtam ſi imitati fuerint, reapſe *felici eventu* probatam, praxin, ſalva res erit. Sicut illud ſenſim venit in deſuetudinem, ita etiam hoc in deſuetudinem venire patiantur. Atque tunc futurum eſt, ut, ſi incertæ veritatis memoria, quotannis ſolenni acta feſtivitate, renovari deſierit, ipſius quoque Dogmatis, cujus gratiâ magno apparatu magna ſtruitur, plebem faſcinans, ſolennitas, memoriam tandem ſit obliteratura oblivio.

CCLXXII. Sed

CCLXXII. Sed videor mihi videre poſtulati, exigentis aliquid, quod non ſit in manu & poteſtate ejus, à quo exigitur adimpletio, accuſantes iniquitatem. Præjudicialis igitur quæſtio: *Utrum Feſtorum, quæ diu obtinuerunt, abrogatio ſita ſit in poteſtate Eccleſiæ, nec ne?* hîc prius erit excutienda. Si exempla ad dirimendam quæſtionem ſufficiunt, non deſunt ſatis conſpicua. Atque inter illa notoria *Sabbathi Judaici* abrogatio, & in ejus locum diei, Dominicum quem vocant Chriſtiani, ſurrogatio antecellit. Recentior eſt, ante ſeculum, & quod excurrit, ſuſcepta, Feſti Mariæ Spasmi antiquatio, quod, olim magnâ cum ſolennitate celebratum, celebrari tandem deſiit. Taceo nunc alia, quæ ſequioribus ſeculis ſuperſtitio introduxit, in Proteſtantium Eccleſia nunquam agnita, nec potiori, quam priora illa, retinenda jure.

CCLXXIII. Verùm enim verò eadem hîc recurrit difficultas, ſiquidem ſub judice lis eſt, juréne an injuriâ illa ſint abrogata. Ut nihil nunc dicam de aliis, pro Sabbathi indeſinente continuatione ipſius Dei dimicat inſtitutio, per quam peculiari & inviolabili munita videtur privilegio. Eſſe enim Sabbathi ſanctificationem juris Divini poſitivi, quod non alium quàm ipſum Deum agnoſcat auctorem, in confeſſo eſt apud omnes. Dei autem inſtituta abſque violatione quum ſint obſervanda, non ſine ſacrilegio violaſſe illa videbuntur, qui, Sabbathi ſanctificatione antiquata, in poſterum illam prorogarunt diem. Aggravat difficultatem, detorta in Sabbathum profanantes, ſive facientes in eo opus profanum & ſervile, mortis comminatio: Utique *exſcindetur anima illa è medio populorum ſuorum*, Exodi XXXI; 14, 15. Qui itaque ligna die Sabbathi collegerat, juſſu Divino lapidabatur, Num. XV, 32 usque ad 37. Quinimò ne ignem quidem die Sabbathi licebat

licebat accendere, Exodi XXXV, 3. Quapropter, ante promulgatam Legem, pridie Sabbathi edixerat Moſes: *Quies Sabbathi Sancti Domino cras, quod cocturi eſtis, coquite, & quod elixaturi eſtis, elixate hodie ſcilicet, priusquàm adveniat Sabbathum.* Exodi XVI, 23. Ecquis verò, iſtoc conſtituto precio, in Sabbathi obſervatione ſuſceperit mutationem, ſaltem accidentalem, qualis eſt translatio in diem alium, nedum plenariam ejusdem ſanctificationis abolitionem? Hanc certè annexa ei perpetuitas & ſempiternitas per ſe & ex ſuâ naturâ prohibere videtur; quod videlicet Exodi XXXI, ſignum eſſe dicitur inter Deum & filios Israël, horumque poſteritatem de generatione in generationem: quod FOEDUS PERPETUUM, & PACTUM SEMPITERNUM ibidem diſertè nuncupatur.

CCLXXIV. Iſta igitur effata ita, ſicut jacent & ſonant, juxta ſenſum, quem primâ ſtatim fronte involvunt, qui acceperint, avorum noſtrorum prodiere memoriâ, quibus nempè difficultas iſta viſa eſt inſuperabilis. Per iſtas igitur Exodi expreſſiones eò ſunt inducti,

SABBATHICI. ut Sabbathum, etiam à Chriſtanis, pari ſolennitate celebrandum duxerint, quâ dies celebratur Dominicus. Unde *Sabbaticorum* idepti ſunt cognomen. His videlicet *Pacti Signive perpetuitas* ſeu *ſempiternitas* talem viſa eſt involvere æternitatem, quæ eſſet ſine fine, ad ſeculi usque duratura conſummationem.

CCLXXV. Operæ precium igitur facturi videmur, ſi hac occaſione genuinum Exodi verborum eruamus ſenſum. In fontibus extat vox עולם *Olam*, quæ varias ſuſtinet ſignificationes: interdum enim *ſeculum* ſignificat; quod interpretes alii, aſſumta *æternitatis* voce, exprimunt. At ſicut non omnis æternitatis una eademque eſt ratio, ita etiam h. l. pro abſolutâ æternitate ſumi non debet. Æternum

num enim aliquid dicitur,ut cum Scholaſticis loquamur,vel *à parte ante*, vel *à parte poſt*, vel *à parte utraq;*. Poſteriori modo ſolum Deum eſſe æternum, non eſt qui ignoret. Sola igitur æternitas, ſempiternitas & perpetuitas *à parte poſt*, ſeu poſteriori parte, locum hîc invenit. Quod ſic autem eſt æternum & perpetuum, non ſemper durationem, quæ ſit ſine termino & fine, ſed longum quandoque tempus, vel etiam durationem talem ſignificat, quæ juſta ſit, & ei rei, de quâ agitur, congrua ac proportionata. Non caret Scriptura exemplis, quibus aliqua promittuntur לעולם *Leolam*, in ſeculum aut perpetuum, quæ tamen certo tempore deſiiſſe, eventus docuit. Ita de Circumciſione legimus Gen. XVII, 13 *Erit Pactum meum in carne veſtrâ* FOEDUS PERPETUUM. Quod tamen, ſurrogato in ejus locum Baptiſmo, deſiiſſe & expiraſſe, probatione haud indiget. Atque ibidem v. 8. de promiſſione dandæ in poſſeſſionem terræ Chananææ: *Dabo tibi, & ſemini tuo poſt te, terram peregrinationum tuarum, nempè totam terram Chanaan, in poſſesſionem* PERPETUAM, cujus tamen poſſeſſionis jacturam fecerunt inde extruſi. Nec magis comminationum, quàm promiſſionum, indeſinens fuit perpetuitas. Sic Exodi XXI, 6 de ſervo, è domo ſervitutis ſuæ nolente egredi in libertatem, dicitur: *Erit ei ſervus in ſeculum*; quod Pagninus ita reddit: *Servietq; ei* PERPETUO. Ad iſta verò Vatablus in Notis marginalibus: *longo tempore, hoc eſt, usq; ad Jubilæum: ſive is annus propè fuerit, ſive longe abfuerit.* Prætereo nunc alias plures, de Sacerdotii & Davidici ſeminis perpetuitate, promisſiones, quæ impletæ quidem ſunt, ſed tandem tamen deſierunt. Ita perpetuum Sacerdotium, Eleazaro promiſſum, per Salomonem ab ejus poſteritate eſt ablatum. Davidi quam-

De promiſſionũ & comminationũ perpetuitate.

vis facta fuerit promisſio de perpetuitate & ſeminis ejus & ſolii, Pſalmo LXXXIX. 37. poſteritas tamen ejus deſiit, & ſceptrum eſt ablatum. Quod autem in Meſſiam translatum eſt Davidis Regnum, Spirituale eſt & myſticum.

De perpetua Decalogi Præceptorum obligatione. CCLXXVI. Porrò urſerunt iidem Sabbathici, Decalogi præcepta obligare ſine exceptione omni tempore. Subſumpſerunt de Sabbathi ſanctificatione, quod ſit tale præceptum, adeoque obligare nullo non tempore. Sed Major univerſaliter vera non eſt, quippè quæ unam atque alteram patitur exceptionem. Præceptum enim de honorandis Parentibus non obligare ſemper, hinc fit conſpicuum, quod non amplius ſuperſtites, externo honore, quem ipſi ut filialis cultus, reverentiæ ac debitæ venerationis teſtificationem accepten & amplectantur, honorari nequeant. Aliàs etiam poſt pia fata honorari poſſunt quocunque modo benè meriti. Atque ſic honoramus Sanctos, Deiparam Virginem, S. Johannem aliosque Apoſtolos, quando illorum memoriam quotannis ſolenni acta Feſtivitate celebramus & renovamus. Pari ratione ex oculis dudum ereptos & inter cœlites triumphantes Parentes honorare cenſetur, qui eorundem adverſus famæ latrones defenſionem ſuſcipit.

CCLXXVII. Honorantur deinde piè vitâ functi, etiam in effigie vel imagine. Quando videlicet & Sanctorum, & Cæſarum, & Regum, & Principum & Parentum & quorumcunque vel de Eccleſiâ, vel Republicâ Patriaque universâ, vel ſingulari aliquâ Domo & Familiâ præclarè meritorum effigies, horum quidem in privatis ædibus, illorum in domo Dei, honorato ponuntur loco. Teſtimonium ſic honoratorum Majorum perhibent ſtructa in Baſilicis Monumenta, erectæque Heroum imaginem

nem repræſentantes ſtatuæ, non ut adorentur, ſed ut oculis ſe ingerens imago, optimè meritorum memoriam refricet. Atque pertinent talia ad Templorum ornamenta, ne horum, pariter ſicut tabernarum, nuda compareant latera. Et quanquam talia non ſint de neceſſitate, ſunt tamen de congruo & decoro. Nequaquam tamen ſcandalum dantes, cultumve idololatricum præ ſe ferentes & promoturæ imagines, ſunt tolerandæ. Talis coloris eſt Chriſti crucifixi, de lateris vulnere copioſum fundentis ſanguinem, atque ad ejus lævam aſſiſtentis Matris, lac de uberibus ſpargentis, imago. Hujus emblematis ſignificationem, rhythmus exponit iſte: *Imagines Templorũ ornamẽta.*

Hinc ſanguine paſcor; inde ubere lactor:

Quo me vertam neſcio.

De illâ imagine, jam tùm numero XCVII eſt actum. Illam verò ſi templi (cujus parietem iſta commaculavit figura) non delevere Antiſtites, delendum dixerim horum nomen de libro ſi non vitæ, minimum illo, in quo ſcripta leguntur ſanæ mentis nomina.

CCLXXIIX. De reliquo Imagines & Statuæ, ad templorum ornatum pertinentes, non quidem ſunt neceſſariæ, quippè quæ ad promovendum Dei cultum nequicquam conferunt, niſi per accidens, in quantum ſcilicet objecta movent ſenſus. In oculos enim & ſenſus incurrentia, ingeruntur in intellectum: hic voluntati offert ad decernendum obverſantibus cultum & honorem, vel opprobrium & neglectum. Oblata igitur Cruci affixi Servatoris noſtri effigies, ad ſalubrius cogitandum inſtructura eſt

Chriſtiani mentem, quàm formoſum Divæ Veneris, affabrè factum, ſimulacrum. Quantumvis itaque Baſilicas, in Dei cultum, Sanctorumve honorem profundis ornare impenſis, haud ſit de neceſſitate, circa illicitam tamen aut illaudabilem non occupantur actionem, qui in hanc rem ſunt liberales vel prodigi.

CCLXXIX. Sunt interim qui imagines, Apellis manu pictas, in ædibus ſacris haud difficulter quidem tolerant; ſtatuarii tamen manuum opus ſculptile abominantur, quod Exodi XX, promulgata Lege Decalogi, dixerit Dominus: *Non facies tibi ſculptile, nec ullum ſimulachrum*, verſu 4. quod Deuter. V, 8 totidem repetitur verbis. Et iterum Levitici XXVI: *Ne feceritis vobis idola, nec ſculptum Simulachrum, neq; Statuam erigatis vobis, ſed nec lapidem figuratum ponatis in terra veſtra.* Sed ubique additur interdicti ratio: quod videlicet ſculptilia, ſimulacra & ſtatuæ ideò effigiari prohibeantur, ut *non adorentur & colantur.* Unde clariſſimè conſtat, non abſolute & ſimpliciter prohiberi, ne quis talia faciat, ſed iſtoc prohiberi fine, ne cultus & adorationis gratia fiant. Non enim εἰκονοποιΐα, ſed εἰκονολατρεία hîc prohibetur. Appenſum ſcilicet poſterius interdictum prioris eſt ἐξηγητικὸν: quod patet è Deut IV, 20. Patet etiam ex collatione locorum è Levit. & Exodo modo adductorum. Iſtis igitur ad invicem comparatis ita infero: Sicut Exodi XX prohibitum eſt fieri *ſculptile* & *ſimulacrum*, ita Levitici XXVI, prohibitum eſt, *Statuam erigere aut ponere lapidem.* At hæc non ſimpliciter ſed tantùm ad uſum idololatricum, prohibita eſſe, è Gen. XXIIX, 18 & XXXI, 14: Joſ. XXIV, 20 liquet.

CCLXXX. Indifferens igitur quum ſit Imaginum ſimulacrorumque uſus, atque perinde ſit, ſive in Templa Dei admittantur, ſive inde arceantur, ſine ſcientia zelum in cruentas cædes præcipites egiſſe oportet Iconomachos, de quibus alibi ex inſtituto eſt actum. Si qui impetrare à ſeſe non poterunt, ut Sanctorum majorumque monumenta vel horum inſignia tolerent, minimùm nullâ eadem debent redundante in prototypum ignominiâ afficere. Sicut enim aliquis honorari in imagine poteſt, ita in eâdem poteſt dehoneſtari & ignominiâ affici. Exemplum dedit aut paſſus potius eſt B. Lutherus noſter, quem è tutela Friderici Saxoniæ Electoris extorquere & ad vitæ ſupplicium rapere cum non poſſet *Leo rugiens*, igne, ipſi præter meritum deſtinato, in abſentem eſt ſævitum, atque viri effigies, unâ cum ſcriptis ejus in rogo collocatis, populo Cleroque ſpectante, infami flammâ eſt exuſta. Eadem ſors manſit *Robertum Stephanum*, Typographum Regium Pariſienſem. Hic enim quum divortium à Parte Pontificiâ feciſſet, atque ad Reformatam tranſiiſſet, ita Lutetiæ Pariſiorum, ſicut Lutherus Romæ, in effigie eſt concrematus. Fractum autem eſſe iſtâ, per vim & injuriam illatâ ingnominiâ, generoſum utriusque animum, tantum abeſt, ut *Lutherus* in libros ſuumque ſimulacrum ſævienti Leoni inſultáret inanesque ejus conatus illuderet. Nempè decimo Decembris ejusdem anni, quo Romæ in effigie eſſet uſtulatus, Papalia Brevia & Bullas, in agrum Wittebergenſem deportatas, inſtructo ibi rogo applicavit, ignique conſecravit. *Stephanus* etiam dicere eſt ſolitus, *nunquam ſe magis riguiſſe* (per gelida enim Alpium juga iter tunc fecerat) *quàm cum Pariſiis* (in effigie) *uſtularetur.* Quâ de re ſub finem Appendicis *Cornelii Tollii*, ad *Pierii Valeriani*, de Literatorum infelicitate

licitate Liber, legi eſt dignus. Præterimus aliorum exempla virorum, qui in effigie, alii jure, alii injuriâ penſiles ſunt facti.

CCLXXXI. Cæterùm quum de Sabbathicis & his contraria tradentibus Petrobruſianis, Programmate, in hujus, qui volvitur, anni Paſchatos Feſto publicato, ex inſtituto ſatis copiosè ſit actum, Lectorem ad iſta, quæ ibi ſumus commentati, remittimus, atque ad Feſta inter Chriſtianos celebrari ſolita, accedimus aut potius revertimur. Et, quum Marianorum examine Feſtorum jam ſimus defuncti, & hæc & reliqua omnia, *juris poſitivi merè humani Eccleſiaſtici* eſſe, ſumus oſtenſuri: Ut vel ſic, & Immaculatæ Conceptionis Feſti & reliquorum, nihilo magis quàm hoc eſt, vel in Sacrâ paginâ, vel in Antiquitate definitâ certitudine fundatorum abdicationem, in poteſtate humana, & conſequenter etiam Eccleſiæ (per quam Pontificem Romanum intellectum volunt) eſſe, oſtendamus.

Feſta juris poſit. humani eſſe.

CCLXXXII Jus autem in univerſum omne, quum ſit vel Divinum, vel humanum, vel complectatur utrumque, diem Dominicum (qui inter Chriſtianorum Feſta, ordinarii hebdomadalis locum tenet & poſſidet,) aut primi, aut ſecundi, aut utriusque juris eſſe oportet. Pro utroque jure ipſa praxis, quam & Chriſtus & Apoſtoli ejus exercuerunt, atque Catholica Eccleſia ſine intermiſſione continuavit, dimicat. Praxin autem iſtam, Inſtitutionem anticipaſſe, atq; hanc præceſſiſſe neceſſum eſt: ſiquidem praxis inſtitutionem præſupponit, atque eam ceu fundamentum ſubſternit. Ipſius autem Chriſti & Apoſtolorum Inſtitutionem, hanc ſequuta praxis (quæ ſine inſtitutione eſſe nequit) quàm plurimis Scripturæ locis, probat per illa dicta, quibus primâ hebdomadis die Apoſtolos congregatos, ipſumque

que Chriſtum ad eos acceſſiſſe, affirmatur. Nempè ita eſt Johannis XX, 19 & 26: item Actorum XX, 7, ubi mentio fit obſervationis primi diei in ſeptimana, quo conveniſſe dicuntur diſcipuli ad frangendum panem, atque Paulum diſſeruiſſe in eorum medio, ſermonemque in mediam usque noctem produxiſſe. Et I Corinth. XVI, 2, S. Paulus omni primo hebdomadis die aliquid, quod ad ſacros adhibeatur uſus, in Sancto, Divinis officiis vacante, cœtu colligi & ſeponi jubet.

CCLXXXIII. Per iſta atque alia his ſimilia, ſi non evidenter probatur, minimùm tamen inſinuatur, quod Dominici diei feſtivitas mixti ſit juris, partim Divini, partim humani. *Divini* quidem, quod ipſe Chriſtus auctor & inſtitutor videatur ſolennium congregationum in prima hebdomadis die, quas ipſe frequentans, ſuâ præſentia cohoneſtaverit & approbaverit. Atque ſic eſt intelligendum, quod *S. Auguſtinus* Sermone IIX de Reſurrectione Domini, Chriſto ſacri cultus ritum per diverſas feſtivitatum gratias, tribuit, quando ait: *Chriſtus non ſolum noſtræ redemtionis cauſa, diverſarum infirmitatum genera ſubiit, verùm etiam ſacri cultus ritum per diverſas feſtivitatum gratias, æternæ beatitudinis causâ, nobis efficit, ut multum inertiæ ſomnum, non tàm inviti, quàm voluntarii, ſanctæ religionis dulcedine provocante, magnarum ſolennitatum adventu, fugere compellamur.*

Diei Dominici obſervatio mixti, Divini & humani Juris.

CCLXXXIV. *Humani* etiam juris, atque inſtitutionis Apoſtolicæ (quæ humana qnidem, Divinæ tamen ſit proxima) eſſe videbitur, quod Apoſtoli diem iſtum ſanctificantium pars fuerint, ſi non maxima certè primaria. Apoſtolorum igitur Dominicum diem concelebrantium

præ-

præſentia, inſtitutioni ſi non æquipollet, approbationis tamen luculentum eſt documentum.

De Inſtitionis Apoſtolicæ VESTIGIIS.

CCLXXXV. Veruntamen iſta probatæ & receptæ conſuetudinis potiùs, quàm ſolennis inſtitutionis, quæ vim præcepti gerat, faciem præ ſe ferunt. Unde iſta omnia inſtar *Veſtigiorum* potius, quàm ſufficientiſſimarum ſolidarumque probationum loco, quibus niti oporret illa, quæ vim præcepti vel Divini vel humani inducere affirmantur, fuerint habenda. Quando verò in locis S. Scripturæ adductis ordinationis iſtius Apoſtolicæ *veſtigia* cerni dicimus, facimus hoc, fideliſſimâ B.D. Georgii Calixti, Parentis ſimul & præceptoris noſtri præclarè meriti, manuductione ſic informati; cujus veſtigia nos, paſſibus quamvis haud æquis, legimus. Agit verò ille hac de re Epitomes Theologicæ pag. 41, quâ de Traditionibus diſſerit, & de illis, quæ toto terrarũ orbe obſervantur: ubi cum ex S. Auguſtini Epiſtolâ CXIIX non nulla retuliſſet, addit, *quod pro die ſabbathi Dominicum Chriſtiani celebramus, ex traditione eſſe Apoſtolicâ, eo, quem ibi explicaverit, modo acceptâ, quanquam veſtigia quoq; hujus rei in ſcripturis* Act. XX, 7. I Cor. XVI, 2 *exſtent*. Prudenter *veſtigia* eſſe dicit, quia quæ ibi leguntur non habent vim præcepti, ſed unius ſabbathorum ſanctificationem Paulus exemplo ſuo poſteritati ſaltem commendavit. Deinde ſpeciali Divino mandato ita ſancitum, & non Eccleſiaſtico, ſed Divino jure inſtitutionem iſtam inniti ut credamus, ipſa locorum diſſuadet obſcuritas, ſiquidem utrobique ſenſus magis ambiguus eſt, quàm eſſe ſolet verborum, vim mandati habentium: illa enim, ſi quæ alia, plana eſſe debent & perſpicua, atque ab omnibus, quos obligant, intelligi apta. Talia verò eſſe hæc ipſa, tantum abeſt, ut de eorum ſenſu ipſi Scripturarum ambigant Interpretes. Haud

quippè

quippè inter eos convenit, utrum per μιᾶς σαββάτων unum quoddam ſabbathum, ſive quidam dies ſabbathi, an verò primus dies hebdomadis, Sabbathum excipiens, quem Dominicum nos appellamus, intelligatur. *Calvinus* ipſum Judæorum ſabbatum etiam Apoſtolis ſolenne fuiſſe exiſtimat, aliorumque ſententiam, qui Sabbathum pro die Dominico à Paulo poſitum autumant, improbat: *Veroſimilius eſſe*, inquiens, *Apoſtolos diem initio retinuiſſe jam uſitatum: poſtea Judaicâ ſuperſtitione coactos, illo abrogato, alium ſubſtituiſſe. Electus autem*, pergit, *potiſſimùm eſt dies Dominicus; quod reſurrectio Domini finem legis umbris attulit. Itaque dies ipſe libertatis Chriſtianæ admonet.* A Calvino diſſentit *Beza*, qui, ubi negaſſet, per μίας τῶν Σαββάτων Judæorum Sabbathum ſive quendam diem Sabbathi intelligendum eſſe: *Primus*, inquit, *dies hebdomadis hìc omnino intelligitur is, quem Dominicum vocamus: & ex hoc loco, tùm etiam ex eo, quod ſcribitur I Cor. XVI, 2, non ineptè colligitur, jam tùm conſueviſſe Chriſtianos hoc die ſolennes conventus agere, paulatim evaneſcente Judaici Sabbathi ceremoniâ.* E dictis, in quibus *rei hujus veſtigia cerni* monuit B. Parens, eandem *non inepte colligi* dicit Beza. Et Franciſcus Suarez *Lib. II. de Relig. cap. IV. Celebritatem Dominicæ diei inprimis haberi*, inquit, *ex communi uſu, & ſenſu Eccleſiæ, & in ipsâ Scripturâ N. Teſtamenti commendari.* Quia verò nulla Lex è *veſtigiis* tantùm colligitur, ſed ſermone diſerto proponitur, & verbis injungitur perſpicuis, ſenſum ambiguum haud admittentibus, quis dubitet, retinere Eccleſiam antiquum iſtum morem non quidem ideò, quod Lege Divinâ nitatur, ſed potius, quod per continuam, à majoribus huc uſque devolutam, traditionem eum acceperit? Neque etiam inanis eſt Calvini conjectura, cui veroſimile videtur, Apoſtolos diem

retinuiſſe jam uſitatum : ſi enim *Gregorio Nyſſeno* credimus, priſci Chriſtiani, præſertim Orientales, Sabbatho nonnihil ſolennitatis tribuerunt. *Quibus oculis*, inquit, *diem Dominicum intueris, qui Sabbatum dedecoraſti? an bos neſcis dies germanos eſſe? ac, ſi in alterum injuriusſis, te in alterum impingere?* Orat. adverſus eos, qui caſtigationes ægrè ferunt.

CCLXXXVII. Ita verò qualificatis probationibus omnium, tutiſſimum fuerit ſtatuere, quod celebratio diei Dominici non ſit Legis poſitivæ Divinæ, ſed humanæ, quæ fundetur in Eccleſiaſticâ, ab Apoſtolis derivatâ, inſtitutione, continuâ praxi Eccleſiæ univerſæ confirmata, cujus in S. Scripturâ exiſtant veſtigia.

CCLXXXIIX. De aliis Feſtis non magnopere eſt laborandum. Etenim nullum tàm eſt ſolenne, cujus inſtitutio ſit fundata in Novi Teſtamenti codice, ſicut Feſta Judaica fundata ſunt in Divinis Veteris Teſtamenti præceptis. Quicunque itaque ritus, ad quos Feſtorum pertinent ſolennia, expreſſo præcepto Divino carent *hi ritus*, atq; Feſta, haud ſublimioris dignitatis eſſe poſſunt quàm ſunt ſtatuta humana. Quâpropter cuncta Feſta, quæ inde à Domini & Servatoris noſtri nativitate in Eccleſia Catholica ſunt celebrata, atque in hunc usque diem celebrantur, non poſſunt non eſſe alterius quàm poſitivi humani Eccleſiaſtici juris.

CCLXXXIX. Quantumvis verò Feſtorum dierum celebratio non ſit Divini, ſed poſitivi Eccleſiaſtici juris, nihilo tamen minus illi, qui Deo dicatos, ejusdemque honori conſecratos dies quocunque modo profanant, peccant; tùm quod legem naturæ ſimul & Divinam, de præſtando ſuperioribus legitime præcipientibus obſequio, violent,

lent, tum quod offendiculo ſint, nec leve in Eccleſiam ſcandalum inferant. Leges quippè Ecclaſiaſticæ non minus obligant, quàm civiles, atque transgreſſores pœnæ obnoxios reddunt, injunctis in Foro Eccleſiaſtico ſatisfactionibus Canonicis, ab illis, penes quos jura ſunt Epiſcopalia, & Civili Magiſtratu, jus ſuum vindicante, exigendis.

CCXC. Feſtorum igitur, à primitivâ purioris ætatis Eccleſiâ ad nos derivatorum, obſervatio inviolabilis perennare & ſacroſancta eſſe, neque tamen his multiplicatis fatigari debet populus Chriſtianus, ne horum frequentiâ vileſcant. Nihil autem quum tàm ſit ſalutare, quin abuſus quandoque ſeſe ingerat & contaminet ſuperſtitio, religiosè cavendum, ne quid ſuperſtionem redolens toleretur. Talia autem ſunt, quæ Feſtum Purificationis B. Virginis deturpare, Num. CCXLI & ſeq. demonſtravimus.

CCXCI. Quid verò illis faciendum, quorum nulla neque in Scriptura, neque in genuina Antiquitate extant veſtigia? Quid ſtatuendum de talibus, quorum veritas tam eſt incerta, quàm quod incertiſſimum, nec in ſimplicis hominis mente aliquam recti & boni opinionem gignit? Ab immemoriali igitur tempore uſurpata Feſta eſſe in æſtimatione vulgi non magis eſt mirum, quàm inſolens, quod permiſcua multitudo, duci ſe patitur ab illis, quos ceu Sanctæ Religionis Directores ſuſpicit & veneratur. Quod ſi igitur hos magno cum apparatu ſolenniores inſtruere feſtivitates conſpexerit, promiſſarum dulcedine indulgentiarum capta ſollicite cautum itura eſt, ne amplâ ſpe veniæ excidat. Quod igitur diuturna conſuetudine in ſummi culminis aſſurrexit faſtigium, haud exabrupto præcipitari poterit, ſed ſicut ſenſim excrevit, non niſi ſenſim

decreſcet. Quapropter tali opus erit prudentiâ, qualis adhibita eſt, factâ intermiſſione Feſti Mariæ Spasmi. Et ſicut illud in deſuetudinem & tandem in oblivionem venit, ita quoque & Immaculatæ conceptionis, & Aſſumtionis, & Herbarum Feſta voluntariâ ſepelientur oblivione.

CCXCII. Hîc ſubſiſterem, nî in occurſum veniſſet *Lotbarius à Vogeſo Monte*, cujus de Conceptione Immaculatâ Dialogum Marianæ & Critici, Nundinæ Lipſenſes Autumnales ſunt enixæ. Pollet auctor iſte aliquanto elegantius, quàm aliàs in Monaſteriis degentes conſueverunt, Latinè ſcribendi facultate. Rhetorem igitur potius agit quàm Doctorem. Rhetorica proinde argumenta, vix ſvadentia & inducentia, nec dum evincentia, familiam ducunt. Dialectica comparent rara, nec ſunt tanti, ut illis excutiendis immoremur; præſertim quod pleraque ſunt tacta & ſoluta. Quæ vel ex S. Scripturâ vel Antiquitate ſunt hauſta, tenui pendent filo, quod per allata ruptum, nunquam coaleſcet, nulla conſolidabitur arte. Quod igitur Num. CCXIII, de *Edmundi Richerii* Doctoris & Socii Sorbonici argumentis latum eſt judicium, idem eſto de illis, quibus Dialogus iſte Marianæ & Critici ſcatet. Nempè in facti quæſtionibus, magis imbecillia eſſe à congruo & conveniente vel decoro accerſita argumenta, quàm ut prudentem in aſſenſum allicere aut trahere queant.

CCXCIII. Memini me apud quendam pertinacem Infallibilitatis Pontificiæ aſſertorem legiſſe, quod effari non ſit verecundatus, *Indiſcretum fuiſſe Dominum, nî aliquem infallibilem Controverſiarum Judicem conſtituerit & reliquerit.* Apage verò infallibile tribunal, quod firmari & ſubſiſtere nequeat, ni *indiſcretionis* arguatur & accuſetur ipſe

Dominus.

Dominus. Pari jure & veriſimilitudine de Mariâ Deiparâ dicere poterunt: *Indiſcretum fuiſſe Dominum, ni gratiâ, à peccati Originalis maculâ præſervante, eam prævenerit*: ſiquidem de dignitate B. Virginis ſit, ut omni rugâ & macula vacet. Sed peponem pro corde gerere dixerim, qui per ejusmodi nugigerulos ſe induci patiatur, ut fidem vel illi aſſertioni, cui ipſa rerum natura repugnat, perhibeat.

CCXCIV. Certè quotquot mihi obtigerunt Immaculatæ Conceptionis propugnatores, non melioribus, quàm diximus, uti argumentis deprehendi. Serius in manus meas incidit *Johannis Bonifacii*, Jeſuitæ, *Hiſtoria Virginalis*, de Beatiſſimæ Mariæ vitâ & miraculis, ad utramque hominum ſanitatem pertinentibus, Pariſiis, apud Michaelem Sannium, Anno MDCV, edita. Omnes virium nervos Auctor ille intendit ad Immaculatam Conceptionem evincendam. Aſt argumenta, quibus dimicat, ejus ſunt generis, quæ intra decori terminos ſubſiſtunt, qualia nullam aſſentiendi extorquent neceſſitatem. Libro I cap. IV: *Decens fuit*, inquit, *ut in virgine omnia quàm maxima eſſent, extraordinaria, inaudita, nemini ante conceſſa*. Ecce verò quàm luculenter & egregiè, ſi Diis placet, iſta ſubſtratâ hypotheſi Immaculatam conceptionem evincat. *Ex quo efficitur, illa negari non debuiſſe, quæ & primis parentibus & verè Angelis ſcimus eſſe donata, quos Deus ab ipſo primordio perfectâ quadam innocentiâ integraq; donavit. Quod ſi illa, quæ indignitatem quandam habent, ex peccati labe contractam, à Sacroſancta Virgine Theologia removet, ſi propter hanc ipſam cauſam, ne leviſſimum quidem erratum in Virginem cadere potuiſſe dicimus, ſi motus à Deiparâ Deum prohibuiſſe affirmamus, quicunq; rationis non reguntur arbitrio, ſi propter hoc ipſum negamus Virginale cor-*

pus in ſepultura manſiſſe, in cineremq́ redactam inficiamur, multo juſtius fateri debemus, horum omnium effectricem illam culpam, ne temporis quidem momento, in Virginis animâ fuiſſe. Proh Deum atque hominum fidem! quantus in iſta probationum farragine, futilium paradoxorum comparet cumulus; è quàm apertè falſis ducuntur conſequentiæ hypotheſibus? Iſtac agendi ratione nihil tàm manifeſtè poteſt eſſe falſum, quod ſub ſpecie veri, è falſis non fluat principiis. Ad *Theologiam* provocat, per quam illa, *quæ indignitatem quandam habent, ex peccati labe contractam, à Sacroſanctâ Virgine removeantur.* Quæ verò hoc facit *Theologia*? Certè non genuina, quæ ſine Scripturâ (de quâ altum hîc ſilentium) loqui erubeſcit. Non Theologiam igitur, ſed Theologiam monſtrum eſſe oportet, quæ hujus aliquid deſignaverit. Tandem longus iſte logus, in argumentationem à minori veriſimilitudine ad majorem deſinit. Sed tali hypotheſi procedit iſta deductio, quæ æquè eſt falſa, ac eſt thema probandum. Evincat Bonifacius prius, verum eſſe quod ſubſternit, nempè negationem ejus, *quod virginale corpus in ſepultura manſerit, in cineresq́ ſit redactum*, eſſe fundatam. Et, ſi vel maximè hoc ipſum probaverit, nondum tamen illud, quod infert, ſequitur, nempè, *iſtorum omnium effectricem culpam, ne temporis quidem momento in Virginis anima fuiſſe.* Etenim ſi omnes illi, quorum corpus in ſepultura non manſit, neque in cineres eſt redactum, immaculatè ſunt concepti, & Elias, qui vivus raptus eſt in cælum, II Reg. II, 11. & qui cum Chriſto reſurrexerunt, & attactu oſſium Eliſæ vivificatus II Reg XIII, 21. cujus & reliquorum corpora, in ſepultura non manſerunt neque in cinerem ſunt redacta, immaculatè fuerint concepti. Euge verò, egregias Im-

maculatæ conceptionis probationes, in quibus nihil eſt ſani, nihil veri, niſi hoc unum, quod ſic colligere atque inferre perhibet omnes Theologos, *quicunq; rationis NON reguntur arbitrio.* Rectâ enim ratione rectè qui utuntur, non ſic inferunt, non ſic ineptè argumentantur.

CCXCV. Ecce Benevole Lector, Immaculatæ conceptionis probationum miſeriam miſerrimam. Nec tamen horum turpitudo prohibet, quo minus magnum vulgi favorem Dogma illud inveniat, quin & eruditorum quoque indipiſcatur approbationem. Nempè paulò prius, non procul ab ejuſdem capitis initio, audacter aſſerit *Bonifacius*; *In multis Academiarum Gymnaſiis neminem Magiſtri Doctorisve honorifico illo titulo decorari, quin juratus promittat, nunquam ſe adverſus eorum ſententiam pugnaturum, qui Virginem contractæ à primo parente labis expertem fuiſſe profiteantur.* Quod ipſum de Pariſienſi Academiâ Edmundi Richerii, atque de Viennenſi, Bibliothecam Vindomienſem viſitantium teſtimonio, in antecedentibus probatum dedimus.

CCXCVI. Verùm quæ ſenſim adolevit opinio, tantum demum indepta eſt robur, ut fide implicita credatur ab omnibus, qui ad credendum omnia, quæ credit Eccleſia, obligantur. Qui verò fidem ſuam ſic implicitam & intricatam, in Eccleſiæ captivitatem tradunt, quanti Scripturam illi pendant, ſi non aliunde, ex hujus ſaltem Dogmatis colligere licet probatione. Hanc aggreſſurus bonus ille *Bonifacius*, Bibliorum ſuorum codicem aut elocaſſe, aut neſcio cujus vel furto, vel quo alio fato, ejus poſſeſſione excidiſſe mihi videtur. Horum enim ne apicem quidem attingit, ſed ex abrupto ad Eccleſiam delabitur. Quum autem eâ tempeſtate, quâ Dominicani & Franciſcani

liberè concertarent, Definitor Alexander Sedem Romanam nondum occupaſſet, non niſi trepidè ad Eccleſiæ ſe recipit aſylum, quando ad hunc, non tanquam *ajentem*, ſed ſaltem *annuentem*, provocat. *Mariam*, inquit, *qui non modo ab eâ culpâ, quamvis minimâ, quæ voluntate ſuſcipitur, vindicant, quod fides ipſa tradit*, (quæ verò fides hoc tradit; dic ſodes mi Bonifacie, num alia aut melior, quàm eſt carbonaria, quam implicitam vocatis?) *ſed ab ipsâ etiam originis labe puram eſſe contendunt, ſi non* AJENTE, *certè* ANNUENTE *Eccleſia, factisq; ipſis ſuam de virginis ſatu voluntatem declarante, ita docere ait, ſentire ac loqui perſeverant.*

CCXCVII. Quænam verò FACTA illa ſunt, quibus *Eccleſia ſuam de Virginis ſatu* (conceptione) *voluntatem declaravit?* Reducuntur facta illa, ad *Anniverſarias Conceptionis ferias*, atque ad iſtius Eccleſiæ praxeos antiquitatem; quod videlicet *Feſtæ hujus lucis religio, ducentorum annorum roborata ſit vetuſtate.* Verùm non plurium quàm *centum annorum vetuſtas*, ejus ponderis, quo Apoſtolicæ ponderantur traditiones, cum non ſit, ad plebem tamen vetuſtatis opinione fallendam, ſuffecerit.

CCXCIIX. Nec magis aptum ad canonizandum Immaculatæ Conceptionis Dogma excogitari potuit medium, quàm Feſti diei inauguratio. Etenim adverſus oblivionem vix efficacius invenerint antidotum, quàm annuæ feſtivitatis magno apparatu inſtruendam pompam. Ecquid enim magis occupat fortiuſque ſtringit ſimpliciorum mentes, quàm externa religionis nobilibus phaleris ornata, in oculos & ſenſus ſe ingerentia ſolennia. Quæ ut fortius trahant in aſſenſum, ampliſſimarum indulgentiarum pollicitatione fuerunt locupletanda. Quo circa

Imma-

Immaculatæ conceptionis phantaſma ſicut cornua extremæ Lunæ ſenſim evaneſcet, quàm primum Feſti iſtius diei ſolennitas eſt evanitura. Hac in deſuetudinem redacta, Immaculatæ Conceptioni eadem facilitate inducetur oblivio, quâ facilitate Mariæ Spaſmatis Feſtum oblivioni eſt conſecratum. Et quemadmodum non obſtitit, quod B. Virginem Spaſmum eſſe paſſam, & Oriens & Occidens olim credidit, ita quoque non obſtabit, quod eandem B. Virginem Immaculatè conceptam eſſe, ſatis diu credidit Romana Eccleſia univerſa.

CCXCIX. In deſuetudinem autem veniſſe Mariæ Spaſmi Feſtum, atque celebrari deſiiſſe ignorare haud potuit Bonifacius, ſiquidem ille eorum, quæ per Cajetanum Cardinalem, in hoc negotio ſunt geſta, non fuit ignarus. Ita enim ille Libri primi Cap. XVI in fine: *Cajetanus & diſputantis Theologiæ nobilis auctor, de hac ipſâ quæſtione accuratè diſſeruit, libellumq; de hoc ipſo confecit, & eos, qui beatæ Virginis ſenſus oppreſſos fuiſſe contemplantur, contracta membra defectasq; vires, doctè refellit.* Et poſt pauca interjecta: *Quocirca Spaſmi ſtuporisq; Virginei longe abſit à noſtris & libris & linguis barbariſmus.* Si *Spaſmi* vocis *barbariſmus* (quamvis nec *Spaſmus*, nec *Spaſma* Calepino aliisque Latinè loquendi & ſcribendi magiſtris *barbaræ* voces ſint,) delicatas tamen Bonifacii aures offendit, multo magis offendiſſe oportet ipſum *Mariæ Spaſmi Feſtum*, cujus tamen ne verbo quidem facit indicium: procul dubio, quod ejus meminiſſe è rei ejus, quam molitur, commodo haud fore animadverteret. Nempè hujus Feſti antiquationem tractum iri in exemplum, veritus.

CCC. Quod ſi verò nuda *Spaſmi vox*, *barbara* eſt,

quid ni *barbarum* ſit *Spaſmi Feſtum?* Quin & *barbaros* fuiſſe oportet omnes, quotquot Feſtum illud longo temporis tractu, olim celebrarunt, Chriſtianos. *Barbari* fuerint quoque illi, qui in Mariæ Spasmum paſſæ memoriam Hieroſolymis, iſtic loci, ubi Matrem doloroſam ſpasmi invaſionem ſuſtinuiſſe crediderunt, Templum exſtruxerunt.

CCCI. Neque etiam rem, quæ, non dicam manifeſtè eſt falſa, ſed incertæ & dubiæ minimum veritatis, illud quod *Ambroſius* (allegante eum Bonifacio) de Mariâ dixit, *Stantem lego, flentem non lego*, magis juvare poteſt, quàm juvat quod Johannes cap. XIX de eadem perhibet, *Stetiſſe eam juxta crucem*, vel Johanni adſtitiſſe, ſiquidem Spasmo correpti non ſtent, ſed in terram proſtrati procumbant. Non patrocinari ajo, iſtam inſtantiam horum cauſæ, ſiquidem Spasmus non eſt morbus chronicus ſed tranſiens paroxyſmus. Ceſſantibus itaque convulſionibus erectam ſtare eam potuiſſe, Medicæ artis periti haud quaquam negaverint.

CCCII. Cæterùm *Virginalis* iſtius *Hiſtoriæ* (magisne ſuperſtitioſus dicam, quàm religioſus) compilator, Joannes Bonifacius, non prius, quàm debitas ei ſolverim gratias, fuerit dimmittendus. Debitum ſcilicet agnoſco, & ad præſtandum teneor: quippè qui beneficii loco reputo, quod Feſti alicujus diei oblivione obrutam memoriam refricuit. Nuncupatur illud *Virginis Deiparæ Præſentationis ſeu Oblationis*, ſicut & ab aliquibus *Mariæ Incunabulorum Feſtum*. Equidem Num. CCXL & ſequentibus, VII adnumeravi & excuſſi Mariana feſta, atque intra ſeptenarium, ſacrum illum numerum ſubſtiti. Benè autem monente Bonifacio, prioribus Septem Octavum eſt adjiciendum.

Dictum

Dictum eſt illud Feſtum *Præſentationis ſeu oblationis Mariæ*; per illos, qui *Mariam trimulam in Templum* Hieroſolymitanum *deductam, & in illo loco, quem ſanctum ſanctorum Hebræi appellabant, annos undecim permanſiſſe* credunt. Cujus traditionis auctorem *Evodium* allegat, atque addit, quod in oblationis iſtius memoriam in Oriente Græci, inde à priſcis Eccleſiæ temporibus, Feſtum diem egerint. Ex Oriente, pergit, Caroli V pietate in Gallorum Eccleſias iſtam religionem eſſe translatam. In Romanâ autem Eccleſiâ diu, incerto quamvis antiquitatis initio, quum eſſet uſurpatum, Eclipſin tamen aliquam eſſe paſſum, queritur. Quam culpam omnem in *Pium V Pontificem maximum* devolvit, quippè qui *Juſtis de cauſis Kalendarium contrahendum putaverit, ut, quò pauciores feriæ eſſent, eò celebrius ac dignius colerentur: hic ex faſtis evulſus eſt dies, & ad brevè tempus intermiſſus. Nam Sixti hoc nomine V, non tàm permiſſu, quàm juſſu, has eaſdem Virginalis in Templo præſentiæ ferias, & quaſi Deiparæ INCUNABULA, eadem Catholica Eccleſia retentas animo, temporibus remiſſas, ſumma voluptate atq; lætitia revocavit, dieſq; ille ante XI Kalendas Decembris, religioſus & ſacer, propriis & precationibus & lectionibus celebratur.* Atque iſtum in modum obſcurum ac ſupervacaneum *Mariæ Præſentationis Feſtum*, hiulco ſermone obſcuravit, de Levitica Mariæ latrias tribu haud infimi ordinis Sacerdos, Bonifacius.

CCCIII. Cui verò Eccleſiæ bono aut commodo multiplicantur Feſta, quibus nihil ſuſcipitur, nihil agitur aliud, quàm quod res, quarum veritas denſa oppreſſa caligine jacet in obſcuro, ſupra fas & meritum magnifican-

tur cultuque celebrantur Divino? Etenim B. Mariam Virginem & animâ & corpore eſſe aſſumtam, atque de ſepulchro migraſſe in cœlum; vel trimulam in Templo Hieroſolymitano præſentatam ſivè Deo oblatam conſecratamque, atque ibi per integros undecim annos ſubſtitiſſe & manſiſſe, non magis eſt certum, quàm certum eſt, quod eadem, vel ſpasmum ſit paſſa, vel immaculatè concepta. Talis ſcilicet conceptionis veritas non tantùm eſt incertiſſima, ſed Divinis quoq; Scripturis & communi, per viri fœminæque copulam genitorum, ordini & naturæ repugnat. Quemadmodum verò anilibus decantandis fabulis Feſtos dies deputare probroſum eſt, ita quoque temerarium ac ſacrilegii inſtar fuerit, usque adeò antiqua, ut Apoſtolicam præ ſe ferre Videantur traditionem, ſub juris humani prætextu abrogare feſta, Sanctorumq; rubricas è faſtorum codicillis evellere; quod Petrobruſianos deſignaſſe tradit ejus ætatis, quæ Waldenſibus aſſociatos fuiſſe perhibet, hiſtoria.

CCCIV. Deinde cautione quoque eſt opus, *ne bonus & concinnus*, Eccleſiaſticam diſciplinam decens & decorans, ordo turbetur. Turbavit autem, ſi quis alius, maximè innovato Calendariò *Gregorius Pontifex*. *Novum* igitur illud, ceu vulgo vocatur, *Calendarium* quum à multis, Julianis computantibus articulis, ſit repudiatum, quantas non novatio iſta dedit & in Eccleſiaſtica & Publica re turbas? In illâ quidem eò, quod per decem dierum intervalla celebrata ſunt Feſta, quæ prius tempore & die eodem ſanctificavit orbis Chriſtianus univerſus. In publica re, commerciorum curſu feriarum gyro fracto, turbati ſunt negotiorum circuli, iterque facturis

injecta eſt remora. Qui igitur norunt & recordantur, quantos & iſta Calendarii reformatio, & hanc longo temporis intervallo anticipans circa Paſchatis obſervationem diſcordia (aſperum illud colliſionum fomentum) in Eccleſiâ olim excitaverit motus, quantas dederit turbas, cavebunt, ne Feriis de diebus conſuetis, in alios viſos ſibi commodiores traductis, exſtincto diſcordiarum fomiti frigidam ſuffundant. Feſtorum tamen & inſtitutio & abdicatio, ſi juris eſt poſitivi merè humani, temporis obſervatio haud ſtrictioris juris eſſe poteſt, quàm eſt ipſius rei obſervandæ ſubſtantia. Et ita certe eſt: indifferens eſt, ſive hoc ſive alio die Feſtorum agantur ſolennia. Dies enim unus altero non eſt melior, nec deſuper influente & infusâ Divinâ gratiâ fit illuſtrior, ſed ab humano inſtituto omnis pendet ſanctificatio. Atque indifferentiam iſtam haud difficulter agnituri ſunt aliquanto prudentiores. Minus autem prudentes inculti & agreſtes, numero quum prævaleant, maximamque Eccleſiæ partem integrent, major etiam horum quam pauciorum primariorum Eccleſiæ capitum, habenda eſt ratio. Simpliciorum autem Chriſtianorum multitudinem complentes, tali loco & conditione ſunt poſiti, ut ἀδιαφόρων expertes vivant diſcretionis. Quod ſi igitur tales antiquam, ab avis avorum horumque proavis derivatam, quamvis adiaphoram praxin, deditionem ſubire conſpiciant, protinus ipſam ſanctam Religionem violentam pati mutationem ſuſpicantur. Et quis tam potens eſt in doctrina, ut iſtam animos ſubeuntem & occupantem ſuſpicionem, eximere & in gyrum

rationis redigere ita affectos valeat? Tutiſſimum igitur fuerit, in externis indifferentibus ritibus & ceremoniis nullam ſuſcipere mutationem: ſiquidem vulgus Chriſtianorum in nullo ſcandalizatur magis, quam ſi illa, quæ in oculos & ſenſus ſeſe ingerunt, notabilem, priſcis moribus adverſantem, variationem pati animadvertat.

CCCV. Ab alterâ parte in inſidiis ſtant *Bellarmini* defenſores, dicturi, quod ille, ſubductis nunc Petrobruſianismum hactenus tegentibus velis, ab illatæ calumniæ liberetur culpâ. Ita, ajo, eos eſſe dicturos, quamvis ne hoc quidem citra calumniam dixerint: quia accidentalis, non niſi levem aliquam temporis circumſtantiam attinens, mutatio nullam in rem ipſam, ejus eſſe vel ſubſtantiam inducit mutationem. Quamvis verò, illis jactis in nos maledicæ linguæ telis, veritas non ſuccumbat, nocitura tamen ſunt, etiam in adiaphoris, tentatam novitatem comitantia inevitabilia inconvenientia. Quo circa Eccleſiaſticâ prudentiâ opus eſt, quæ proſpiciat, ne intentam emendationem, vel exceſſus, vel defectus, ſic torqueat in transverſum, ut fluctuantes infirmorum conſcientiæ, gravi onere preſſæ, in imas ſcandali mergantur lacunas. Quod quamvis non ſit datum, ſed acceptum, *ſic* tamen arripitur avidè, ut non ſit tàm diſertus Orator, qui illud, quod Majorum ſevit manus, rigavit aſſidua conſuetudo, cum ipsâ adolevit adoleſcentiâ, roburque indeptum eſt virile, è rudis plebeculæ mente radicitus evellere valeat.

CCCVI. Quem-

CCCVI. Quemadmodum igitur in talibus, quæ diu obtinuerunt, atque ad decentem ſervandum ordinem conduxerunt, haud temerè ſuſcipienda eſt mutatio, ita quoque Feſtivitates præter neceſſitatem non ſunt multiplicandæ. Cum primis ſi renovata in illis memoria, circa res omninò incertas, phantasmati quàm vero ſimiliores, occupetur. Memorat paulo prius adductus *Johannes Bonifacius*, *Pium V Pontificem Maximum juſtis de cauſis Calendarium contrahendum putaſſe, ut, quò pauciores Feriæ eſſent, eò celebrius ac dignius colerentur.* Ecce agnitam à Pio V Pontifice multiplicata Feſta contrahendi *juſtam cauſam* validamque rationem, atque ad mediocritatem redigendi neceſſitatem. Per hunc igitur factum eſſe perhibet, ut *è faſtis evulſus ſit dies ille* Feſtus Præſentationis B. Mariæ Virginis *& ad breve tempus intermiſſus.* O utinam plures ſurgant ſic *Pii* Pontifices, qui iisdem juſtis de cauſis Calendarium contrahere, atque è faſtis, & Mariæ Immaculatæ Conceptionis, & ejusdem Aſſumtionis Feſta evellere ſuſcipiant: nec *Piis* iſtis ſuccedat minùs pius aliquis *Sixtus*, qui intermiſſionis illud tempus abbreviare conetur.

CCCVII. Supervacanea verò incertitudinis plena Feſta, in eandem deſuetudinem venire paſſi ubi fuerint, in quam Spasmi Feſtum eſt redactum, atque ut redigantur, licitam & poſſibilem impenderint operam, præclarè de Eccleſiâ universâ merebuntur, ſimul ac indepturi ſunt ſemoti offenſionis lapidis, ſtrataque pronioris ad reconciliationem & mutuam Chriſtianam

ſtianam tolerantiam inſtaurandam, ducentis viæ, inſignè Caſſandrinæ lauræ æquiparandum encomium.

CCCIIX. Faxit miſericordiarum Pater, ut ſemotis tandem his, aliisque multò gravius urgentibus, actualemque communionem remorantibus obſtaculis, ſalvâ atque in tuto collocata fide fundamentali, circa quæſtiones juxta hanc emergentes diſſenſum, alii in aliis, non ceſſante quamvis contradictione, tamen Chriſtianè toleremus, in mutuâ & reciprocâ, cœleſtis Patris Flios decente charitate, usque ad conſummationem ſeculi conſtanter perſeveremus.

FINIS.

INDEX.

INDEX RERUM.

A.

A Gratia Dei ad immunitatem à P.O. non valet conſequentia. 30.
A negata corruptione in ſepulcro ad immunitatem à P.O. non V.C. 310.
A poſſe ad eſſe non valet argumentum. 17.
Æternitas quotuplex? 296. 297.
Æternitas promiſſionum & comminationum. 297.
Ἀκρέασις 224. 225.
Alexander VI & duo ejusdem ſucceſſores confirmant ordinem quendam religioſum. 127.
Alexander VII in deciſione controverſiæ de immaculate concepta virgine qua ratione uſus? 64.
  Contradicit anteceſſoribus. 30.
  & ſibi ipſi. 104. 212. 215.
  auctor gravis peccati. 192.
  in Eccleſiam & conſcientias injurius. 183.
  erraſſe convincitur. 161.
  ejus decretum pro Franciſcanis. 134. *ſeq.*
Anshelmus Cantuarienſis Bernhardo contrarius. 57.
Anticonceptionarii. 240.
Apoſtolicæ ſedis præ Scriptura prærogativa. 188.
Apoſtolicum quotuplex? 190.
Arcanum Concilii Tridentini retectum. 262.
Argumenta à figuris ſunt invalida. 15.
Articuli fidei condendi poteſtas non eſt in hominis manu. 6. 162.
Aſſertorum ἀναμαρτησίας *Marianæ Claſſis I.* 51.
  Claſſis II. ibid.
  Claſſis III. 53.
Aſſumtio & Dormitio Mariæ. 80. 277.
Auguſtinus Abbas Einſidlenſis. 246.
Auguſtinus Steuchus laudatur. 24.

B.

Barradius laudatur. 206.
Baſileenſis Concilii decreta à Pariſienſi Academia approbata. 233.
  à Viennenſi reprobata. 234.

S s Ba-

Baſileenſis Synodus feſtum Viſitationis Mariæ confirmat. 276.
Bellum Marianum in Gallia. 237.
Benedictus quis? 31.
Bernenſes Thaumaturgi. 36. *ſeq.*
Bernhardus immaculatam Mariæ nativitatem credens. 57.
B Virgo nec ab originali, nec ab actuali peccato immunis. 54.
B. Virginis Cultus. 82.
Encomia. 83.

C.

Cajetanus in interpretandis Scripturis veritati magis, quàm novitatibus pontificiis favet. 34.
Calendarium Gregorianum & in Eccleſia dat turbas, & in Republ. 316.
Canonici donariis ad cultum divinum alliciuntur. 85.
Cantici Salomonei expoſitio. 250. *ſeq.*
Caro idem eſt, quod corrupta hominis natura. 60.
Catecheta Hildeſienſis de B.V. Immac. Conceptione. 182.
Cenſura. 216.
Cereorum conſecratio. 272.
Cereorum iſtorum admirandi effectus. 273.
Certamen inter Dominicanos & Franciſcanos. 97. *ſeq.*
Chriſtus ſolus eſt ſine peccato conceptus. 13.
Chriſtiani primi, ſabbato aliquid ſolennitatis tribuentes. 306.
Civilium & credendarum rerum diverſa ratio. 176.
Clavium poteſtas cuinam competat. 222.
Colonienſium & Herbipolenſium Theologorum cum pontifice colliſio. 166. 193.
Conceptio Mariæ prima examinatur. 61. 62.
Concepticnarii. 239.
Conciliorum generalium claſſes. 95.
Conciliorum autoritas unde dependeat? 95.
Concilium Tridentinum conſtitutiones Sixti IV innovat. 128.
Concilii Tridentini appendix ſeſſioni V contraria 128. 129.
Concordia Chriſtianæ ſtudium commendatur. 203.
Concupiſcentia omnes cogitationes ἀνόμους complectitur. 61.
Conſcientiam dubiam habenti quid faciendum? 170.
Conſcientia dubia cum erronea convenientia & diſcrepantia. 171.
Conſcientia dubia cum probabili collatio. 172.
Conſenſus Eccleſiæ non confundendus cum teſtimonio aliquot patrum antiquorum. 39.

Conſenſus Eccleſiæ nihil proponit circa fidem, quod non manifeſtat Scriptura. 178.
Corpus Chriſti cur dicatur in ſimilitudinem peccati eſſe. 48.
Cotonus Mariæ imperium in filium concedens ſtatum exinanitionis & exaltationis confundit. 72.
Credendorum duplex principium cognoſcendi. 177.
Cultus diſtinctio. 87.
Cultus divini univerſalitas. 265.

D.

Decalogi præcepta quomodo obligent? 298.
Defuncti quomodo honorentur? 298.
Didacus Stella laudatur. 29.
Dilemma Colonienſibus & Herbipolitanis Theologis propoſitum. 203.
Dogma fidei ad credenda ſe non habet indifferenter. 166.
Dogmata unitatem ſpiritus conſervantia ſunt de fide. 159.
Doloris magnitudo ex oppoſiti gaudii magnitudine æſtimanda. 76.
Dominici diei obſervatio mixti juris. 303.
Dominicani. 6.
Dominicanorum & Franciſcanorum æmulatio. 92.
Dubium practicum quotuplex? 173.

E.

Eccleſiæ ſanctitas. 254.
Eccleſiaſticæ antiquitatis conſenſus in quibus quæſtionibus advocandus? 39.
Emblema, impiæ Mariæ latriæ index. 87.
Epigramma in feſtum dolorum Mariæ. 274.
Epiphaniorum feſtum. 271.
Errant alii ex ignorantia, alii errorem aliorum ſecuti. 25.
Eva nullibi in ſcriptura ut typus Mariæ proponitur. 16.
Excommunicatio quodnam peccatum ſequatur. 219. 220.
Excommunicatorum gradus. 224.
Excommunicationis fulmine terrentur, quotquot Mariam cum peccato conceptam eſſe aſſerunt. 123.

F.

Facti quæſtiones parum valide à congruo probantur. 27.
Feriæ à conſuetis diebus in alios non temere transferendæ. 317.
Feſta profanantes peccant. 306.
Feſta Mariana. 267.
Feſtum Conceptionis. 268.
Annunciationis. 268. 275.

Feſtum Purificationis, ejusq; nomina. 268. 269.
VII Dolorum Mariæ. 274.
Viſitationis. 275. 276.
Dormitionis, aſſumtionis, tranſitus, Herbarum. 277.
Spaſmi Mariæ. 285. *deſiit.* 288.
Feſtum immaculatæ conceptionis quomodo abolendum? 294.
Feſtorum V. ac N. T. differentia. 266.
Feſtorum primitivæ Eccleſiæ erant paucisſima. 267.
Feſtorum abrogatio eſt in poteſtate Eccleſiæ. 295.
Feſtorum inſtitutio juris humani Eccleſiaſtici. 302. 306.
Figura conſideranda ſunt κατά τι non ἁπλῶς. 22.
Figuratum non easdem, vel perfectiones vel imperfectiones habet cum figura. 17.
Franciſcani circa dogma Marianæ conceptionis gravius errant quàm Dominicani. 6.
Franciſcani cum damnato hæretico ambulant. 56.

G.

Genealogia Chriſti oſtendit ortum ejus ab Abrahamo & Davide. 21.
Gregorius XV Dominicanis concedit poteſtatem privatim de B. V. Immacul. Concept. conferendi. 132.

H.

Herbarum conſecratarum efficacia. 290.
Hiſpani & ex vulgi opinione ſummo gradu Catholici. 55.
Hiſtoria Virginalis Joh. Bonifacii paradoxis ſcatens. 309. 310.
Horarum Canonicarum explicatio. 84.
Horoſcopii qui? 85.
Hueti. 7. 94.

I.

Jejunia feſto herbarum præmiſſa. 281.
Jetzerus ſtolidæ patientiæ exemplar. 38. 100. *ſeq.*
Ignorare ſæpe poni pro oblitum eſſe probatur. 69.
Imagines templorum ornamenta. 299.
Imagines ſcandaloſæ tollendæ. 299.
Immaculata Conceptio & Nativitas differunt. 44.
Immaculatæ conceptionis dogma ex adiaphora quæſtione factum eſt articulus fidei. 4.
idem nec opinionem hæreticam, nec rem certam putat Bellarminus. 4.
non eſt neceſſarium necesſitate medii. 7.
nec necesſitate præcepti. 8.

Immaculatæ conceptionis dogma non poteſt probari expreſſis Scripturæ verbis. 13. 187.
non firmatur ex Job III. 18.
neq; ex eo quod Maria perhibetur ἁγνιαλόγητ@. 20.
neq; ex ſalutatione Angelica. 28.
fruſtra probatur ex revelationibus & miraculis. 33. *ſeq.*
non firmatur Eccleſiæ conſenſu 39. 179. 189.
deſtituitur conſenſu aliquot pontificiorum. 50.
confutatur ex ſtipendio peccati, morte, 80.
aliisq; miſeriis. 81.
refellitur inde, quod Maria Deum Servatorem ſuum agnoſcit, 81.
natales hujus dogmatis. 132.
eſt illud nec de fide, nec ad ſalutem neceſſarium. 157.
ſecus ac pontifici viſum. 158. *ſeq.*
poteſt aliquis illud nolle credere ſine diſpendio ſalutis. 148. 163. *contra Alexandri aſſerta.* *ibid.*
dogma hoc ab Alexandro definitum eſſe demonſtratur. 185.
eximitur examini S. Scripturæ. 187. 190.
non eſt Apoſtolicum. 191.
ejus negatio quantum habeatur peccatum. 228.
ejus encomia. 235.
Index expurgatorius. 261.
Infallibilitas pontificis papalis Reip. prora & puppis. 157.
Infantes à peccatis actualibus ſunt immunes. 11.
Inquiſitores hæreticæ pravitatis. 215.
Joh. Duns Scotus auctor litis de immaculata B.V. Conceptione. 91.
Juramentum ad perhibendam immac. concept. obligans. 232.
Jus quotuplex? 302.

L.

Leo X litem de immac. B.V.C. determinare intendit, 114. 115.
Legis vis obligandi. 219.
Litera ad Colonienſes Theologos cum reſponſo. 145. *ſeq.*
Literæ ad Theologos Herbipolenſes cum reſponſo. 150. *ſeq.*
Literalis Scripturæ ſenſus, non myſticus, valida ſuppeditat argumenta. 21.
Literaliter aliquid quotupliciter dicatur? 253.
Lotharius à Vogeſo Monte de Immac. Conc. 308.
Lucas Waddingus. 131.

Lutherus locum de conterendo ſerpentis capite explicat. 26,
Lutheri imago exuſta. 302.

M.

Maldonatus dexter verborum Chriſti interpres. 206.
Maria dona ſanctificantia in celſiori gradu eſt indepta, quam reliqui ſancti. 10.
Maria non eſt mater omnium viventium vita ſpirituali. 16.
Maria non eſt ἀγενεαλόγητος. 20.
Mariæ Encomiaſtæ ex primæva Eccleſia. 32.
Mariam à peccatis actualibus immunem piè credi poſſe, Auguſtinus ſtatuiſſe dicitur. 41. *ſed malè.* 46. 47.
Mariæ duplex conceptio & nativitas. 58.
Mariam non caruiſſe peccatis actualibus & Scripturæ & Patrum teſtimonio probatur. 67. *ſeq.*
Mariæ arrogantia, temeritas & diffidentia. 75. *ſeq.*
Mariæ latriæ initia & incrementa. 82 *ſeq.*
Maria & quoad corpus & quoad animam in cœlos aſſumta. 278. 279.
Mariæ reſuſcitatio. 278.
Maria nec in propria nec vulgari ſignificatione dici poteſt ſpaſmata. 287.
Mariam in templo præſentatam eſſe eſt incertiſſimum. 316.
Media Mariam à peccato præſervantia. 255. 256.
Melchior Canus Theologus Pontificius. 8. 25.
Μία τῶν σαββάτων *prima dies hebdomadis.* 304. 305.
Miracula divina à Diabolicis portentis ſecernere difficile. 35.
Myſteria non unius generis. 257.

N.

Naturale quotuplex? 9.
Neceſſitas circa credenda eſt vel medii vel præcepti. 7.
Neceſſitas medii qualis? 163.
Novitas dogma aliquod reddit ſuſpectum. 5.

O.

Octava quid? 280.
Officia veſpertina & nocturna publica & domeſtica. 281. *ſeq.*
Officia nocturna comitantur ſcandala. 282.
Orare inter hiemantes. 210.

P.

Papiſtæ Pontifici potius, quam rationibus firmis & ſenſibus obviis credunt. 56. 57
Patres Mariam cum P.O conceptam aſſerentes. 54. 55.
Pauli III pacifica conſilia. 117.

Pec-

Peccator latius patet, quam maledictus. 14.
Peccatum omnibus hominibus communi modo ab Ada deſcendentibus eſt commune 9.
Peccatum aliud vincibile, aliud invincibile. 45.
Peccati gravitas unde æſtimanda? 195. 209.
Peccatum veniale quotuplex? 109. 205.
Peccatorum differentia. 296.
Peccatorum fora. 201 *ſeq.*
P. O. non carni, ſed animæ adhæret. 27.
P. O. ſequuntur actualia. 53.
P O. & inferiores & ſuperiores animæ facultates invaſit atq; corrupit. 59.
P O. cauſæ non niſi morales ſunt, & quidem vel remota vel proxima. 62. 63.
Pelagius ἀναμαρτησίαν non nullorum hominum aſſerit. 43.
Perpetua inhabilitas. 215. *ſeq.*
Peterſen (D Joh. Wilhelm) cum Roſimunda ſua. 34.
Petrobruſianorum circa feſta errores. 186.
Philippi III & IV. Regum Hiſp. petitio. 131.
Pietiſtæ Pelagii fautores. 44.
Pius V de immac. B. V. C. in publicis prædicationibus diſputari prohibet. 93.
Pœna quomodo ſe habeat ad peccatum? 68.
Pœna negantibus B. V. Immac. Conc. decreta. 210. *ſeq.*
Pontifex extra Concilium nihil poteſt definire. 180.
Pontificis autoritas illimitata. 181.
Pontifices ſibi invicem contradicunt. 183.
Pontificum auctoritate duo contradictoria pro veris habentur. 125.
Pontificiorum circa peccatum errores. 202. *ſeq.*
Præſumtio ſemper in meliorem inclinet partem. 71.
Precatiuncula: O felix puerpera &c. examinatur. 97. *ſeq.*
Privatio vocis activæ & paſſivæ. 215.
Privatio ab ingreſſu Eccleſiæ. 223. 224.
quibus injuncta. 227.
Privilegia B. V. Immaculatæ Conceptionis. 230.
Proceſſio Spiritus S. à ſolo Patre. 165
Profanatio divini nominis in cereorum conſecratione. 273.
Πρόκλαυσις. 224. 225.

Q.

Quæſtiones annatæ in hanc & illam partem liberè poſſunt diſputari. 1.
Quæſtionum Annatarum alia propius, alia minus prope ad fundamentum accedunt. 3.

Quæ-

Querela de R. Pontificis tyrannide. 291. 292.
Quintæ precationis ridicula à Bellarmino commenta expoſitio. 66.

R.

Revelationes, quarum in verbo divino nulla fit mentio, pro divinis non facile habendæ. 33.
Richerii de Immac. Concept. diſputatio & elumbes probationes. 242. ſeq.
Richerii cum Colon. & Herbipol. Theologis colliſio. 243.
Robertus Stephanus ſuam in imagine factam combuſtionem ridet. 301.
Romana ſedes male appellatur Apoſtolica. 188. 189.
Romanenſes Cretenſibus non abſimiles. 120.
Romano-Catholici fidem non evertunt. 259. 290.

S.

Sabbati indeſinens obſervatio. 295.
Sabbatici. 296.
Samuel Mareſius, Grœningenſis Theologus. 42.
Schiſmatis inter Lutheranam & Pontificiam Eccleſiam cauſa. 290. 291.
Scholaſtici modum exceſſerunt in comminiſcendis quæſtionibus otioſis. 2. 3.
Scholaſtici quomodo imitandi? 3.
Scripturæ ſufficientia ab ipſo pontifice agnoſcitur. 177. 178.
Sculptilia cur prohibeantur. 300.
Sculteti primus uſurpavit vocem ſyncretiſmi de Religionis negotiis. 119.
Semen mulieris, non mulier, contrivit caput ſerpentis. 23.
Sixtus IV è Franciſcana familia. 96.
Sixti IV Conſtitutiones. 122.
Sorbonæ de Immac. Concept. ſententia. 236.
Statuarum abominatio. 300.
Syncretiſmus quid? 115.
Syncretiſmi vox male ad religionis negotia applicatur. 117. 118.
Synodus Baſileenſis. 94.
Σύστασις. 224.

T.

Templum S. Mariæ de ſpaſmo. 286.
Thomas Doctor Angelicus. 92.

V.

Vigiliæ interdictæ. 282.
Urbanus VIII dicterio notatus. 132.

Y.

Ὑπόστασις, 224.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

F I N I S.

Digitized by Google

WIS 13/52